





LIBRARY
Toronto, Ontario

MONUMENTA
ORDINIS
FRATRUM PRAEDICATORUM
HISTORICA

TOMUS IV.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM (VOL. II.)

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS



ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

STUTTGARDIAE
APUD JOS. ROTH, BIBLIOPOLAM
33, via dicta « Kanzleistrasse », 33

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1899

ACTA
CAPITULORUM GENERALIUM
ORDINIS PRAEDICATORUM

VOL. II.

AB ANNO 1304 USQUE AD ANNUM 1378

IUSSU

REVERENDISSIMI PATRIS

FR. ANDREAE FRÜHWIRTH

MAGISTRI GENERALIS

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS



ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

STUTTGARDIAE
APUD JOS. ROTH. BIBLIOPOLAM
33, via dicta « Kanzleistrasse », 33

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1899


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
SEP 10 1953
LIBRARY

LECTORI

Acta capitulorum generalium, quae in hoc volumine recenseo, legentium animos novitate delectabunt, eo quod eorum maxima pars ad hanc usque diem praelum non subiit. Editio enim actorum, quam DD. Martène (1) debemus, non continet nisi acta ad annum 1316.

Volumen hoc usque ad annum 1378 extenditur; cuius divisionis ratio est, quia ortum eo tempore notissimum schisma, quod ecclesiam Romanam dire lacerabat, etiam unitatem, qua ordo noster semper resplenduit, destruxit ordinemque in duas partes divisit; quibus singulis et suus magister generalis praefuit, et sua fuerunt capitula generalia.

Methodum porro, quam in priori volumine exposui, (2) in isto quoque secutus sum; hoc excepto, quod omnes ad unum codices mihi notos contuli diligenter

---

(1) *Thesaurus Novus Anecdotorum* tom. IV. Lutetiae Parisiorum 1717. pag. 1669-1964.

(2) Cf. pag. VI.

ad verum textum exhibendum. Unde contigit, ut lectiones variantes hic plures numero inveniantur.

Codicibus manuscriptis initio prioris voluminis iam enumeratis (1) addas apographum quoddam, quod sibi ad usum proprium descripsit noster ECHARDUS ex codice olim in bibliotheca conventus Lingonensis asservato, cuius tamen archetypum ad nos non pervenit. Quo apographo, quod hodie extat Parisiis *Archives Nationales*, ut dicunt, *(Fonds des Dominicains* n. 1528*)* usus sum sub siglo H.

Quasdam partes actorum capituli generalis Bononiae celebrati anno 1347 reperi in codice 12331 bibliothecae nationalis Parisiensis; cuius codicis lectiones variantes invenies sub siglo I.

Acta capitulorum, quae celebrata fuere Valentiae anno 1364, Avinione 1367, Brugis 1369, Tolosae 1372 Florentiae 1374, temporum iniuria et incuria fratrum perierunt. Quorum capitulorum declarationes – an sint omnes, affirmare non ausim – inveni in codice ms. 587 (antea 639) bibliothecae publicae Gratianopolitanae. Cuius codicis compilator, Germanus, ni fallor, et iis, qui ordinis reformationem saeculo XV. summopere quaerebant, addictissimus, totus in eo fuit, ut declarationes capitulorum generalium ab anno 1220 ad annum 1379 in compendium redigeret sub certis titulis, ita ut v. g. sub titulo *electio* inveniantur omnes declarationes hac de re tractantes, loco et anno fideliter adiectis. His titulis denique ordine alphabetico dispositis totum opus inscripsit: *Declarationes capitulorum generalium.*

---

(1) Cf. ibidem pag. X.

Dolendum sane, quod acta supradictorum annorum verbis et litteris integra ad nos non pervenerint, attamen ex compilatione laudata compertum habemus qualis fuerit ad annum 1379 textus nostrarum constitutionum.

Huius igitur compilationis excerpta suis locis inserui, in quibus acta ipsa capitularia fuissent recensenda.

Acta denique capitulorum cel. Valentiae a. 1370, Bituricii 1376, Carcassonae 1378, descripsi ex codice III 4, in tabulario generali ordinis Romae asservato. Quorum quidem actorum exemplar, ex archetypo in bibliotheca conventus S. Catharinae Barcinonensis olim reposito desumptum, saeculo elapso (a. 1749) magistro generali ordinis, R[mo] P. Antonino Bremond, transmisit fr. Dominicus Boria, s. theol. lector ac provinciae Aragoniae notarius. Penes quem auctoritas et fides.

Indices, cum tota series actorum capitulorum brevi tempore, ut spero, praelum subeat, singulari volumine absolvam.

Gratias summas ago moderatoribus bibliothecarum et tabulariorum, qui me perquam benevoli adiuverunt. Grates etiam debeo cl. P. Conrado Eubel Ord. Min. Conv., qui mihi in inquirendis nominibus episcoporum non parvi auxilii fuit; necnon sodali dilecto Fr. Alberto Blat, qui in plagulis corrigendis mecum insudavit.

Dabam Romae, die festo b. Benedicti, 1899.

Fr. Benedictus Maria Reichert.
Ord. Praed.

TITULUS COMPLETUS

LIBRORUM PLURIES CITATORUM

Analecta Sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum seu Vetera Ordinis Monumenta Recentioraque Acta, Reverendissimi Patris Fr. Andreae Frühwirth, eiusdem Ordinis Magistri Generalis, iussu edita. Romae, 1893–1899.

Bullarium Ord. FF. Praedicatorum opera Fr. Thomae Ripoll editum. II. Romae 1730.

Denifle-Chatelain, Chartularium Universitatis Parisiensis II. III. Parisiis 1891–1894.

Denifle-Ehrle, Archiv für Litteratur und Kirchengeschichte des Mittelalters. Berlin, 1885 sqq.

Eubel, Hierarchia Catholica Medii Aevi sive Summorum Pontificum, S. R. E. Cardinalium, Ecclesiarum Antistitum Series ab anno 1198 usque ad annum 1431 perducta. Monasterii, 1898.

Masetti, Monumenta et Antiquitates veteris disciplinae Ord. Praed. ab anno 1216 ad 1348 praesertim in Romana Provincia, Praefectorumque qui eandem rexerunt Biographica Chronotaxis. I. Romae 1864.

Scriptores Ordinis Fratrum Praedicatorum recensiti a PP. Iac. Quetif et Iac. Echard. I. Lutetiae Parisiorum, 1719.



Siglis usus sum his:

A1 = Codex Burdegalensis.
A2 = Codex Tolosanus.
B = Codex Florentinus.
BO = Bullarium Ordinis Praedicatorum.
C = Codex Cracoviensis.
D = Codex Ruthenensis.
E = Codex Bononiensis.
F = Codex Francofurtensis.
G = Codex Barcinonensis.
H = Apographum Echardi.
I = Codex Parisiensis n. 12331.
K = Codex Gratianopolitanus.
MOPH = Monumenta Ord. FF. Praedicatorum Historica.
SSOP = Scriptores Ord. Praedicatorum.
Uncinis ( ) inclusi, quae delenda, uncinis [ ], quae addenda esse puto.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM ORDINIS PRAEDICATORUM

VOL. II.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM
ORDINIS PRAEDICATORUM

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS APUD THOLOSAM CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°· CCC°· IIII°·

Confirmamus has constituciones. In capitulo de graviori culpa. ubi dicitur. nec notetur ad aliquod officium. nec ulla ei committatur obediencia. addatur. nec vocem habeat nisi in sua accusacione. Et hec habet ·iii· capitula.

---

1) Sabbato sancto in vigilia penthecostes quod fuit ·xvii°· kal. iunii. anno domini m°· ccc°· iiii°· apud Tholosam congregatis et inclusis in conclavi iuxta morem constitucionum [*et constitucionem* F.] electoribus magistri numero ·XXXVI· in tercio scruptinio electus est ab eisdem canonice in magistrum ordinis frater Aymericus Placentinus. nacione Lombardus. erat autem tunc lector Bononiensis. electus in provincialem Grecie. non tamen elector magistri. sed presens in conventu Tholosano. ·XXXVII· annos habens in ordine. legerat tam in phylosophicis quam in theologia: XXIIII^or· annis. ut ipsemet dixit ibidem. priorque fuerat Bononie [*intravit ordinem Bononie pridie kalendas augusti anno domini m°· cc°· lxvii°·* add. in marg. F] (1).

Erant autem inter electores provinciales ·xiii· hii videlicet qui sequuntur.

Hispanie fr. Egidius de Aravalho [*Ravalho* D] (2).

Francie fr. R[aymundus] Romani. magister in theologia (3).

Romane provincie fr. Hugo (4).

Theotonie: fr. Antonius.

Polonie: fr. Lippoldus [*Lupoldus* F].

Provincie Provincie fr. Iohannes Vigorosi (5).

Lombardie superioris fr. Iacobus vel Quido [*Hugo* C] de Concaneto. [*Conchonate* A2D; *Concavato* F] (6).

Provincie Tholosane fr. Guillelmus [*Bernardus* F] Petri [*de Godino* add. D] bacallarius (7).

Ungarie: fr. Aymericus.

Dacie: fr. P. de Rusquillis.

Terre Sancte: fr. Geraldus Bermundi Petragoricensis.

Boemie fr. Egidius [*qui proprie vocatur Sdilaus apud eos.* add. in marg. A1.] qui fuerat provincialis annis ·XXIIII^or· [*in duabus vicibus* add. D].

Saxonie: fr. Aycardus. magister in theologia. non tamen erat [*fuit* F] confirmatus in die electionis magistri. sed die lune sequenti fuit confirmatus in provincialem a magistro *add. in marg.* A1,2.

2) acta] hec sunt acta B *et sic in sqq.*—apud Tholosam] Tholose CDE.— 4) nec] non *ante* notetur A2CE.

---

(1) De fr. Aymerici electione cf. MOPH II p. 106 ad annum 1304.

(2) De fr. Aegidio Arevalo cf. MOPH III p. 306 l. 25 et notam; p. 310 l. 1.

(3) De fr. Raymundo Romani cf. MOPH II p. 105 ad annum 1300.

(4) De fr. Hugone cf. MOPH III p. 322 l. 7.

(5) De fr. Ioanne Vigorosi cf. l. c. p. 226 l. 12; Douais *Acta* etc. indicem.

(6) De fr. Guidone cf. MOPH II indices; MOPH III p. 323 l. 5.

(7) De fr. Guillelmo Petri cf. l. c. p. 323 l. 2; MOPH II p. 106 ad annum 1304.

Item hanc. In capitulo de apostatis. in fine addatur. nec possit habere officium prioratus. subprioratus. vel lectoratus. sine magistri ordinis licencia speciali. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc. In capitulo de studentibus. ubi dicitur. sex autem provincie. deleatur. et dicatur sic. quelibet autem provincia exceptis Dacie. Grecie et Terre sancte. provideat. ut semper in aliquo conventu ydoneo sit generale studium et sollempne. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc. In capitulo de silencio. ubi dicitur. Prior tamen provincialis etc. deleatur totum usque ibi. si quis autem etc. et dicatur sic. prior tamen provincialis absente magistro ordinis. fratribus secum comedentibus. in sua dumtaxat provincia. possit dare licenciam loquendi. in alia autem provincia? tantum uni. Et hec habet ·ii· capitula.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc. In capitulo de studentibus. ubi dicitur. seculares sciencias non addiscant. post illud. vel prior provincialis. addatur. vel capitulum provinciale.

Item hanc. In capitulo de capitulo generali. ubi dicitur. priori provinciali eunti ad capitulum generale detur socius a diffinitoribus provincialis capituli. addatur. qui in anno provincialium. priore provinciali suo a dicto capitulo absente. debeat cum magistro et provincialibus diffinire. Talis autem semper in socium assignetur qui precedenti anno non fuerit generalis capituli diffinitor. qui si diffinierit? in diffinitorem generalis capituli eligi non valeat anno sequenti. Dictus autem socius ubique in choro sue provincie post provinciales omnes teneat locum suum (1).

Item hanc. In capitulo de sollempni celebracione capituli. ubi dicitur. necessitate vero urgente. etc. magister ordinis etc. in fine addatur et dicatur sic. Quod si in eadem provincia commode celebrari non valeat eodem anno generale capitulum. magister ordinis vel eius vices ge-

2) prioratus] vel *add.* A2F. — vel] nec B. — 6) et *om.* B. — 8) iste sunt approbaciones *om.* CE. — 9) prior *om.* D. — 10) deleatur] sic. prior tamen *add.* A1. — 16) vel *post* illud] nisi D. — 18) in capitulo *om.* D. — ubi dicitur *om.* A1, 2. — 21) debeat] debet B. — provincialibus] presentibus *add.* C. — 22) qui] in *add.* F. — 24) valeat] in *add.* B. — ubique *om.* BCF. — 27) etc. *post* urgente *om.* B. — 29) eius] vicarius *add.* F.

(1) « In choro sue provincie ». Singularum provinciarum rectoribus aut diffinitoribus in capitulo generali certus ordo considendi in perpetuum assignatus fuerat a dextris vel a sinistris magistri ordinis, qui medius praesidebat. Provinciales aut diffinitores a dextris eius considentes locum IN CHORO DEXTRO, a sinistris autem locum IN CHORO SINISTRO obtinere dicebantur. Suprascripta porro inchoatione iubetur socius prioris provincialis absentis a dextris vel a sinistris sedere, prout sedisset ipse provincialis, si adfuisset, tamen post omnes provinciales. Vide primas inchoationes capituli generalis anno 1305 celebrati.

rens. ipso mortuo vel amoto. dictum capitulum ad aliam provinciam mutare poterit. si expediens iudicaverit de consilio discretorum.

Item hanc. In capitulo de silencio. ubi dicitur. omnes fratres ubique intus et extra. etc. post illud. et tunc ipse taceat. addatur. exceptis magistris in theologia (1). prior tamen conventualis possit licenciare unum de secum comedentibus ad loquendum. Si vero plures priores conventuales simul comedere contigerit; prior antiquioris conventus loquatur. et uni loquendi licenciam dare possit.

Item hanc. In capitulo de electione magistri. ubi dicitur. Saxonie. deleatur. Saxonie. et dicatur. Theutonie inferioris.

Item hanc. In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis. ubi dicitur. Saxonie. deleatur Saxonie. et dicatur. Theutonie inferioris.

Item hanc. In capitulo de studentibus. ubi dicitur. Saxonie. deleatur. Saxonie. et dicatur. Theutonie inferioris.

Item hanc. In eodem capitulo. ubi dicitur. Saxonie. deleatur. Saxonie. et dicatur. Theutonie inferioris.

Item hanc. In ordinario in rubrica de festo toto duplici. ubi dicitur. festum totum duplex fiat etc. post illud. que in kalendariis sunt notata. addatur et dicatur sic. feria ·v· infra octavas trinitatis fiat festum totum duplex de corpore Christi. sicut summus pontifex ordinavit. quod si dictum festum in translacione beati Dominici venire contingat; ad sequentem feriam transferatur.

Item hanc. In eodem ordinario in rubrica. de turificacione. ubi dicitur. Si epdomadarius vel aliquis prelatus. etc. post illud. capa serica. addatur. excepto dumtaxat cum magister ordinis vel prior provincialis fuerit in dextro choro. tunc enim ille qui facit officium ipsis deferens ad sedem subprioris transeat in sinistrum.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Indigencie fratrum qui generalibus studiis deputantur subvenire volentes. volumus et ordinamus. ut singule provincie debeant studentibus. quos mittunt ad studia generalia extra provinciam annis singulis de vestibus providere.

---

2) de] fratrum *add.* B. — 3) silencio] studentibus CDF. — 4) etc. *om.* D. — 5) conventualis *om.* B. — 7) prior *om.* F. — 9) hanc *om.* B. — 10) Saxonie *om.* B. — 12) Saxonie *post* deleatur *om.* B. — 15) Saxonie *om.* B. — 16) ubi dicitur *om.* F. — Saxonie *om.* B. — 19) kalendariis] kalendario B. — 20) octavas] octavam F. — 22) venire] evenire CDF. — contingat] contigerit B. — ad] in B. — 24) eodem *om.* CF. — 25) epdomadarius] episcopus F. — 27) enim *om.* C. — 31) ordinamus] iniungimus CDF. — 32) de] in B.

---

(1) De illa clausula « exceptis magistris in theologia » cfr. MOPH III pag. 320 not. 1.

Item. Districte iniungimus prioribus ac eorum vicariis. ut cuilibet fratri indigenti secundum iudicium trium fratrum antiquiorum de conventu. saltem de una veste quolibet anno studeant providere. quod si non fecerint? per provinciales et eorum vicarios in penam a suis officiis absolvantur. quodque visitatores anni illius. in hoc delinquentes provinciali capitulo studeant nunciare.

Item. Cum ex ignorancia actorum tam generalium quam provincialium capitulorum defectus multi proveniant. mandamus districte. quod socii priorum provincialium et diffinitorum pro tempore portent acta capituli generalis ad suas provincias integra. et socii priorum conventualium ad suos conventus deferant acta tam generalis quam provincialis capituli integra? et subpriores conventuales ipsorum admoniciones et ordinaciones scribi faciant in quaterno ad hoc specialiter deputato. Quod si infra duos menses ad suas provincias vel conventus non portaverint seu miserint. per triennium non possint in socios provincialium. seu priorum assumi.

Item. Inhibemus districte. ne subpriores in socios priorum eligantur. qui autem elegerint vel nominaverint deinceps. sint illo anno in tractatu eorum que ad capitulum sunt mittenda. omni voce privati? excepto illo conventu. in quo deberet generale vel provinciale capitulum celebrari.

Item. Ordinamus et mandamus inviolabiliter observari. quod magister studencium in studiis generalibus fiat per illos de quibus in precedenti capitulo extitit ordinatum. ita tamen quod uno anno sit de provincia. in qua est studium? alio vero. de extraneis provinciis quibuscumque. qui per eos melior et ad illud officium magis idoneus fuerit iudicatus (1).

Item. Ordinacionem de provisione diffinitorum et sociorum euncium ad capitulum generale factam in precedenti capitulo · confirmamus. et volumus quod sollicite observetur. mandantes districte prioribus provincialibus ac eorum vicariis. ut diffinitoribus et electoribus anni presentis de expensis quas fecerunt ad capitulum eundo. et facient redeundo? infra mensem postquam ad suas provincias redierint satis facere secundum ordinacionem precedentis capituli generalis non obmittant (2).

---

1) ac] et BD. — 2) de conventu] conventus B. — 3) studeant] studeat BF. — 4) per] priores *add.* CD. — 6) nunciare *om.* C. — 12) conventuales *om.* BCF. — 15) seu] vel B. — provincialium] priorum *add.* B. — 16) priorum] nullatenus *add.* B. — 17) ne] quod B.— priorum *om.* A2 CDF. — 18) anno *om.* A2; anno] facto CDF. — 19) mittenda] illo anno *add.* CDF. — 22) magister.... fiat] magistri.... fiant A2 CDF. — 23) sit] sint CF. — 24) extraneis] aliis BDF. — 25) illud] id CDF. — 27) ordinacionem.... factam] ordinaciones.... factas B. — 29) et volumns *om.* B. — 30) provincialibus *om.* B. — ac — diffinitoribus *om.* F.

---

(1) Cf. MOPH III p. 324 l. 4 sqq.
(2) Cf. MOPH III p. 321 l. 21 sqq.

Item. Cum contra ordinacionem precedentis capituli generalis multum sit relaxatus discursus ad curiam. precipit magister ordinis in virtute obediencie. et spiritus sancti. de provincialium et diffinitorum consensu fratribus universis. quod nullus frater sine magistri ordinis expressa licencia ad curiam accedat (1).

Item. Rogant priores provinciales et diffinitores magistrum ordinis. quod fratres missos in provinciam Grecie ac Terre sancte. de facili non revocet et missos per easdem provincias ad studia generalia nullo modo de dictis provinciis revocet. nisi per aliquos annos moram contraxerint in eisdem.

Item. Cum receperimus querimonias multas. quod priores ex levi causa se a suis capitulis provincialibus subtraxerint. iniungimus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium. ut taliter in hoc delinquentes puniant. quod deinceps sine sufficienti causa non audeant remanere.

Declaramus. quod nullus potest dare licenciam veniendi ad capitulum generale nisi magister ordinis. et provincialis in cuius provincia fuerit capitulum celebrandum fratribus sue provincie. Et ideo magister ordinis inhibet. quod nullus provincialis vel diffinitor vel quicunque alius frater quocumque pretextu det alicui licenciam ad generale capitulum veniendi. volens et statuens. quod qui deinceps cum tali licencia venire ausi fuerint. incurrant penam quam incurrunt sine licencia venientes.

Iste sunt penitencie.

Denunciamus fratres omnes. qui ad presens capitulum generale absque licencia venerunt. ex ordinacione precedentis immediate generalis capituli per biennium omni voce privatos. quam ordinacionem volumus eciam in sequenti anno servari (2).

Item. Cum multi diffinitores et electores se absentaverint hoc anno a capitulo generali. imponimus cuilibet eorum ·v· dies in pane et aqua. et districte iniungimus. quod indispensabiliter eos faciant infra duos menses. postquam hec penitencia ad eorum noticiam venerit.

Item. Cum fratribus euntibus ad gentes per magistrum ordinis sit concessum. quod possint aliquos fratres ydoneos nostri ordinis ad suam

---

1) cum *om.* F. — 2) discursus] decursus F. — 4) consensu] consilio CD. — 5) curiam] Romanam *add.* B. — 7) provinciam] provinciis CD. — ac] et B. — 8) revocet — provinciis *om.* F. — 9) de] a B. — 10) eisdem] dictis provinciis B. — 12) a *om.* B. — subtraxerint] subtrahant B. — 14) in *om.* A2CF. — hoc *om.* CF. — 16) potest] possit B. — 17) et] prior *add.* CD. — et] vel F. — 18) capitulum] generale *add.* F. — 21) volens et statuens *om.* C. — qui] quot B. — 27) eciam *om.* BD. — in *om.* A2BCF. — 28) hoc anno *om.* B. — 29) eorum] ipsorum F.

---

(1) Cf. l. c. p. 322 l. 16 sqq.
(2) Ibid.

societatem assumere. magister ordinis declarat. provincias Grecie et Terre sancte quoad hoc inter ceteras provincias non includi. nec posse deinceps aliquem fratrem de duabus dictis provinciis pretextu quarumcumque litterarum hactenus concessarum assumi.

Item. Absolvimus omnes predicatores generales provincie Romane a capitulo Tudertino citra inclusive in illa provincia institutos.

Iste sunt absoluciones. Absolvimus priores provinciales. Romane provincie fr. Hugo. Terre sancte Bernardus. Boemie fr. Egidius. et provincie Tholosane G. Petri de Godino. quia mittimus ipsum Parisius pro magisterio presentandum (1).

Item. Conventuales Lemovicensem. Petragoricensem. Orthesiensem. Montis Albani et sancti Severi. Et nolumus. quod priores hoc anno absoluti in eisdem provinciis vel conventibus isto anno resumi possint.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre nostro domino Benedicto papa ·xi· et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·xii· missas. et quilibet conventus unam missam conventualem qualibet septimana. et post letaniam dicta oracione. ecclesie. dicatur. oracio. deus omnium fidelium pastor etc.

Item. Pro venerabili patre fratre Nycholao de Prato Hostiensi et Velletrensi episcopo quilibet sacerdos ·iiii^{or}· missas (2).

Pro domino rege Francie et regina ·iiii· missas.

Pro rege Anglie et regina ·iiii· missas etc.

Summa pro vivis ·lxx·

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro domino Bonifacio papa ·viii^{o}· hoc anno defuncto quilibet sacerdos ·iii· missas (3).

Pro venerabili patre fr. Bernardo de Iuzico. quondam magistro ordinis hoc anno defuncto quilibet sacerdos ·i· missam. preter suffragia que ei ex constitucione debentur (4).

---

2) provincias] Grecias (!) *add.* F. — 3) fratrem *om.* F. — 8) *nomina provincialium in* A1, 2 *adduntur in margine, in* CDEF *in textu ipso leguntur; om. vero* B. — 9) ipsum] eum B. — 11) item — viderit expedire *om.* B. — 16) ·XII·] ·XI· CDF. — 21) et regina *om.* CD. — 22) pro — etc. *om.* D. — 25) hoc anno defuncto *om.* CDF. — 27) Iuzico] Uizico F. — 29) ei *om.* CDF. — ex] in F. — constitucione] consuetudine D.

---

(1) De ffr. Hugone, Egidio, G. Petri de Godino cf. supra pag. 1 notas appositas; quod attinet provincialem provinciae Terrae sanctae, auctor notae marginalis (p. 1) in errorem incidisse videtur, cum acta eum designent nomine Bernardi, ille vero nomine Geraldi.

(2) Fr. Nicolaus Alberti de Prato prom. 1303 dec. 18; † Avinione die 1 april. 1321. Eubel l. c. p. 13.

(3) Obiit Bonifacius Romae 1303 oct. 11; Eubel l. c. p. 11.

(4) De fr. Bernardo de Juzico cf. MOPH III p. 301 not. 3.

Denunciamus fratribus universis. quod tenentur ad suffragia pro fratre Guillelmo de Maglifil diffinitore Anglie. in capitulo Bisuntino. defuncto post ipsum capitulum. antequam ad conventum proprium pervenisset. etc. (1).

Summa missarum pro defunctis ·ix· et pro duabus personis sicut pro fratre defuncto et sic sunt ·xv·

Pro qualibet missa superius posita. quilibet clericus non sacerdos ·vii· psalmos cum letania. et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania more solito in profestis diebus dicatur preterquam in diebus rogacionum: et pro sanctissimo patre nostro pontifice collecta. deus omnium fidelium pastor et rector. dicatur post oracionem. ecclesie tue.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium. ut ipse de magistris et bacallariis ordinet et disponat prout utilitati et promocioni studiorum viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Capitulum generale sequens assignamus apud Ianuam in provincia Lombardie superioris. ordinantes. quod diffinitores veniant ad locum capituli dominica infra octavas ascensionis domini. Nullus autem alius. eciamsi licenciam habeat. locum capituli intret ante ·vi· feriam vigiliam pentecostes precedentem.

Actis additae sunt litterae papae Benedicti XI. cf. POTTHAST II. *n. 25389; et litterae magistri ordinis; cf. app. n. LVI.*

---

2) Maglifil] Maglifel D; Magilfel F. — Hic frater Gulielmus Anglicus. magister in theologia. factus fuit cardinalis Romanus. erat tamen mortuus. set papa nesciebat. in ieiuniis ·IIIIor· temporum adventus· anno domini m°· ccc°· iiii°· *add. in marg.* A1 CF. — 5) missarum *om.* A1, 2 CDEF. — et — ·XV· *om.* D. — 6) ·XV·] etc. F. — 8) conversus *om.* C. — 12) et rector] etc. F. — 15) prout] generali *add.* D. — prout] generali capitulo *add.* C. — et promocioni studiorum] ordinis CDF. — 18) ordinantes — precedentem *om.* B. — ad locum capituli *om.* CF.

---

(1) Fr. Guillelmus Marlesfeld (prom. 1303 die 18 dec. EUBEL l. c. p. 13). De fr. Nicolao de Prato supra laudato et fr. Guillelmo haec Nicolaus noster Trivetus refert: Papa Benedictus fratrem Nicolaum de Prato Episcopum Spoletanum, ad cardinalatum assumens, fecit episcopum Ostiensem: Fratrem etiam Willelmum Makelesfelde, Doctorem sacrae Theologiae Ordinis Praedicatorum, natione Anglicum Dioecesis Conventrensis, tituli S. Sabinae fecit Presbyterum Cardinalem, qui antequam ad eum rumor pervenisset, infirmatus et ad extremam horam perductus in Domino obdormivit. D'ACHERY *Spicilegium*. Parisiis 1723 tom. III p. 229.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS IANUE CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· V°·

Confirmamus has constituciones. In capitulo de silencio, ubi dicitur: Prior tamen provincialis etc. deleatur totum usque ibi: Si quis autem etc. et dicatur sic: prior tamen provincialis absente magistro ordinis fratribus secum comedentibus, in sua dumtaxat provincia, possit dare licenciam loquendi, in alia autem provincia tantum uni. Et hec habet ·iii· capitula.

Approbamus hanc. In capitulo de studentibus, ubi dicitur: seculares sciencias non addiscant, post illud: vel prior provincialis, addatur: vel capitulum provinciale. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc. In capitulo de solempni celebracione capituli, ubi dicitur: necessitate vero urgente, magister ordinis etc. in fine addatur et dicatur sic: quod si in eadem provincia commode celebrari non valeat eodem anno capitulum generale, magister ordinis vel eius vices gerens, ipso mortuo vel amoto, dictum capitulum ad aliam provinciam mutare poterit, si expediens iudicaverit de consilio discretorum. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc. In capitulo de silencio, ubi dicitur: omnes fratres ubicumque intus et extra etc. post illud: et tunc ipse taceat, addatur: exceptis magistris in theologia. Prior tamen conventualis possit licenciare unum de secum comedentibus ad loquendum. Si vero plures priores conventuales simul comedere contigerit, prior antiquioris conventus loquatur et uni loquendi licenciam dare possit. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc. In ordinario in rubrica de festo toto duplici, ubi dicitur: festum totum duplex fiat, post illud: que in kalendariis sunt notata, addatur: feria ·v^a^· infra octavas trinitatis fiat festum totum duplex de corpore Christi, sicut summus pontifex ordinavit. Quod si festum in translacione b. Dominici evenire contigerit, ad sequentem feriam transferatur. Et hec habet ·ii· capitula.

Item. In ordinario in rubrica de turificacione, ubi dicitur: cum epdomadarius vel aliquis prelatus etc. post illud: cappa serica, addatur: excepto cum magister ordinis vel prior provincialis fuerit in choro; tunc

---

9) capitula] iste sunt approbaciones *add.* B. — 16) ordinis *om.* B. — 18) iudicaverit] et *add.* D. — de] fratrum *add.* B. — 20) de] in F. — fratres *om.* B. — 21] ubicumque] ubique F. — 26) dicitur *om.* A2CDF. — 27) fiat] etc. *add.* B. — kalendariis] kalendario B. — 28) addatur] et dicatur sic *add.* B. — 29) ordinavit] ordinaverit A2F. — si] dictum *add.* B. — 30) contigerit] contingit A2. — 32) item] hanc *add.* B. — in] eodem *post* item *add.* B. — cum] si B. — 33) epdomadarius] episcopus A2. — 34) excepto] dumtaxat *add.* B. — in] dextro *add.* B.

enim ille, qui facit officium, ipsis deferens, ad sedem subprioris transeat in sinistrum. Et hec habet ·ii· capitula.

Iste sunt inchoaciones. Inchoamus hanc, quod provincie Hyspanie et Aragonie reuniantur, et reunimus eas ita, quod sint una provincia et provincia Hyspanie nominetur et in dextro choro teneat primum locum.

Item hanc, quod provincia Tholosana Provincie reuniatur, que vocetur provincia Provincie et teneat primum locum in choro sinistro.

Item hanc, quod provincie Theutonie et Saxonie reuniantur, et sint una provincia, que vocetur provincia Theutonie et in dextro choro teneat locum post provinciam Hispanie.

Item hanc, quod provincie Polonie et Boemie reuniantur et sint una provincia, que vocetur provincia Polonie et in dextro choro teneat locum post provinciam Theutonie.

Item, quod provincia Lombardie inferioris et superioris reuniantur et vocentur provincia Lombardie et in sinistro choro teneat locum post provinciam Provincie.

Item hanc. In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: Parisiensis conventus provincialibus Hyspanie, Tholosane provincie, deleatur totum usque ibi: teneatur quam cicius intimare, et dicatur sic: Parisiensis conventus provincialibus Hyspanie, Provincie, Anglie, Theutonie, Dacie; Bononiensis vero Ungarie, Romane provincie, regni Sicilie, Polonie, Grecie, Terre sancte.

Item hanc. In eodem capitulo, ubi dicitur: provinciales igitur ·xviii· provinciarum, deleatur ·xviii· et dicatur ·xiii·

Item hanc. In eodem capitulo, ubi dicitur: qui inter alios ·xviii· provinciales, deleatur ·xviii· et dicatur ·xiii·

Item hanc. In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: statuimus, quod in singulis annis et singulis capitulis provincialibus, deleatur totum quod sequitur usque ibi: ·iiii· fratres, et dicatur sic: Hyspanie, Provincie, Francie, Lombardie, Romane provincie, regni Sicilie, Ungarie, Theutonie, Anglie, Grecie, Polonie, Dacie, Ierosolymitane provincie.

Item hanc. In eodem capitulo, ubi dicitur: dictarum ·xviii· provinciarum, deleatur ·xviii· et dicatur ·xiii·

---

3) provincie] provincia F. — 4) et] que *post* provincia A2 B. — 5) nominetur] vocetur B. — 6] Tholosana] et provincia *add.* BF. — reuniatur] et reunimus eas ita quod sit una provincia *add.* B. — et sint una provincia *add.* F. — 7) provincia *om.* A2. — 8) provincie] provincia BF. — et] reunimus eas ita quod *ante* sint *add.* B. — 9) que vocetur provincia *om.* A2 D. — 10) Hispanie] Theutonie A2 DF; Romanam BC. — 11) item -- Theutonie *om.* A2. — provincie] provincia B. — et] reunimus eas ita quod sint una *add. ante* sint B. — 14) item] hanc *add.* B. — provincia *om.* A2 CD. — 15) et] reunimus eas ita quod sint una provincia et *add.* B. — vocentur] vocetur BF. — locum *om.* C. — 18) Tholosane] Theutonie B. — provincie] etc. *add.* B. — 22) sancte] tenentur quam cicius intimare *add.* B. — 23) capitulo *om.* A2. — 25) hanc *om.* A2 BDF. — capitulo *om.* B. — 28) in singulis annis et *om.* CB. — 29) totum *om.* A2 BD. — 31) Theutonie] Tholosane A2.

Item hanc. In capitulo de studentibus, ubi dicitur: tres fratres tantum mittantur Parisius de provincia ad studendum etc. deleatur usque ibi: quelibet autem provincia.

Item hanc. In eodem capitulo, ubi dicitur: quilibet autem prior provincialis potestatem habeat mittendi ad studium duos fratres, deleatur, quod sequitur usque ibi: quod si in aliqua dictarum provinciarum.

Item hanc. In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: predicti autem ·xviii· diffinitores, deleatur ·xviii· et dicatur ·xiii·

Item. Ibidem ubi dicitur: ·xviii· provinciales, deleatur ·xviii· et dicatur ·xiii·

Item. Inchoamus hanc, quod quecumque constitucio inveniatur repugnans constitucionibus inchoatis de reunione provinciarum totaliter destruatur.

Item hanc. In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: vices prioris provincialis in omnibus obtineat, addatur: idem dicimus, si generale capitulum contingat ad aliam provinciam transferri, videlicet quod auctoritas vicarie ad provinciam illius provincie cum capitulo transferatur.

Item hanc. In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: statuimus, ut si ante festum sancti Michaelis, addatur: vel in ipso festo.

Item. In eodem capitulo, ubi dicitur: si autem post dictum festum etc. deleatur totum usque ibi: mortuo igitur magistro etc. et dicatur sic: Si autem inter festum sancti Michaelis et resurrectionis magister decesserit vel ipsum amoveri contigerit, ipsius obitus nichilominus vel amocio nuncietur, ut supersedeatur illo anno a capitulo generali. Si autem in ipso festo resurrectionis vel post usque ad terciam feriam post festum trinitatis exclusive magistrum mori vel amoveri contigerit, nichilominus in illo anno per diffinitores vel per provinciales in anno provincialium capitulum celebretur cum vicario ordinis, si sit presens; si autem vicarium in aliquo casu abesse contigerit, unus de ipsis diffinitoribus capituli ab aliis diffinitoribus vel a maiori parte eorum in magistri vicarium assumatur, qui vices eius obtineat secundum formam, que infra in capitulo de generali capitulo est expressa.

---

1) hanc *om.* A2. — fratres *om.* B. — 2) studendum] studium BCF. — etc. *om.* B. — deleatur] totum quod sequitur *add.* B. — 3) quelibet — dicitur *om.* A2. — 4) capitulo *om.* B. — autem *om.* B. — 5) deleatur] totum *add.* B. — 6) ibi] ad illum locum B. — si *om.* A2 CD — 7) item — ·XIII· *om.* A2 CDF. — 13) destruatur] deleatur B. — 17) provinciam] provincialem BCDF. — 19) hanc *om.* A2. — 20) sancti *om.* BF. — addatur — Michaelis *om.* A2. — 21) capitulo *om.* B. — 22) etc. *ante* et *om.* A2. — 23) sancti *om.* B. — et] festum *add.* B. — 25) vel — diffinitores *om.* A2. — ut] et B. — 27) post festum *om.* CDF. — 28) in *om.* B; in — provinciales *om.* C; in — vel *om.* DF. — per *om.* B. — 29) provincialium] vel per diffinitores *add.* A2. — 30) in *om.* BCF. — contigerit] contigit A2. — ipsis *om.* B. — 31) diffinitoribus] eiusdem *add.* B. — aliis] ipsis B. — a *om.* A2 B. — 32) assumatur] eligatur B. — eius *om.* B. — 33) capitulo de *om.* A2. — expressa] expressum F.

Item. In ordinario in rubrica de concomitancia festivitatum, ubi dicitur: quando autem unum festum simplex post aliud festum simplex evenerit, post illud: memoria fiat de primo festo, addatur: preterquam in octavis beati Dominici, que habeant vesperas suas integras, et de sequenti festo memoria tantum fiat.

Item hanc, quod fiat festum duplex de sancto Vincencio.

Item hanc, quod fiat festum trium lectionum de sancto Alexio ·xvi· kalendas augusti, et magister curet de officio providere.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Ordinamus et districte iniungimus, quod socii provincialium et diffinitorum pro tempore portent acta capituli generalis ad suas provincias integra, et socii priorum conventualinm deferant ad suos conventus tam acta capituli generalis quam provincialis integra sub pena, qua in precedenti capitulo extitit ordinatum, imponentes prioribus vel eorum vicariis, quod ipsa faciant in suis conventibus quater in anno legi (1).

Item. Cum ordinacio precedentis generalis capituli circa studentes generalium studiorum de dandis vestibus a multis male fuerit observata, districte iniungimus prioribus provincialibus et eorum vicariis universis, quod cuilibet studenti misso extra provinciam ad generale studium, provideant pro vestibus duos florenos cuilibet eorum singulis annis transmittendo. Ut autem transgressores ordinacionis huius puniri possint condigne, volumus, quod studentes, quibus iuxta huiusmodi ordinacionem provisum non fuerit, magistro denuncient ad tardius ad sequens capitulum generale (2).

Item. Districte iniungimus prioribus universis ac eorum vicariis, ut fratribus indigentibus de vestibus provideant, secundum quod in precedenti capitulo fuerat ordinatum. Et super hoc priores provinciales et visitatores diligenter inquirant; et si priores vel eorum vicarii inventi fuerint negligentes, per capitulum provinciale absolvantur in penam; et nichilominus eos presenti ordinacione eligibilitate illo anno privamus. Sub eadem districtione et pena iniungentes prioribus eisdem ac vicariis, quod infirmis provideant de servitoribus et necessariis secundum suarum infirmitatum exigenciam et conventuum facultatem (3).

1) item] hanc *add.* B. — 2) autem *om.* A2. — 3) evenerit] etc. *add.* B. — 4) octavis] festo F. — habeant] habent B. — 6] hanc *om.* A2. — sancto] beato B. — 7) fiat — lectionum] fiant tres lectiones B. — sancto] beato B: sancto *om.* C. — 8) curet providere] provideat B. — 10) socii] priorum *add.* BF. — 14) vel] et B. — 16) cum *om.* A2F. — precedentis *om.* F. — 20) pro] de B. — eorum] pro hoc *add.* B. — singulis *om.* F. — 27) priores *om.* B. — 28) vicarii] in hac parte *add.* B. — 30) eos *om.* B.— 31) ac] atque CDF. — ac] eorum *add.* B. — 32) et *om.* B. — 33) et conventuum facultatem *om.* B.

(1) Cf. supra pag. 4 l. 7 sqq.
(2) Cf. supra pag. 3 l. 30 sqq.
(3) Cf. supra pag. 4 l. 1 sqq.

Item. Volumus et ordinamus, quod diffinitores provincialis capituli scrutinia priorum conventualium nemini valeant revelare.

Item. Ordinamus, quod quandocumque fratres processionaliter vadunt ad salve Regina apertis ianuis capis induti incedant propter ordinis honestatem. Idem fiat in aliis processionibus quibuscunque; in missis quoque conventualibus idem volumus observari.

Item. Cum circa studia et studentes cura et cautela sit diligens adhibenda, ordinamus, quod nullus ad legendum logicalia mittatur, nisi prius audierit logicam novam duobus annis, naturalia vero duobus, et per lectorem principalem et lectorem naturalium fuerit approbatus. Ad legendum vero naturalia nullus mittatur, nisi legerit sentencias, ubi commode poterit observari, vel saltem sentencias duobus annis audierit, et in questionum responsionibus et obiectionibus testimonio principalis lectoris, cursoris, ubi cursor fuerit, et magistri studencium ad hoc fuerit iudicatus sufficiens; nullus exponatur ad legendum ordinarie, nisi prius in aliquo particulari studio sentencias audierit duobus annis, et duobus ad minus in aliquo studio generali, si in provincia sua fuerit, et sic ad legendum ordinarie exponatur, si supradicto modo fuerit approbatus.

Item. Ordinamus, quod nullus rediens de aliquo studio generali, Parisiensi dumtaxat excepto, illo anno ponatur lector principalis, nisi prius reponatur per annum in studio generali, si in sua provincia fuerit, ut ex hoc de studencium profectu cercior noticia possit haberi, et per eos magis studium sue provincie vigorari.

In studiis vero sentenciarum nullus principalis lector ponatur, nisi de studio Parisiensi redierit, vel lectionem principalem, vel sentencias in provincia sua laudabiliter legerit. Et quia premissa non possunt sine studio arcium observari, volumus et ordinamus, quod omnes provincie ad providendum de naturarum studiis teneantur.

Item. Ordinamus de mittendis ad studia: primo quod nullus ad studium logicale mittatur, nisi saltem in ordine bene et religiose duobus annis fuerit conversatus vel alias in seculo fuerit etate provectus et in logicalibus instructus. Ad naturarum vero studium nullus mittatur, nisi logicalia in ordine vel in seculo ad minus tribus annis audierit et in

1) capituli] circa F. — 4) vadunt *om.* A2CD. — capis] capuciis A2. — incedant] procedant B. — 5) idem fiat] et B; quod *add.* F. — in missis quoque] et in missis B. — 7) studia] studentes B. — studentes] eorum studia B. — cura et *om.* B. — 8) logicalia] logicam B. — 9) annis *om.* A2C. — 12) annis *om.* B. — 14) lectoris] lectionis A2. — fuerit] fuit *post* cursor A2. — 15) sufficiens *om.* A2. — ordinarie] vero sentencias B. — 17) in] questionum responsionibus et obiectionibus supradictorum testimonio verbo vel scripto perhibito ad hoc ydoneus sit inventus. Postquam vero sentencias legerit. reponatur adhuc per unum annum in *add.* BF. — aliquo *om.* BF. — 21) ut *om.* A2. — 22) cercior] melior B. — 26) sua *om.* F. — 27) arcium] naturalium B. — 28) naturarum] naturalibus B. — 30) in ordine *om.* B. — et *om.* DF. — 33) logicalia] logicam A2E. — ad minus *om.* B.

eis testimonio lectoris et magistri fuerit sufficienter instructus. Ad sentencias vero audiendas non mittantur, nisi per duos annos ad minus naturas audierint. In studiis autem naturalibus et logicalibus repetantur diebus singulis lectiones et ipsas singulis septimanis studentes magistro suo reddere teneantur, et eorum magister sit ad audiendum obligatus. Nullus autem mittatur ad studium generale sive in sua provincia sive extra, nisi ordine premisso in logicalibus et naturalibus sufficienter profecerit et saltem duobus annis in aliquo particulari studio sentencias audierit, et testimonio lectoris et cursoris et magistri studencium de eo spes multum probabilis habeatur, quod ad lectoris officium ydoneus sit futurus. In ipsis vero studiis generalibus, magister studencium semel ad partem, nisi legitimum impedimentum occurrat, disputet omni septimana per totum annum. Ipsi autem principales lectores saltem usque ad festum sancti Iohannis suum continuare studium teneantur. Communes autem fratres singulis diebus ad scolas veniant et ibi lectiones audiant, alias illa die a vino vel a pitancia sine dispensacione abstineant, si eos sine causa racionabili et licencia speciali prioris vel eius vicarii deesse contingat. Priores autem, qui has penas non fecerint observari, ad easdem faciendas obligentur, aliter visitatorum testimonio in capitulo provinciali contra eos acriter procedatur. Studentes insuper, qui in actibus scolasticis inventi fuerint notabiliter negligentes seu insufficientes per priorem provincialem a studiis absolvantur et in aliis officiis occupentur.

Volumus autem et ordinamus, quod in uno conventu non sit nisi unus lector principalis, et in locis, ubi duo lectores consueverunt poni, cursor sentenciarum loco alterius assignetur. Et ut hec omnia firmiter observentur, volumus et iniungimus, quod visitatores singulis annis teneantur de hiis, qui ad legendum logicalia, naturas et sentencias, et ad mittendum ad studia generalia apti fuerint, diligenter inquirere et lectores, a quibus audierint, necnon et magistri studencium ab eis in eorum conscienciis requisiti teneantur fidele testimonium perhibere. Priores autem provinciales eadem districtione teneantur, secundum testimonia sic recepta de studiis et studentibus fideliter providere.

Item. Volumus et ordinamus, quod ad studia generalia assignata provinciis Ungarie, Polonie, Boemie studens aliquis extraneus non mittatur, donec per magistrum ordinis et generale capitulum aliter fuerit ordinatum.

---

1) magistri] sui *add.* B. — 4) lectiones *om.* A2. — singulis septimanis] semel in septimana B. — magistro suo] magistris suis B. — 6) sive] in alio *ante* extra *add.* B. — 7) nisi *om.* A2. — 10) lectoris] lectorie B. — 14) festum sancti Iohannis] pentecosten B. — 15) et *om.* A2. — ibi] ibidem BD. — 19) aliter] alias B. — 20) studentes] contendentes A2. — 24) et in locis] in locis vero B. — 26) quod] et C. — 27) naturas] naturalia BF. — 29) eis] hiis B. — 30) conscienciis] consciencia B. — priores — providere *om.* B. — 33) assignata] a *add.* B.

Volumus autem et ordinamus, quod studentes in naturalibus et logicalibus non teneantur ire ad scolas principalis lectoris, nisi quando disputat.

Iste sunt penitencie.

Absolvimus hos priores: fratrem Marusinum priorem Brixiensem, fr. Bertholinum priorem Papiensem et fr. Fortunum priorem Novariensem; et hoc in penam, quia non dederunt isto anno vestes fratribus indigentibus secundum ordinacionem precedentis capituli generalis (1).

Denunciamus omnes fratres, qui sine licencia ad presens generale capitulum venerunt, ex ordinacione precedentis immediate generalis capituli per biennium omni voce privatos; quam ordinacionem volumus et sequenti anno observari.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Lombardie superioris et Polonie.

Item conventuales Mediolanensem, Tredonensem etc.

Volumus autem, quod priores hoc anno absoluti in eisdem conventibus vel provinciis ad eadem officia resumi non possint.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre ac domino summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·vi· missas et quilibet conventus unam de beata virgine.

Pro venerabilibus cardinalibus domino Nicholao Ostiensi et Velletrensi episcopo (2) et domino Galtero, fratribus nostris, quilibet sacerdos ·iv· missas etc. (3).

Summa pro vivis ·lx·

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro sanctissimo patre domino Benedicto summo pontifice quilibet sacerdos ·vi· missas et quilibet conventus totum officium mortuorum et missam solempniter in conventu etc. (4).

Summa missarum pro defunctis ·xviii· et quilibet conventus ·iii·

Letania in ·xl^{a}· et in vigiliis ab ecclesia institutis intus et extra ab omnibus fratribus dicatur; et fiat memoria de b. virgine in vesperis et matutinis, sicut in capitulo Bisuntino extitit ordinatum (5).

1) volumus autem] item volumus B. — 5) Marusinum] Marchisinum B. Marcisinum F. — 6) et *om.* F. — 9) sine] absque B. — 11) et] eciam BF. — 12) observari] servari C. — 15) item — conventus ·III· *om.* B. — 25) ·LX·] ·LV· F. — 28) mortuorum] defunctorum CF; defuncto D. — 33) Bisuntino *om.* A2D.

(1) Cf. supra pag. 4 l. 1 sqq.

(2) De fr. Nicolao cf. supra pag. 6 l. 19.

(3) Fr. Gualterus Winterburn, Saresberiensis, familiaris regis Angliae prom. 19 febr. 1304; † Ianue 1305 sept. 24, sepultus Londini. Eubel l. c. p. 13.

(4) Obiit Benedictus XI Perusii 1304 iul. 7. Eubel l. c. p. 12.

(5) Cf. MOPH III pag. 321 l. 36 sqq.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum etc.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus Parisius in provincia Francie ordinantes, quod diffinitores ad locum capituli veniant dominica infra octavas ascensionis domini.

Nullus autem alius, et si licenciam habeat, locum capituli intret ante ·vi^am^· feriam vigiliam pentecostes precedentem.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LVII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS PARISIUS CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°·CCC°·VI°·

Confirmamus has constituciones. In capitulo de studentibus, ubi dicitur: seculares sciencias non addiscant, post illud: vel prior provincialis, addatur: vel capitulum provinciale. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc. In capitulo de solempni celebracione capituli, ubi dicitur: necessitate vero urgente, magister ordinis etc. in fine addatur et dicatur sic: quod si in eadem provincia commode celebrari non valeat eodem anno capitulum generale, magister ordinis vel eius vices gerens, ipso mortuo vel amoto, generale capitulum ad aliam provinciam mutare poterit, si expediens iudicaverit de fratrum consilio discretorum. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc. In capitulo de silencio, ubi dicitur: omnes fratres intus et extra etc. post illud: et tunc ipse taceat, addatur: exceptis magistris in theologia; prior tamen conventualis possit licenciare unum de secum comedentibus ad loquendum. Si vero plures priores conventuales simul comedere contigerit, prior antiquioris conventus loquatur, et uni loquendi licenciam dare possit. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc. In ordinario in rubrica de turificacione, ubi dicitur: si epdomadarius vel aliquis prelatus etc. post illud: capa serica, addatur: excepto dumtaxat dum magister ordinis vel prior provincialis fuerit in dextro choro, tunc enim ille, qui facit officium, ipsis deferens, ad sedem subprioris transeat in sinistrum. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt approbaciones.

---

1) committimus — etc. *om.* B. — 3) sentencias iudicum approbamus *om.* A2 CDF. — 5) ordinantes — precedentem *om.* B. — 7) et *om.* A2 C; et] eciam F. — 17) ordinis *om.* F. — 19) anno] modo CDF. — capitulum generale *om.* A2 CD. — 20) generale] dictum B. — 21) discretorum] discreto C. — 24) illud *om.* A2 D. — 30) epdomadarius] episcopus A2 CD. — 31) dum] cum B.

Aprobamus hanc. In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: vices provincialis in omnibus obtineat, addatur: idem dicimus, si generale capitulum contingat ad aliam provinciam transferri, videlicet quod auctoritas vicarie ad provincialem illius provincie cum capitulo transferatur. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc. In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: statuimus, ut si ante festum sancti Michaelis, addatur: vel in ipso festo. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc, quod fiant tres lectiones de s. Alexio ·xvi· kalendas augusti, et magister ordinis curet de officio providere. Et hec habet ·ii· capitula.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc. In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: predicatores autem generales dicimus etc. deleatur quod sequitur usque ibi: quos instituendi, et dicatur sic: qui de communi consensu provincialis et omnium diffinitorum provincialis capituli, nemine discrepante, fuerint instituti.

Item hanc. In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: si autem post dictum festum etc. deleatur totum usque ibi: mortuo igitur magistro, et dicatur sic: si autem inter festum s. Michaelis et festum resurrectionis magister decesserit vel ipsum amoveri contigerit, ipsius obitus vel amocio nichilomimus nuncietur, ut supersedeatur illo anno a capitulo generali. Si autem ipso festo resurrectionis vel post usque ad terciam feriam post festum trinitatis exclusive magistrum mori vel amoveri contigerit, nichilominus illo anno per diffinitores in anno diffinitorum vel per provinciales in anno provincialium capitulum celebretur cum vicario ordinis, si sit presens; si autem vicarium aliquo casu abesse contigerit, unus de diffinitoribus presentis capituli vel provincialibus a maiori parte eorum in vicarium ordinis assumatur, qui vices magistri obtineat secundum formam, que infra in capitulo de generali capitulo est expressa.

Item hanc. In eodem capitulo, ubi dicitur: hoc autem ita fiat, ut semper in secunda feria etc. post illud: presentem vel absentem, addatur: quando in illo capitulo est magistri electio celebranda.

Item hanc. In eodem capitulo, ubi dicitur: mortuo magistro vel a magisterio amoto, post illud: quousque magister sit electus, addatur: si in ipso capitulo debuerit magistri electio celebrari. Si autem in ipso ca-

1) hanc *om.* A2. — 2) ubi dicitur *om.* F. — vices] prioris *add.* B. — 10) ordinis *om.* DF. — curet providere] provideat B. — 13) usque ibi] ubi A2. — 18) festum] sancti Michaelis *add.* B. — 20) magister *om.* CF. — 21) ut] et BD. — 22) autem] in *add.* BCD. — 24) nichilominus *om.* F. — illo anno *om.* B. — 25) per *om.* CD. — capitulum *om.* CD. — 26) cum vicario] et per vicarium B. — 27) presentis] eiusdem B. — provincialibus] vel *add.* A2 CDF. — 28) ordinis] magistri B. — 31) item — celebranda *om.* A2. — eodem *om.* B. — 35) magister] ordinis *add.* B. — ?6) ipso] illo B.

pitulo non fuerit magistri electio facienda, terminato capitulo, tam in anno diffinitorum quam in anno provincialium, vicarii auctoritas expiret et prior provincialis provincie, ubi sequens capitulum fuerit celebrandum, vices magistri in omnibus obtineat.

Item. In capitulo de apostatis, in fine addatur: quicumque literas magistri ordinis vel priorum provincialium vel sigilla eorumdem falsificaverit, eamdem incurrat excommunicacionis sentenciam ipso facto.

Item hanc. In ordinario in rubrica ad memoriam faciendam de b. virgine etc. ponatur in principio: per totum annum fiat memoria de b. virgine in vesperis per antiphonam: Regali ex progenie, versum: Ora pro nobis, collecta: Protege. In matutinis vero per antiphonam: Sub tuum, versum: Post partum, et oracionem predictam ante memoriam de b. Dominico diebus, quibus memoria de b. Dominico fieri consuevit, et infra octavas exceptis diebus, quibus secundum ordinarium de ea festum vel memoria sunt agenda.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Ordinamus et volumus, quod nullus lector sine licencia magistri vel prioris provincialis vel eius vicarii aut diffinitorum de quolibet audeat disputare, nisi ubi fratrum vel secularium viget studium generale.

Item. Cum circa studium sit cura diligens adhibenda, mandamus, quod ordinaciones de studiis et provisione facienda studentibus et duobus principalibus lectoribus non ponendis in uno conventu, necnon de dandis vestibus et procurandis infirmis facte in capitulo Ianue celebrato in suo vigore permaneant et sub penis insertis ibidem cum exacta diligencia observentur, hoc excepto, quod studentes tam arcium quam naturalium teneantur ire ad scolas theologie, ubi in diversis conventibus et provinciis extiterit hactenus observatum (1).

Item. Quia circa profectum iuvenum studencium est sollicite vigilandum, ut ipsi tanto amplius in sciencia et religione proficiant, quanto eis subtracta fuerit materia discurrendi, volumus et mandamus, quod studentes huiusmodi a conventibus, quibus pro studio assignati fuerint, non recedant sine causa necessaria et urgente ac expressa licencia, donec in provinciali capitulo de eis fuerit aliter ordinatum.

Item. Cum ex diversitate cantus multa deformitas appareat, quod

3) expiret] aspiret B.— 4) obtineat] obtinebit F.— 5) item] hanc *add.* B.— 6) vel] seu *ante* sigilla B. — 7) falsificaverit] falsaverit A2D; falisaverit C. — 13) diebus — Dominico *om.* A2. — 14) octavas] eiusdem *add.* BD. — 18) diffinitorum] capituli generalis *add.* B. — 19) fratrum vel secularium *om.* B. — 20) cura] sollicitudo B. — 22) principalibus *om.* A2 CDF. — 23) in] preterito *add.* B. — 24) insertis] inscriptis A2 B. — 25) quam]. eciam *add.* BF. — 26) naturalium] naturarum F. — ubi] nisi A2BD. — 27) extiterit] existitit C. — 30) eis] amplius *add.* B. — 34) deformitas] vel difformitas *add.* B.

(1) Cf. supra pag. 12 l. 7 sqq.

quidem regule nostre manifestius repugnat, districte prohibemus, ne in conventibus nostris in choro cantetur quippiam vel legatur, nisi quod legendum fuerit vel cantandum secundum nostri ordinis instituta.

Item. Cum ex inordinato habitu conversorum multa in diversis provinciis sint merito punienda, districte iniungimus prioribus universis ac eorum vicariis et maxime Theutonie et Saxonie, de quibus super hoc magnam querelam recepimus et clamorem, quod usque ad festum instans purificacionis secundum constitucionis tenorem eorumdem habitum corrigi et reformari faciant cum effectu, alioquin absque omni dispensacione tam priores quam eorum vicarii duobus diebus ieiunent in pane et aqua in singulis septimanis, quousque predicta duxerint corrigenda.

Item. Cum in diversis provinciis sint predicatores generales in nimis notabili numero instituti, mandamus et imponimus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium huius anni, quod in isto anno predicatores generales non faciant; teneantur autem iidem provinciales vel eorum socii numerum generalium predicatorum de suis provinciis deferre ad sequens capitulum generale.

Item. Cum, sicut intelligimus ex diversarum provinciarum querelis, in ponendis collectis et pecuniarum exactionibus nonnulli conventus in diversis provinciis sint gravati, huiusmodi collectas de cetero fieri prohibemus; ut tamen necessitati tam studencium quam aliorum negociorum, que provincialatus incumbunt officio, possit commodius provideri, concedit magister ordinis de diffinitorum consilio ac assensu, quod ad provinciales singulos in suis provinciis cuiuslibet fratris decedentis unum volumen melius, quod habuit, pertineat, ipso facto. De quibus receptis expensis teneantur in suis provincialibus capitulis reddere racionem, nisi aliquis casus novus et urgens emerserit in aliqua provincia, propter quem provisionem ampliorem necessario fieri oporteret.

Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, quod nullus frater vadat ad curiam Romanam sine sua licencia speciali; poterit tamen provincialis quilibet duos fratres de sua provincia mittere ad dictam curiam pro negociis sue provincie procurandis.

Item. Cum prelatorum crebrius indigeamus gracia et favore, volumus et iniungimus fratribus universis, quod tam ad prelatos quam ad rectores ecclesiarum se habeant reverenter, cavendo summopere ab hiis, que ipsis possent turbacionis et displicencie materiam ministrare. Provin-

---

1) nostre *om.* B. — prohibemus] inhibemus DF. — 4) multa] multi B. — 5) punienda] puniendi B. — iniungimus *om.* A2D. — 7) magnam querelam] maximas querelas B. — 8) instans] istius B. — eorumdem habitum *om.* A2CDF. — 11) in *om.* BC. — 12) in *post* generales *om.* B. — 15) faciant] fiant BF. — 16) socii] vicarii B. — generalium *om.* F. — 19) in — provinciis *om.* A2. — ponendis] ponendo B. — 23) ac *om.* C. — 25) quod habuit *om.* CDF.

ciales autem seu eorum vicarii aut visitatores puniant, si quos invenerint contrarium facientes.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Francie, Anglie, Lombardie inferioris, Sicilie.

Conventuales: Metensem, Verdunensem, Divionensem etc. Et hii priores hoc anno absoluti in eisdem provinciis et conventibus nullatenus resumantur.

Facimus et instituimus in provincia Lombardie inferioris vicarium fr. Franciscum priorem Ariminensem, qui in dicta provincia vices prioris provincialis obtineat, donec prior provincialis sit ibi electus et confirmatus et in provincia extiterit presens.

Iste sunt penitencie.

Denunciamus omnes fratres, qui ad presens generale capitulum absque licencia venerunt ex ordinacione precedentis immediate capituli generalis per biennium omni voce privatos; quam ordinacionem volumus sequenti anno firmiter observari (1).

Item. Omnibus prioribus provincialibus, qui suis neglexerunt provincie providere studentibus iuxta ordinacionem capituli precedentis, iniungimus tres dies in pane et aqua et tres missas (2).

Item. Fratribus conventus Bituricensis, qui scripserunt conventui Aurelianensi, ne reciperetur novicius nobilis, et eciam graciosus in favorem secularium personarum, iniungimus tres dies in pane et aqua et totidem letanias.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre ac domino nostro summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·vii· missas et quilibet conventus ·i· de b. virgine.

Pro venerabilibus patribus dominis cardinalibus domino Nicholao Hostiensi et Velletrensi episcopo (3), domino Thoma tituli s. Sabine presbitero cardinali (4), et domino Nicholao tituli Eusebii presbitero cardinali (5) quilibet sacerdos ·iv· missas, et quilibet conventus ·i· de b. Dominico etc.

---

6) conventuales — presens] etc. B. — 7) et *om.* F. — nullatenus] non F. — 10) Franciscum *om.* A2 C. — 18) provincialibus] conventualibus CDF. — 19) provincie *om.* BCF. — 21) fratribus] omnibus *add.* BF. — 22) novicius *om.* F. — 24) letanias] disciplinas CDF. — 25) ista — expedire *om.* B.

---

(1) Cf. supra pag. 14 l. 9 sqq.

(2) Cf. supra pag. 11 l. 16 sqq.

(3) De fr. Nicolao cf. supra pag. 14 l. 22.

(4) Fr. Thomas Iorz Londiniensis, dictus « Anglicus », confessor Eduardi regis Angliae prom. 15 dec. 1305; † Gratianopoli 13 dec. 1310. EUBEL l. c. p. 13.

(5) Fr. Nicolaus de Francaville (Freauville) prom. 1305 dec. 15; obiit 1323 ian. 15 (al. 14 febr.). EUBEL l. c. p. 13.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro venerabilibus patribus domino Galtero ordinis nostri (1) et domino Matheo Rubeo (2) cardinalibus quilibet sacerdos ·iii· missas.

Pro domino Philippo, quondam rege Francie, domina Margarita matre eiusdem.

Pro domina Iohanna, quondam regina Francie, quilibet sacerdos ·iii· missas.

Pro domino Iohanne et Hugone, quondam Ierusalem et Cypri regibus, quilibet sacerdos ·ii· missas etc.

Pro fratribus nostris et sororibus, parentibus, familiaribus, benefactoribus et receptis ad beneficia ordinis per litteras quilibet sacerdos ·iii· missas.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos ·vii· psalmos cum letania et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania in profestis diebus quadragesime cum psalmis, versiculis et oracionibus consuetis ab omnibus tam intus quam extra dicatur, et fiat memoria de b. virgine in vesperis et matutinis secundum modum, qui inchoacione superius continetur.

Sciant fratres, quod socius diffinitoris Ungarie vadens ad capitulum preteritum Ianuense mortuus est in via.

Volumus et mandamus, quod diffinitores anni presentis et futuri caritative recipiantur in conventibus et iuxta laborum eorum exigenciam procurentur.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalareis ordinet

---

2) pro — ·III· missas *ante* pro qualibet *om.* F. — Margarita] Isabella C. — 9) parentibus] et *add.* CD. — 15) letania *om.* C. — 20) Frater Paulus Ungarus occisus fuit in itinere cum socio et famulo *add. in marg.* F. — 22) exigenciam] melius *add.* F. — 25) studiorum *om.* F.

---

(1) De fr. Gualtero cf. supra p. 14. De ffr. Gualtero, Thoma, Nicolao *Trivetus* noster tradit: Papa Benedictus intellecta morte fratris Willelmi de Makelesfelde (!) fr. Walterum de Winterburne similiter Ordinis Praedicatorum, Regis Angliae confessorem, Saresberiensis dioecesis ad eumdem titulum *(scil. s. Sabinae)* Cardinalatus promovit.... Frater Walterus de Winterburne nuper ad Cardinalatum assumptus tendendo cum aliis Cardinalibus in Galliam, moritur apud Ianuam, et in Ecclesia Fratrum Praedicatorum traditur sepulturae. Papa ante natale unam ordinationem faciens, creavit duodecim cardinales, inter quos de Ordine Fratrum Praedicatorum Frater Thomas de Iorz, Doctor sacrae Theologiae, natione Anglicus, tituli s. Sabinae, et Nicolaus de Fravilla (!) confessor Regis Francorum, natione Normandus, tituli S. Eusebii efficiuntur Presbyteri Cardinales. D'Achery l. c. p. 229 sq.

(2) Matthaeus Rubeus Ursinus diac. s. Mariae in porticu prom. mense dec. 1262; obiit 1305 sept. 4. Eubel l. c. p. 8.

et disponat, prout generali utilitati et promocioni studiorum viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in Argentina in provincia Theutonie, ordinantes, quod provinciales ad locum capituli dominica infra octavas ascensionis domini veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat, locum intret capituli aut se in monasteriis recipiat vel pernoctet ante ·vi· feriam penthecosten precedentem.

In festo sancti Ludovici confessoris.

Lectio ·i^a^· Beatus Ludovicus, rex Francorum magnificus, patrem habuit christianissimum regem Ludovicum, qui in finibus regni sui scilicet in Albigesio et comitatu Tholosano virtuose debellavit hereticos et hereses extirpavit. Habuit et matrem, Blanciam nomine, regis Castelle filiam, perpetua memoria dignam, que puerum sancte indolis Ludovicum, orbatum patre, tenerrime diligens, sub specialis cura magistri et consilio religiosorum, maxime ordinis fratrum predicatorum, moribus et sciencie literarum tradidit imbuendum.

Lectio ·ii^a^· Puer autem ingeniosus et sortitus animam bonam supra coetaneos suos profecit laudabiliter in utrisque. Cuius sanctitati congaudens pia mater pluries dicebat eidem: Plus vellem te, karissime fili, temporalem mortem incurrere, quam per aliquod peccatum mortale tuum offendere creatorem. Quod verbum devotus filius in suo animo sic firmavit, quod divina se conservante gracia, numquam sensisse lethalis criminis contagium perhibetur.

Lectio ·iii^a^· Demum providencia matris ac procerum, ne tam nobile regnum successione careret, uxorem duxit filiam comitis Provincie Margaretam; ex qua susceptam sobolem generosam vir sanctus timere deum docuit et ab omni peccato iugiter abstinere. Serta quoque de rosis vel floribus seu alios capellos eos portare potissime in ·vi· feriis prohibebat, propter coronam domini spineam tali die impositam capiti salvatoris.

Lectio ·iv^a^· Sciens quoque rex devotus, quod caro concupiscit adversus spiritum, corpus suum multiplici castigacione in servicio spiritus redigebat: cilicio ad carnem tempore multo utens, omni tempore sextas ferias ieiunabat, in adventu vero et quadragesima hiis diebus a piscibus et fructibus abstinens, vigiliis, laboribus, oracionibus, disciplinis nocturnis et aliis secretis exerciciis spiritualibus se non mediocriter affligebat.

---

4) assignamus *om.* A2. — 5) ordinantes — precedentem *om.* B. — provinciales] diffinitores F. — 10) in — prima *om.* C; in — multis dedit *om.* B. — confessoris] pii regis Francorum misse a capitulo generali *add.* F. — 11) lectio ·I· *om.* C. — 19) lectio ·II· *om.* C. — 21) eidem *om.* CF. — 26) lectio ·III. *om.* C. — 32) lectio ·IV· *om.* C.

Lectio ·vª· Omnium decor virtutum humilitas in eo adeo refulgebat, ut quanto maior erat, velut alter David tanto humilius se gerebat et coram deo in oculis suis vilior apparebat. Manus et pedes pauperum quolibet sabbato propriis manibus abluere consuevit. Certam eis summam pecunie tribuens eorum pedes et manus humiliter osculari solebat. Pauperum multitudinem crebro et habundanter reficiebat reliquiasque ciborum, quas manus pauperum Christi contractaverant, reasportari sibi faciebat et de illis cum devocione mirabili comedebat. Scarleto, bruneto, seu viridi aut alia veste pomposa seu preciosa, vel pellibus variis aut nimis sumptuosis uti nolebat.

Lectio ·viª· Dilatacionem fidei christiane ferventi animo desiderans cum fratribus suis germanis, comitibus Atrebatensi, Pictaviensi et Tholosano et Andegavensi, qui post extitit rex Cicilie, ac maioribus regni sui et copiosa multitudine militari ad transmarinas partes devotus transiit, ubi in Egypto, Syria et locis aliis Palestine pro fidei negociis diucius mansit, sed et fortalicia et presidia contra paganos construxit, plurima gravia pertulit. In qua terra, deo permittente, captivatus fuit. Sed ille, qui in temptacionibus facit proventum, de captivitate ipsum et suum exercitum mirabiliter liberavit. Christianorum corpora ab infidelibus occisorum, quorum vix fetorem sui ferre poterant, propriis manibus recollegit et tradidit ecclesiastice sepulture.

Lectio ·viiª· Defuncta itaque matre, postquam per quinque annos in Terra sancta moram traxerat, de baronum suorum consilio redire in Franciam acquievit. Et ex tunc fervencius de virtute in virtutem proficiens, quando veniebat Parisius vel ad alias civitates, hospitales domos, in quibus magna multitudo infirmorum iacebat, misericorditer visitans nullius infirmi deformitatem vel immundicias abhominans, ipsis pluries flexis genibus cibaria ministrabat. Unde et in abbacia Regalis montis Cisterciensis ordinis cuidam monacho leproso, Leodegario nomine, abhominabili et horribili iam effecto, ut pote naso et oculis dicti morbi corrosione privato, rex sanctus curvatis genibus cibum et potum in os eius mittendo humiliter ministravit.

Lectio ·viiiª· Opprobria christiane fidei audire non poterat, sed zelans zelum dei tanquam Phines graviter puniebat. Unde quemdam civem Parisius, qui turpiter iurando Christum blasphemaverat, iuxta suum statutum, quod fecerat, candenti ferro in labiis stigmatizari seu cauterizari fecit. Cumque audiret propter hoc nonnullos in se maledictum congerere:

---

1) lectio ·V· *om.* C. — 9) seu] vel C. — nimis] nimium CF. — 11) lectio ·VI· *om.* C. — 13) maioribus *om.* F. — 16) sed *om.* D. — et *post* sed *om.* A2. — plurima] plurimaque D. — 22) lectio ·VII· *om.* C. — 29) Leodagario nomine *om.* CF; *add. in marg.* D. — 30) effecto] defecto C. — 33) lectio ·VIII· *om.* C. — 35) blasphemaverat] blasphemabat A2.

« vellem, inquit, quamdiu vixero talem indecenciam in meis labiis sustinere, dummodo istud vicium iuracionis pessimum de regno meo penitus tolleretur ». In ecclesia vero, dum celebrarentur divina, nullius colloquium admittebat, nisi urgens necessitas ac evidens utilitas appareret. In oracionibus vero suis lacrimas plurimum siciebat, et quandoque confessori suo familiariter recognovit, quod aliquando in oracione deus lacrymas sibi dedit. Quas cum sentiret per genas in os defluere, non solum cordi, sed et ori dulcissime sapiebant. Insuper ad abolendam voraginem usurarum statuit, ut obligatos per literas iudeis aut publicis usurariis nullus iusticiarius compelleret ad solvendum.

Lectio ·ix^{a}. Signaculum sancte crucis in summa reverencia habens et haberi cupiens, ne a se vel ab aliis calcaretur, de lapidibus sepulcrorum in terra positorum deleri procurabat. Causas pauperum et querelas ad minus bis in ebdomada, in loco patenti se ponens, personaliter audiebat, et tam iuste quam misericorditer expedire celeriter faciebat. Duella fieri non sustinuit, in revocando discordes ad concordiam specialem graciam dominus sibi dedit. Tandem post multorum annorum curricula volens in Terram sanctam iterum proficisci, Carthaginem iuxta Tunisium applicuit, ubi post aliquantulum temporis correptus febre continua, invalescente morbo, susceptis omnibus cum summa reverencia ecclesiasticis sacramentis, super lectum cinereum in modum crucis extensus, verba proferens ultima psalmi: In manus tuas, domine, commendo spiritum meum, et: Esto, domine, plebi tue sanctificator et custos, hora nona anno domini ·m·cc·lxx· migravit ad Christum. Post cuius transitum eius meritis miracula dominus multa fecit, cecis visum, surdis auditum, claudis gressum restituens et morborum plurimorum sanitatem eius patrocinio omnipotens multis dedit.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LVIII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS ARGENTINE CELEBRATI ANNO DOMINI · M° · CCC° · VII°.

Confirmamus has constituciones: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: vices magistri in omnibus obtineat: addatur: idem dicimus, si generale capitulum contingat ad aliam provinciam

---

2) iuracionis *om.* F. — 3) in — solvendum *om.* CF: *add. in marg.* D. — 7) in os *om.* A2 D. — 11) lectio ·IX· *om.* C. — 12) ab *om.* C. — 14) bis *om.* B. — 22) psalmi] pater C. — 23) anno — 1270 *om.* CF; *add. in marg.* D. — 24) ad Christum *om.* CF. — 25) miracula] mirabilia CF. — 30) acta] hec sunt acta D. — 31) magistri] prioris provincialis B.

transferri, videlicet quod auctoritas vicarie ad provincialem illius provincie cum capitulo transferatur. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc: quod fiant tres lectiones de beato Alexio ·xvi· kalendas augusti, et magister ordinis provideat de officio. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt approbaciones. Approbamus hanc: in capitulo de apostatis, in fine addatur: quicumque literam magistri ordinis vel priorum provincialium seu sigilla eorundem falsificaverit, eamdem incurrat sentenciam ipso facto. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc: In ordinario in rubrica ad memoriam faciendam de b. virgine etc. ponatur in principio: per totum annum fiat memoria de beata virgine in vesperis per antiphonam: Regali, versum: Ora pro nobis, collectam: Protege. In matutinis per antiphonam: Sub tuum presidium, versum: Post partum, et oracionem predictam ante memoriam de b. Dominico diebus, quibus memoria de b. Dominico fieri consuevit et infra octavas eiusdem, exceptis diebus, quibus secundum ordinarium de ea festum vel memoria sunt agenda. Et hec habet ·ii· capitula.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Ad subtrahendam studentibus evagandi materiam ac discursus inutiles compescendos ordinamus et volumus, quod priores vel eorum vicarii fratres quibuscumque studiis deputatos extra terminos suorum conventuum licenciare non possint sine provincialis vel sui vicarii licencia speciali, nisi pro gravi infirmitate parentum vel eorum morte vel ad vitandum grave scandalum ordinis vel pro evidenti utilitate conventus.

Item. Ordinamus et volumus, quod vicariis, qui per provinciales mittuntur ad conventus aliquos visitandos, breve tempus et auctoritas limitetur.

Item. Declaramus, quod vicarii magistri vel provincialium de visitandis vel ordinandis monasteriis sororum ordinis se nullatenus intromittere possint, nisi in eorum literis specialiter sit expressum.

Item. Cum a nonnullis provinciis receperimus querelas quam plures, quod priores in conventibus aliquibus confirmati dantur nimis de facili, quando a conventibus aliis postulantur, auctoritate presencium districtius inhibemus, ne fiat nisi raro et ex causa racionabili plurimum et urgente.

Item. Inhibemus prioribus conventualibus, supprioribus ac vicariis eorumdem, ut nullum fratrem professum ad aliquem alium licencient ordinem. Si qui vero contrarium fecerint, si priores aut suppriores, ipso facto sint a suis officiis absoluti, vicarii autem per biennium voce privati.

3) hanc *om.* A2D. — 7) litteram] litteras B. — 16) de ea *om.* A2CDF. — 20) quod] ut B. — vel] et F. — 22) sine] prioris *add.* B. — sui] eius B. — 25) quod vicariis *om.* B. — 28) item] insuper B. — vel] priorum *add.* B. — 29) nullatenus] minime B. — 32) quod *om.* A2.

Item. Magister ordinis de voluntate et assensu provincialium interdicit prioribus conventualibus ac vicariis eorum ac fratribus universis, ne ad Ordinem recipiant aliquem professum in religione Heremitarum, qui dicuntur s. Augustini et s. Guillelmi, Cistercensium, Carmelitarum, Humiliatorum, Servorum sive fratrum b. virginis seu quorumcumque ordinum sine ipsius magistri licencia vel eius vicarii. Canonicorum autem regularium vel monachorum nigrorum absque provincialium licencia speciali; si qui vero contrarium fecerint, ipso facto sint a suis officiis absoluti; ceteri vero fratres per triennium voce privati.

Item. Cum circa infirmos et vestibus indigentes querele quamplures ad generalia et provincialia capitula referantur, mandamus districte ordinacionem factam in Ianuensi capitulo inviolabiliter observari (1). Imponit autem magister ordinis provincialibus singulis, quod in suis provincialibus capitulis modum certum querant et servent, per quem possit infirmis utilius et commodius provideri.

Item. Ad vitandum excessum predicatorum generalium, auctoritate presencium inhibemus, ut in provinciis, ubi predicatores generales excedunt conventuum numerum, non fiant anno presenti.

Item. Cum ex causis litigiosis assumptis crebra sint secuta dispendia, inhibemus districte prioribus ac eorum vicariis ac fratribus universis, ut novas causas non inchoent absque magistri vel suorum provincialium connivencia et licencia speciali.

Precipit magister ordinis de priorum provincialium consilio et assensu, quod nullus frater vadat ad Romanam curiam sine sua licencia speciali.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus provinciales Boemie et Terre sancte.

Priores conventuales: Argentinensem, Bucisducis, Cremonensem, Francofordensem, Herbipolensem, Lovaniensem, Nove Civitatis, Rotvilensem, Spirensem, Culmensem, Varmaciensem, Vriburgensem, Vicemburgensem, et ordinamus, quod priores absoluti isto anno in eisdem conventibus vel provinciis nullatenus resumantur.

Iste sunt penitencie.

---

2) interdicit] fratribus *add.* A2 CDF. — eorum *om.* C. — 5) quorumcumque] aliorum *add.* B. — 6) ordinum] ordinis CDF. — vicarii] expressa *add.* B. — 7) absque] priorum *add.* B. — provincialium] provincialis CDF. — 11) capitula] sepius *add.* B. — referantur] deferantur D. — 12) factam *om.* F. — 13) quod] ut B. — 19) sint] in pluribus locis *add.* B. — 20) ac] et *post* vicariis B — 21) causas] litigiosas *add.* B. — magistri] ordinis *add.* B. — 23) precipit — speciali *om.* A2. — priorum *om.* F. — 27) et *om.* A2 CDF. — 28) Argentinensem — resumantur] etc. B. — Bucisducis] Bucis, Ducis CDF. — 29) Francofordensem] Franquigordensem F. — Herbipolensem] Ebiplensem F. — 30) Rotvilensem] Rotulensem CF; Roturlensem D. — Varmaciensem] Varivaciensem F.

---

(1) Cf. supra pag. 17 l. 20 sqq.

Cum secundum acta preteriti generalis capituli numerus predicatorum generalium ad presens capitulum sit delatus, invenerimusque in provincia Ungarie numerum notabilem in eisdem, de ipsa provincia omnes absolvimus, excepto fratre Aymerico nunc provinciali et aliis, qui in eadem provincia provinciales fuerunt. Mandamus insuper, quod secundum numerum conventuum provinciales et diffinitores instituant.

Item. Cum provincialis Dacie et diffinitores in suo provinciali capitulo omnes predicatores generales absolverint contra generalem consuetudinem ordinis approbatam, cuilibet diffinitorum iniungimus tres dies in pane et aqua et absolvimus omnes alios per eosdem in eodem capitulo substitutos.

Item. Priores Augustensem et Ulmensem in penam absolvimus, qui in provisione fratrum indigencium in vestibus inventi sunt negligentes.

Item. Denunciamus omnes fratres, qui ad presens generale capitulum absque licencia venerunt, ex ordinacione duorum precedencium capitulorum per biennium omni voce privatos (1); quam ordinacionem volumus sequenti anno observari.

Item dicimus de hiis, qui de suis conventibus recesserunt animo ad capitulum veniendi.

Ista sunt suffragia pro vivis:

Pro sanctissimo patre ac domino nostro summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·vii· missas et quilibet conventus unam de beata virgine.

Pro venerabilibus patribus ac dominis cardinalibus Hostiensi ac Velletrensi, episcopo domino Thoma s. Sabine presbitero cardinali (2) domino Nicholao tituli s. Eusebii presbitero cardinali (3) quilibet sacerdos ·iv· missas, et quilibet conventus unam de beato Dominico etc.

Pro sororibus nostris de Argentina, de Columbaria, de Pruliano, de Ponteviridi, de sancto Pardulpho et aliis quilibet sacerdos unam missam.

Pro fratribus nostris et bono statu ordinis quilibet sacerdos ·iii· missas.

2) inveniremusque] invenimus quod A2 CD. — 4) omnes] predicatores generales *add.* B. — Aymerico] Emerico F. — 6) conventuum] et non ultra *add.* B. — 7) cum] prior *add.* B. — 16) capitulorum] generalium *add.* B. — ordinacionem] firmiter *add.* B. — 20) ista — continetur *om.* B. — 29) Ponteviridi] Pontimundi A2. — 31) quilibet — beneficia] pro fratribus minoribus et aliis qui benefecerunt capitulo, et pro aliis qui receperunt fratres ad capitulum [euntes] et recipient redeuntes, et pro hiis qui recommandari pecierunt, et pro hiis qui habent litteras de beneficiis CDF.

(1) Cf. supra pag. 14 l. 9 sqq. et pag. 19 l. 14 sqq.

(2) De fr. Thoma cf. supra pag. 19 not. 4.

(3) De fr. Nicolao cf. supra pag. 19 not. 5.

Pro fratribus nostris, sororibus, familiaribus, parentibus fratrum, benefactoribus et receptis per litteras magistri ad beneficia ordinis quilibet sacerdos ·iii· missas.

Pro fratre Petro de Condeto quilibet sacerdos unam missam.

Pro venerabili patre magistro ordinis et ministro generali quilibet sacerdos tres missas, unam de trinitate, aliam de beata virgine, aliam de beata Dominico.

Ista sunt suffragia pro defunctis:

Pro venerabili patre domino Theodorico cardinali (1) quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino Rodulpho quondam rege Romanorum et Roberto filio suo quilibet sacerdos unam missam.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos septem psalmos cum letania et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania in profestis diebus quadragesime ab omnibus intus et extra dicatur cum versiculis et oracionibus consuetis, et fiat memoria de b. virgine in vesperis et matutinis secundum modum, qui in approbacione superius posita continetur (2).

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout utilitati promocionis studencium viderit expedire. Et quantum nostra interest, ordinamus expresse, quod magister ipsam ordinacionem circa ipsos bacalareos valeat et studeat, prout expediens viderit, prevenire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Paduam in provincia Lombardie inferioris, ordinantes, quod diffinitores anni futuri dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat, locum capituli intret ante sextam feriam vigiliam pentecostes precedentem.

---

4) pro — missam *ante* pro qualibet *om.* A2. — 11) Roberto] Ruperto F. — 12) missam] pro fratribus nostris, sororibus, familiaribus, parentibus fratrum, benefactoribus et receptis per litteras magistri ordinis quilibet sacerdos tres missas *add.* CDF. — 21) et *post* bacalareis *om.* A2 CDF. — 24) ipsam] dictam B.

---

(1) Theodoricus Rainerii de Urbeveteri die 4 Dec. 1298, quum esset electus archiep. Pisanus, promotus est in S. R. E. presb. card. tit. s. Crucis in Ierus., die autem 13 Iun. 1299 in episcopum Civitatis papalis (Praenestina civitate destructa); obiit 7 Dec. 1306. Cf. EUBEL l. c. p. 12.

(2) Cf. supra pag. 24 l. 10 sqq.

Cum multa digna examinacione et correctione audiverimus de provincia Boemie, statuimus et ordinamus fratrem Aycardum (1) provincialem Saxonie nostrum vicarium generalem in dicta provincia Boemie, dantes sibi plenariam potestatem tam in capite quam in membris, in omnibus et singulis, eciamsi de hiis oporteret fieri mencionem specialem, ut ipse ordinet et disponat, secundum quod sibi videbitur expedire.

Sancti Alexii confessoris.

Lectio ·i^a· Beatus Alexius, velut preclarissimum virginitatis et tocius mundicie speculum egregium, profunde humilitatis et paupertatis exemplar, ex nobilissimo senatorum ordine, patre Euphemiano, matre Eglone, originem traxit. Huius parentes, cum deo essent devoti, sed steriles, assiduis supplicacionibus ac effusione elemosinarum habundancia prolem deo et hominibus gratam impetraverunt Alexium. Cuius muneris non ingrati ex tunc firmiter statuerunt deo se in omnis castitatis continencia deservire. Optime ergo indolis iuvenis liberalibus artibus plene eruditus est. Qui cum tempus congruum accessisset, iuxta sue nobilitatis insignia de imperiali linea egregia sibi sponsa eligitur, et mirabili gracia nupciis celebratis advenerunt nocturna cubiculi et secreta silencia, ubi pius et pudicus Alexius benigne alloquitur sponsam suam, et post sacras admoniciones, post salutiferas exhortaciones ac relictis sibi denariis sue pudice et individue dilectionis insigniis, supra communem legem connubii, singularis divine gracie privilegio informatus, intactam dimisit clamque recessit et veniens in Edicem, Syrie civitatem, assumpto vili et despecto habitu, cepit cum ceteris pauperibus mendicare. Etsi forsitan aliquando suo arto et parco victu superesset, ceteris erogabat. Pater igitur de tanti filii ac ultime sue spei absencia tristicia concrescit, mater intimorum viscerum vim non paciens quasi manens exanimis et vera sponsa, velut individua turtur, sincero laguore sponsi tam amabilis contabescit. Missis igitur ad omnes partes nunciis eorum, ad Hedicem civitatem pervenerunt. Quibus cognitis, sed non cognitus ab eisdem, obvius fuit pauper et abiectus Alexius. Qui humiliter helemosinam petens cum impetrasset, devote deo gracias egit, quod elemosinam a suis servis accipere meruisset.

Lectio ·ii^a· Pia igitur mater deo quam grati meriti esset volens ostendere, cum ibidem annis ·xvii· moratus fuisset, per propriam ymaginem secunda vice dixit edituo, ut pauperem inter alios foris stantem

1) cum — expedire *om.* B. — 2) Aycardum] Echardum F. — 3) dicta] nostra A2. — 5) fieri] facere A2 D. — 7) sancti — prima *om.* C. — *Lectiones sequentes om.* B. — 34) lectio ·II· *om.* C. *et sic deinceps* — quam *om.* A2.

(1) De Aycardo cf. supra pag. 1 *var.* 1.

in ecclesiam introduceret, quoniam dignus erat, et ab eadem signo dato noticie cum devota solempnitate introducitur reverenter in ecclesiam virginis humilis et ignotus Alexius. Qui ex hoc humanam gloriam metuens et in Tharsum occulte fugere volens, navem ascendit; sed dispensacione divina, vento contrario navis abrepta prospere ad portum Romanum applicuit, et obvius patri gloria solempni circumdato, pro se peregrino humiliter supplicans, in domo propria ad manendum despectum loculum impetravit, ibique totus oracionibus, abstinenciis et vigiliis deditus, graves et viles servorum iniurias ·xvii· annis patitur perseveranter et pacienter sustinuit. Animadvertat igitur fidelis devocio, quanto virtutis pondere mentem fundaverat, qui nec mirabili parentum gloria allici, nec sponse graciosa specie cotidie pene ante suam faciem transeuntis illici, nec tantarum iniuriarum opprobriis deiici potuit. Volens igitur iustus deus tanto eius certamini finem imponere et coronam reddere repromissam, diem sue quietis agnovit. Qui accepta carta nomen suum et finem recessus et reditus sue peregrinacionis describens ipsam plicatam manu conclusit.

Lectio ·iii^a^· Dominica igitur die post missarum sollempnia in ecclesia stupendus sonitus auditur: « Venite ad me omnes qui laboratis et honerati estis, et ego reficiam vos ». Qua novitate perterriti in faciem corruentes, audierunt secundo: Querite hominem dei, qui oret pro Roma; et idem tercio dictum est, ut in domo Euphemiani perquirerent. Quo imperatores Honorius et Archadius una cum Innocencio papa ·i^o^· concite venientes, Euphemianus prevenit. Queritur igitur, invenitur a patre vultu propria veste velatus. Qua reiecta, ecce facies eius rutilans blandos lucis radios emittebat. Pensate, karissimi, quanto puritatis candore eius spiritus effulgebat, qui in corpore iam extincto tales reliquias dereliquit. Cartam autem, quam patri volenti accipere denegaverat, pontifici et imperatoribus supplicantibus relaxavit. Que cum, audiente omni multitudine, legeretur, pater audiens stupefactus corruit, et resumpto spiritu, vestes lacerans, capillos dilanians, pectus contundens, faciem verberans, eiulatus mirabiles emittebat. Et ecce mater velut attonita oculos sursum tenebat, tandem soluta coma, nudato pectore, vestibus scissis, tanquam leena rupto laqueo in condensam multitudinem irruens, vix pervenit ad filium, et nunc oscula insaciabiliter repetens, nunc membra materna complectens, nunc de ipso filio suum dissimulante dolorem graviter conquerens, lacrimosis mugitibus totam multitudinem commovebat. Tandem occurrit sponsa, adriatica veste circumdata, se aparuisse viduam clamitans, speculum suum fractum esse lamentabiliter conquerens, speciem suam fugisse, dolorem interminabilem advenisse, gemitu lamenta-

6) obvius] obvians CDF. — 14) et] ac CDF. — 27) volenti] venienti A2E. — 35) dissimulante] dissimulare A2; dissimulantem F.

bili torquebatur. Igitur omnes videntes et audientes talia commoventur, et incertis vocibus, incertis clamoribus, uberrimis lacrimis aera replebantur. Ad hoc divina virtus subsequitur: cecos illuminans, claudos rectificans, leprosos mundificans et generaliter omnes, qui sanctum corpus tangere poterant, sanabantur. Imperatores autem una cum Romano pontifice, proprios humeros supponentes per vicos et plateas pro faciliori transitu effusis pecuniis, vix ad ecclesiam s. Bonifacii pervenerunt ibique in mauseolo auro et gemmis ornato beatum pauperem condiderunt; de quo tantus odor protinus emanavit, quod non mortui corporis locus, sed apotheca omnium aromatum videretur.

Tu autem etc.

Lectiones pro breviario portatili.

Lectio ·i^a^· Beatus Alexius ex nobilissimo senatorum numero originem traxit. Qui liberalibus artibus plene eruditus, sponsa sibi iuxta sue nobilitatis insignia de linea imperiali eligitur. Quam, post nupciarum solempnia, post cubiculi secreta silencia, post exortaciones sanctissimas, relictis sibi sue pudicicie dilectionis donariis, divino quodam instinctu singulariter inclinatus, intactam dimisit, clamque recessit et assumpto paupere et vili habitu, veniens in Edicem Syrie civitatem, ·xvii· annos totus vigiliis et oracionibus deditus inter alios pauperes mendicavit. Ubi ymago virginis matris dei pluries allocuta est custodem ecclesie, ut pauperem Alexium, suum devotum, in ecclesiam suam introduceret. Quod cum solempniter et devote fuisset impletum, ex hoc humanam gloriam metuens in Tarsum fugere voluit. Sed, nutu divino, navis ad Romanum portum prospere veniens et occurrens patri ignoranti, quis esset, supplici prece obtinuit, ut in despecto loculo domus proprie se ipsum colligeret; ubi in omni humilitate, devocione, vigiliis, abstinenciis viles et graves servorum patris iniurias ·xvii· annis pacienter et perseveranter sustinuit.

Lectio ·ii^a^· Volens igitur iustus deus triumpho tam nobili corona debita respondere, diem sue quietis agnovit, et in carta sue peregrinacionis gesta describens, ipsam plicatam manu conclusit. Die igitur dominica, post missarum solempnia in ecclesia diverse voces stupendo sonitu, in transitu beati pauperis Alexii audiuntur. Quarum una admonuit, ut in domo Eufemiani, hominem dei, qui pro Roma oraret, perquirerent. Quo imperatores Archadius et Honorius una cum Innocencio papa ·i^o^· concite accurentes, Eufemianus pater alacri celeritate preveniens, ipsum

---

2) incertis *om.* CF. — vocibus *om.* F. — 8) mauseolo] maseolo C. — 10) apotheca] apostecha A2D: apotesca C. — 11) tu autem etc. *om.* F. — etc. *om.* CD. — 12) lectiones — portabili *add. in marg.* A2CD; *om.* F. — 13) ·I^a^·] ·III· F. — 14) traxit] contraxit A2. — 15) insignia] insigne CF. — 19) Edicem] Edissem CF. — 30) ·II·] ·V· F. — 35) Eufemiani] Eufemii A2D.

invenit in proprio loculo, facie propria veste velatum. Qua reiecta eius facies blande rutilans quoddam beate resurrectionis insigne vestigium videbatur preferre.

Lectio ·iii^{a}· Carta autem, quam patri volenti abstrahere negaverat et pontifici ac imperatoribus relaxasset, cum coram tota multitudine legeretur, pater stupefactus contuens, mater attonita in multitudine intuens, sponsa relaxatis habenis amoris accurrens gemitu consimili, gestu dissimili, clamore dispari eiulantes totam multitudinem ad compassionis lacrymas commovebant. Ad hec divina virtus subsequitur, illuminans cecos, rectificans claudos, mundans leprosos et generaliter omnibus, qui sanctum corpus tangere poterant, sanitatis beneficia prestabantur. Imperatores autem cum summo pontifice proprios humeros sacro corpori supponentes, pecunia per plateas et vicos copiose dispersa vix ad ecclesiam beati Bonifacii portaverunt et ibi in sepulcro auro et geminis ornato beatum pauperem condiderunt. De quo tantus odor protinus emanavit, quod non extincti corporis locus, sed apotheca omnium aromatum videretur.

In festo sancti Alexii confessoris.

Ad missam officium: os iusti.

Oracio: Deus qui beato Alexio confessori tuo tribuisti, ut et nova mundum arte deluderet et de hoste humani generis mirabiliter triumpharet, concede propicius, ut eius semper muniamur auxiliis, cuius salutiferis erudimur exemplis. Per dominum.

Epistola: Dilectus deo.

Responsorium: Os iusti. Alleluia. Iustus germinabit.

Evangelium: Dixit Simon Petrus ad Ihesum: Ecce nos reliquimus omnia.

Offertorium: Desiderium.

Secreta: Quesumus, omnipotens deus, ut intercedente b. Alexio, confessore tuo, munera nostra suscipias et nos idoneos fieri ad hec percipienda concedas. Per dominum.

Communio: Amen dico vobis, quod vos.

Postcommunio: Celestibus epulis recreati quesumus, omnipotens deus, ut intercedente beato Alexio confessore tuo, salutare misterium, quod te largiente percepimus, te custodiente servemus. Per dominum nostrum.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LIX.

---

2) eius facies *om.* A2D. — 4) ·III·] ·VI· F. — 21) mundum] mundi A2D. — 23) dominum *om.* A2F.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS IN PADUA CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· VIII°·

Confirmamus has constituciones: In capitulo de apostatis in fine addatur: quicumque literas magistri ordinis vel prioris provincialis seu sigilla eorum falsificaverit, eamdem incurrat senteneiam ipso facto. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc: In ordinario in rubrica ad memoriam faciendam de b. virgine etc. ponatur in principio: per totum annum fiat memoria de b. virgine in vesperis per antiphonam: Regali; versum: Ora pro nobis, et collectam: Protege; in matutinis per antiphonam: Sub tuum, versum: post partum, et oracionem: Protege, ante memoriam de beato Dominico in diebus, in quibus de b. Dominico memoriam fieri consuevit et infra octavas eiusdem, exceptis diebus, quibus secundum ordinarium de ea festum vel memoria sunt agenda. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Volentes cum effectu fratrum infirmorum et indigencium vestibus et necessitatibus provideri, volumus et ordinamus, et in virtute sancte obediencie precipit magister ordinis de consilio diffinitorum et assensu, quod singuli priores provinciales vel eorum vicarii de consilio diffinitorum sui capituli provincialis et aliorum discretorum fratrum isto anno modum aliquem convenientem inveniant et ordinent in suis capitulis provincialibus de providendo fratribus infirmis et indigentibus vestibus, et ad hoc priores conventuales et eorum vicarios obligent per preceptum. Et modum, quem sic ordinaverint, teneantur mittere ad sequens capitulum generale. Provisionem autem vestium fieri volumus in panno et non in pecunia; qui autem pecuniam dederint et non vestes, puniantur, ac si minime providissent.

Item. Ordinacionem factam in capitulo generali Parisius celebrato de meliori volumine fratrum decedencium, a priore provinciali recipiendo et habendo, magister ordinis de diffinitorum voluntate et consilio revocat et annullat. Et volumus et ordinamus, quod quilibet prior provincialis diffinitori capituli generalis sue provincie et socio suo euntibus ad capitulum generale provideant de expensis. Studentibus autem et bacalareis missis ad studia generalia provideant diligenter; et singuli con-

2) in Padua] apud Paduam B. — 6) falsificaverit] falsivicaverint B. — 9) etc. — virgine *om.* A2. — 10) nobis et *om.* F. — 11) et] ad A2D. — 16) admoniciones] moniciones DF. — 30) meliori volumine] voluntate A2.

ventus pro huiusmodi expensis iuxta ordinacionem prioris provincialis, si necesse fuerit, contribuere teneantur (1).

Item. Volumus et ordinamus, quod priores provinciales ordinacionem factam in capitulo generali Argentinensi de inutili discursu fratrum studencium compescendo diligenter faciant in suis provinciis observari (2).

Item. Ordinacionem reverendi patris magistri ordinis factam in capitulo generali memorato de professis aliorum ordinum ad nostrum ordinem nullatenus recipiendis mandamus sub eisdem penis ab omnibus fratribus inviolabiliter observari (3).

Item. Ordinamus et districte inhibemus, ne predicatores fiant isto anno in illis provinciis, in quibus numerus ipsorum predicatorum generalium numero conventuum sue provincie maior fuerit vel equalis.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de consilio diffinitorum, quod nullus frater accedat ad curiam Romanam sine ipsius magistri licencia speciali, et sub eadem districtione precepti, quicumque fratres illuc iverint de ipsius licencia, non tractent ibidem quecumque alia negocia, nisi illa dumtaxat, pro quibus licencia petita fuerit et concessa, sine procuratoris ordinis expressa sciencia et consensu. Et quia nonnulli talibus licenciis dicuntur abusi fuisse, revocat magister ordinis omnes licencias, quas hactenus contulit sive prioribus provincialibus vel ceteris fratribus seu quibuscumque personis aliis extra obedienciam ordinis constitutis.

Item. Inhibemus districte, ne fratres in curiis regum seu quorumcunque baronum vel principum de negociis litigiosis et placitis secularium se nullatenus intromittant; quod si secus ab aliquo fuerit attemptatum, a suis prioribus provincialibus vel conventualibus graviter puniantur.

Item. Cum in observancia interdicti inter fratres et clericos nonnulla aliquando dissonancia oriatur, volumus et ordinamus, quod fratres omnes, quantum secundum deum poterunt, in hoc matrici ecclesie se conforment.

Item. Cum religiosus non possit exequi ultimas decedencium voluntates sine suorum superiorum expressa licencia, advertant diligenter prelati, quod execuciones huiusmodi non imponant nisi discretis fratribus et maturis; et ipsi, quibus huiusmodi auctoritas est commissa sol-

2) si] non C. — 10) ordinamus] mandamus B. — predicatores] generales *add.* B. — 11) illis] aliis A2. — 19) quia *om.* A2. — revocat *om.* C. — 21) ceteris] certis DF. — 27) cum *om.* A2. — inter *om.* A2. — 31) religiosus non] nullus religiosus CDF. — decedencium *om.* A2CDEF.

(1) Cf. supra pag. 18 l. 18 sqq.
(2) Cf. supra pag. 24 l. 19 sqq.
(3) Cf. supra pag. 24 l. 35 sqq.

licite, prout possibile fuerit, exequantur secundum tempus a iure taxatum et cum omni reverencia dyocesanorum et gracia.

Item. Ordinamus, quod pueri seu famuli fratrum veniencium ad capitulum generale non recipiantur ad lectum vel cibum in conventu, exceptis pueris diffinitorum et sociorum eorumdem. De venientibus autem ad provinciale capitulum priores provinciales cum diffinitoribus ordinent, prout magis expediens iudicaverint faciendum.

Item. Declaramus, quod memoria sanctorum Christofori et Cucufatis simpliciter debet dimitti, et quod memoria de cruce tempore paschali non debet fieri in festis duplicibus et totum duplicibus.

Item. Declaramus, quod quando duo festa duplicia se invicem consecuntur, fiat in vesperis officium, sicut in festis simplicibus se invicem consequentibus est notatum.

Item. Cum ex festis supra additis de novo in ordinario nostro, quedam sequantur inconveniencia circa officium et rubricas, committimus magistro ordinis, quod ipse corrigat et emendet et in ordinario annotari faciat locis suis.

Item. Cum studium sacre scripture nimis notabiliter sit collapsum et a plerisque negligi videatur, precipit magister ordinis in virtute obediencie et spiritus sancti de diffinitorum consilio et assensu singulis prioribus provincialibus vel eorum vicariis et diffinitoribus capitulorum provncialium presentis anni, quod aliquem modum, prout poterunt, inveniant congruentem, per quem possit melius studium in suis provinciis reformari, quem inviolabiliter faciant observari et illum ad sequens generale capitulum mittere teneantur.

Item. Districte iniungit, quod in singulis provinciis conventus aliquis seu aliqui statuantur, in quibus sola biblia legatur biblice, et ad illud studium fratres ydonei deputentur.

Item. Cum ordo noster ob predicacionis officium et proximorum salutem sit ab inicio principaliter institutus, illa debemus diligenter et sollicite procurare, que noscuntur ad promocionem studii et profectum sacre sciencie pertinere. Cum igitur librorum copia necessario ad hoc ipsum coadiuvet et ad profectum promoveat studiosos et retroactis temporibus in nonnullis conventibus circa hoc multa negligencia sit commissa, ego frater Aymericus, ordinis fratrum predicatorum magister, licet indignus, de voluntate et assensu diffinitorum ordino et in virtute obediencie et spiritus sancti precipio prioribus et supprioribus et eorum vicariis ac fratribus universis eiusdem ordinis, quod libros, qui per mor-

---

7) magis expediens iudicaverint] magister viderit A2F. — 10) totum] totis B. — 23) possit — quem *om.* C. — 27) aliquis *om.* C. — 33) coadiuvet] adiuvet CF. — studiosos *om.* A2. — 35) fratrum *om.* B. — 36) et] ac *post* ordino BC.

tem decedencium fratrum vel titulo donacionis aut legati cuiuscumque persone seu quocumque alio modo perveniant ad conventum, vendere, distrahere, pignori obligare, donare vel concedere alicui simpliciter vel ad vitam, aliquo modo non presumant, sed ad librariam communem perveniant, nisi forsitan conventus tales libros duplicatos habeat vel iudicio prioris vel supprioris vel eorum vicarii, lectoris et librarii, pro communi fratrum commodo minus utiles viderentur, in quibus casibus poterunt quidem vendi, sed eadem precepti districtione teneantur in libros sive pro divino officio sive pro libraria communi meliores vel magis necessarios commutare. Illi autem, qui iam in libraria sunt positi, consimili districtione inhibeo, ne modo aliquo distrahantur, secundum quod de aliis, qui in futurum obvenient, superius est expressum. Verum si essent vel erunt libelli aliqui vel quaterni non magne reputacionis vel precii, poterit prior vel eius vicarius, si conventus priorem non haberet, de consilio predictorum aliquibus fratribus magis indigentibus concedere simpliciter vel ad vitam. Eadem autem districtione precepti prohibeo de assensu et consilio predictorum fratribus universis, ne libri fratrum theologici vendantur personis extra ordinem constitutis sine prioris provincialis licencia speciali, quam de facili et sine causa multum racionabili non concedat.

Item. Ordinamus et volumus, quod frater quilibet, qui in die tractatus renunciaverit voci sue, ad nichil eorum, que ad tractatum pertinent, admittatur, nec possit eligi in socium illa die; eodem modo, si in aliqua electione cuiuscumque prioris renunciaverit voci sue, non possit in priorem eligi illa vice, et in utroque casu, si secus fuerit attemptatum, volumus, quod sit irritum et inane.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Dacie, Theutonie, Grecie, Ungarie et inferioris Lombardie.

Item. Tholosane provincie, ex eo quod, cum sit licenciatus de novo ad magisterium theologie, debet in Parisiensi studio remanere pro officio magisterii exercendo.

Item. Absolvimus priores conventuales Mantuanum, Imolensem, Cesanatensem, Forlinensem, Tridentinum, Esinum, Fanensem, Urbinensem, Ariminensem, Recanatensem, et volumus et ordinamus, quod isto anno in eisdem provinciis et conventibus ad eadem officia minime resumantur.

Iste sunt penitencie.

3] pignori] pignorari D. — 5] habeat] haberet BCDF. — vel *om.* BCF. — 7) viderentur *om.* C. — 15) haberet] habeat A2D. — 17) prohibeo] prohibet A2CD; prioribus F. — 18) constitutis] institutis A2D. — 24) prioris *om.* D. — 25] secus] quod A2; quid CDF. — 34) Forlinensem] Foliniensem D. — Urbinensem] Urbinatensem B.

Absolvimus in penam priores Faventinum et Ferrariensem, quia ordinacioni precedentis capituli generalis de studentibus non licenciandis extra terminos sue predicacionis minime servaverunt (1).

Item. Prioribus provincialibus, qui nullum modum invenerunt nec ordinaverunt de providendo infirmis et vestibus indigentibus iuxta ordinacionem magistri ordinis et diffinitorum in precedenti capitulo generali factam, iniungimus ·vi· dies in pane et aqua (2).

Item. Omnibus fratribus pertinentibus ad tractatum in conventibus Ravannate, Racanatensi, Cluniacensi et Ezino, quia non concordaverunt in electione socii prioris ad capitulum, iniungimus cuilibet ·vi· dies in pane et aqua ·vi· psalteria et ·vi· disciplinas, quam penitenciam infra mensem, postquam ad eorum noticiam pervenerit, facere teneantur.

Item. Denunciamus voce privatos per biennium omnes, qui ad presens generale capitulum venerunt sine licencia speciali, et sub eadem pena districtius inhibemus fratribus universis, ne aliquis ad sequens generale capitulum veniat sine magistri ordinis licencia speciali, sicut in generali capitulo Tholosano extitit ordinatum (3).

Quia frater Emignus de provincia Dacie, deputatus studio Parisiensi, de provincia sua sine socio recessit, ipsum in penam a studio revocamus et damus ei decem dies in pane et aqua, decem missas et decem disciplinas.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre ac domino nostro summo pontifice ac bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·vii· missas et quilibet conventus unam missam de beata virgine.

Pro venerabilibus patribus et dominis nostris cardinalibus domino Hostiensi et Velletrensi episcopo, domino fratre Thoma tit. s. Sabine (4) et domino fratre Nicholao tituli s. Eusebii (5) presbiteris cardinalibus, quilibet sacerdos ·iii· missas, et quilibet conventus unam missam de b. Dominico etc.

Pro venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos ·iii· missas.

Pro dominis Napoleone (6) et Gentili (7) cardinalibus ecclesie Romane legatis quilibet sacerdos unam missam etc.

9) Racanatensi] Rechanatensi F. — Cluniacensi] Cluniensi B. — quia] qui B. — 14) et — speciali *om.* A2. — 18) Emignus] Hemingus B; Eymingus CDF. — 20) ei *om.* B. — 22) ac] et B. — 25) patribus *om.* A2 CDF. — 27) et] ac *post* Sabine BCF. — 31) ·III·] ·IIII· B. — missam *om.* A2. — 32) pro — etc. *om.* A2 CDF. — summa missarum pro vivis ·XLIIII· *add. in marg.* F.

(1) Cf. supra pag. 24 l. 19 sqq.
(2) Cf. supra pag. 25 l. 10 sqq.
(3) Cf. supra pag. 5 l. 24 sqq.
(4) De fr. Thoma cf. supra pag. 26 l. 25.
(5) De fr. Nicolao cf. ibid. l. 26.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro domino Alberto quondam rege Romanorum quilibet sacerdos unam missam.

Item pro domino Eduardo quondam rege Anglie quilibet sacerdos quatuor missas etc.

Pro qualibet missa superius posita quilibet frater clericus, non sacerdos, septem psalmos penitenciales cum letania, et quilibet frater conversus centum pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania in profestis diebus quadragesime ab omnibus fratribus intus et extra dicatur cum psalmis, versiculis et oracionibus consuetis.

Committimus reverendo patri magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et bacallariis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout promocioni studiorum et utilitati studencium viderit expedire. Et quantum nostra interest, ordinamus, quod magister dictam ordinacionem circa ipsos bacallaureos studeat, prout expediens viderit, prevenire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Cesaraugustam in provincia Aragonie ordinantes, quod diffinitores anni futuri dominica infra octavam ascensionis veniant.

Nullus autem alius locum capituli intret ante ·vi^{am}· feriam vigiliam pentecostes precedentem sine magistri licencia speciali.

Ponimus vicarios in provinciis infrascriptis, quousque provinciales in eisdem provinciis electi, confirmati fuerint et presentes: in provincia Theutonie fr. Iohanem Lucemberch bacalareum Parisiensem (8); in provincia Ungarie fr. Paulum priorem Pestensem; in provincia Tholosana fr. Guillelmum de Anhanis priorem Tholosanum (9).

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LX.

---

1) ista — dicant *om.* B. — 8) dicant] summa missarum pro defunctis ·XVI· *dad. in marg.* F. — 9) fratribus *om.* C. — 11) ordinis *om.* B. — 14) studencium] studiorum A2 D. — 15) ipsos *om.* B. — 18) apud Cesaraugustam] in Cesaraugusta B. — 19) anni — veniant] etc. B. — 24) electi] et *add.* D. — 25) Iohannem] de *add.* F. — Lucemberch *om.* B. — 26) Pestensem] Penstrensem C; Penentensem D; Penstensem F. — 27) Anhanis] Avagnis A2; Anagnis B; Anchavis F.

---

(6) Napoleo de Ursinis Romanus mense Maii a. 1288 in S. R. E. card. diac. s. Adriani electus et 23 Mart. 1342 defunctus est. Cf. Eubel, l. c. p. 11.

(7) Gentilis de Monteflorum O. Min. die 2 Martii 1300, quum esset lector theol. in Curia Rom. (magister s. Palatii) in S. R. E. card. tit. s. Martini in mont. promotus est; a. 1307-1311 munere legati sedis apost. in Hungaria functus est et die 27 Oct. 1412, quum thesaurum Ecclesiae a Perusio et Assisio ad Curiam Rom. tunc Avinione exist. portaturus esset, Luccae obiit. Cf. Eubel, l. c. p. 12.

(8) De fr. Ioanne de Lucemberg cf. SSOP I p. 522.

(9) De fr. Guillelmo de Anhanis cf. Douais *Essai sur l'Organisation des Etudes dans l'ordre des Frères Prêcheurs.* Paris-Toulose 1884 p. 246.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS APUD CESARAUGUSTAM CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°·CCC°·IX°·

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Volumus et ordinamus, quod modos hoc anno inventos in singulis provinciis de provisione infirmis et indigentibus vestibus facienda priores provinciales et eorum vicarii singuli in suis provinciis per priores conventuales, suppriores et eorum vicarios, preceptis admotis, faciant inviolabiliter observari. Quicumque vero in execucione premissorum inventi fuerint negligentes, ubi legitime constiterit, si priores aut suppriores sunt, a suis officiis in penam nominatim absolvantur in actis; vicarii vero per biennium non possint in eodem conventu locum tenere prioris et nichilominus per annum omni voce priventur. Eadem pena puniantur a prioribus provincialibus et eorum vicariis quicumque ab eis in suis visitacionibus in supradictis inventi fuerint transgressores.

Ordinaciones vero studiorum provincialium generali capitulo presentatas a suis provinciis cum penis ibidem appositis volumus observari, adiicientes, quod in qualibet provincia in duobus conventibus ad minus, ubi hoc commode poterit observari, studium biblie legendo biblice observetur, nec aliquis denuo mittatur ad studium generale extra provinciam vel intra seu ad principalem conventum, nisi prius per annum bibliam audierit in aliquo predictorum.

Item. Volumus et districte iniungimus lectoribus et sublectoribus universis, quod legant et determinent secundum doctrinam et opera venerabilis doctoris fratris Thome de Aquino, et in eadem scolares suos informent, et studentes in ea cum diligencia studere teneantur. Qui autem contrarium fecisse notabiliter inventi fuerint nec admoniti voluerint revocare, per priores provinciales vel magistrum ordinis sic graviter et celeriter puniantur, quod sint ceteris in exemplum.

Ad subtrahendum vero studentibus evagandi materiam et discursus inutiles compescendos, volumus et ordinamus, quod priores et eorum vicarii fratres quibuscumque studiis deputatos extra terminos suorum conventuum licenciare non possint sine prioris provincialis vel eius vi-

---

10) ubi] hoc *add.* CDF. — aut] autem A2. — 11) a suis officiis *om.* A2CF. — 15) supradictis] predictis B. — 16) vero] eciam C. — 17) appositis] positis C. — 19) legendo] legende B. — 20) observetur] ordinetur BCDF. — denuo] de novo CDF. — 23) districte] mandamus *add.* A2. — 28) vel] seu C. — 30) et] ac C. — 32) fratres *om.* A2.

carii speciali licencia, sicut in capitulis immediate precedentibus extitit ordinatum (1).

Volumus eciam et districte iniungimus prioribus et supprioribus et eorum loca tenentibus, quod studentes omnes ad se missos benigne, humaniter et caritative pertractent, et omnes gracias, immunitates et libertates a constitucionibus, a magistro ordinis seu capitulis generalibus ac provincialibus eis concessas vel in posterum concedendas cum omni integritate eisdem conservent; alioquin a suis provincialibus et visitatoribus acrius puniantur.

Paci autem et quieti dictorum studencium providere curantes, volumus, quod de cetero non conveniant in studiis generalibus ad faciendum scrutinium de lectore seu de cursore.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus prior, supprior aut eius vicarius libros communes armarii vel fratrum decedencium seu quocumque alio modo pertineant ad conventum, qui pro libraria communi apti existunt et non sunt in armario duplicati, vendere, distrahere vel pignori extra ordinem obligare vel simpliciter alicui dare modo aliquo presumant. Qui autem contrarium fecerint, de libris suis et rebus tantumdem conventui restituere teneantur. Quod si non fecerint per priorem provincialem vel visitatorem, cum hoc certitudinaliter constiterit, illud facere compellantur; quod si non habuerint, unde satisfaciant, priores et suppriores per priorem provincialem vel eius vicarium a suis officiis in penam absolvantur et nichilominus penis aliis puniantur. Vicarii vero, si unde satisfacere possint, non habeant, in penam per triennium voce priventur. Poterunt tamen priores vel eorum vicarii de libris fratrum defunctorum eorum debita solvere, nisi debita ipsorum solvi valeant aliunde.

Item. Inhibemus fratribus universis, ne libros theologicos vendant personis extra ordinem constitutis sine prioris provincialis vel eius vicarii licencia speciali. Qui autem contrarium fecerint, semel in septimana in pane et aqua teneantur abstinere, donec predictorum librorum precium, quod conventibus, ad quos pertinent ipsi fratres, ex nunc eos pro tunc applicamus integre restituant absque fraude. Concedimus tamen

1) capitulis] capitulo B. — precedentibus] precedenti B. — — 3) eciam] autem BC. — et *post* prioribus *om.* BC. — 4) loca tenentibus] vicariis BC. — 6) magistro] magistris BC. — seu] vel B. — ac] sive B; vel C. — 8) eisdem] eadem F.; *om.* BC. — et] suis *add.* C. — 9) acrius] acriter B: gravius C. — 10) autem] tamen CDF. — 11) in studiis generalibus *om.* BC. — 12) seu] vel eciam C; seu] eciam *add.* B. — 17) pignori] pignorari A2BD; aut *add.* B. — modo aliquo *om.* BC. — 22) et *om.* A2DF. — 24) habeant] habent B. — 25) triennium] biennium BCF. — poterunt — aliunde *om.* B. — 26) debita] de bonis C. — 32) ipsi] dicti BC. — eos *om.* C; eos pro tunc *om.* B. — 33) restituant] restituerint BC.

(1) Cf. supra pag. 24 l. 19 sqq.

studentibus, qui sunt extra suas provincias nec commode pro huiusmodi licencia possunt ad suos provinciales recurrere, quod pro suis necessitatibus, si aliunde sibi providere non possint, libros suos, biblia dumtaxat et fratris Thome operibus exceptis, possint vendere de prioris sui, magistrorum, bacalareorum seu lectorum vel maioris partis consilio et assensu.

Item. Ordinamus et districte inhibemus, ne predicatores generales fiant isto anno in illis provinciis, in quibus numerus ipsorum predicatorum generalium numero conventuum sue provincie maior fuerit vel equalis. Poterunt tamen loco illorum, qui ad capitula communiter venire non possunt, alii substitui iuxta numerum eorumdem, nec tamen propter hoc illos intelligimus absolutos.

Item. Inhibemus prioribus conventualibus, subprioribus et eorum vicariis, ut nullum fratrem in ordine nostro professum ad aliquem alium ordinem licencient vel aliter de ordine expellere presumant sine prioris provincialis vel eius vicarii licencia speciali; qui vero contrarium fecerint, si priores aut suppriores sunt, ipso facto sint a suis officiis absoluti; vicarii vero per biennium voce privati.

Item. Magister ordinis de assensu et voluntate diffinitorum interdicit prioribus provincialibus et conventualibus et eorum vicariis ac fratribus universis, ne aliquem professum cuiuscumque ordinis alterius ullo modo ad nostrum ordinem recipiant sine ipsius magistri ordinis licencia speciali. Si qui autem contrarium fecerint, sint ipso facto a suis officiis absoluti. Ceteri vero fratres sint per triennium voce privati. Qui autem in hiis a capitulo Argentinensi citra transgressi sunt, denunciamus eos penas huiusmodi incurrisse. Monachi tamen nigri et canonici regulares recipi poterunt de prioris provincialis vel eius vicarii licencia speciali.

Item. Inhibemus districte fratribus, qui sunt in curiis personarum extra ordinem constitutarum, ne de negociis secularium litigiosis seu odiosis se ullatenus intromittant; quod si secus ab aliquo fuerit attemptatum, a suis prioribus provincialibus et conventualibus gravius puniantur. Volumus autem et districte iniungimus, quod hiis fratribus, qui in dictis curiis commorantur, tales socii assignentur, qui sint vita, etate et moribus approbati.

Item. Cum constituciones nostre caverint studiose, quod fratres precibus personarum extra ordinem constitutarum in agendis per ordinem

3) possint *om.* A2. — 5) magistrorum] et *add.* BCF. — partis *om.* C. — 9) capitula] capitulum B. — 12) et] ac CF. — 14) aliter] alias BC. — 15) speciali] si *add.* A2. — 16) aut suppriores sunt *om.* B. — 17) biennium] omni *add.* B. — 18) assensu et *om.* B. — 19) provincialibus et *om.* B. — 21) ordinis *om.* A2B. — 23) triennium] omni *add.* B. — 28) personarum] prelatorum B. — 29) constitutarum] constitutorum B. — 30) ullatenus] ulterius B. — 31) et] seu B. — 33) et] ac C. — 35) caverint] caveant B.

se iuvare non debeant, et hoc ab aliquibus minime observetur, ordinamus, quod preces tales porrecte pro fratre vel contra fratrem, que alias non fuissent admisse a prioribus provincialibus vel eorum vicariis, non possint admitti sine assensu diffinitorum capituli provincialis, nisi tales et talium preces fuerint, quod non possint sine gravi turbacione et scandalo refutari.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie et de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater accedat ad curiam Romanam sine ipsius magistri licencia speciali, nisi casus talis pro negociis ordinis emergeret, qui non posset commode per solum procuratorem ordinis expediri. In quo casu prior provincialis vel eius vicarius licenciam dare poterit duobus tantum fratribus maturis et discretis sue provincie. Et eisdem fratribus precipit magister ordinis de dictorum diffinitorum consilio et assensu, quod cum ad dictam curiam pervenerint, de nullo se negocio intromittant, nisi prius illud procuratori ordinis exposuerunt diligenter et sic demum procedant in illo de eius consilio et assensu.

Item. Cum in observancia interdicti inter fratres et clericos nonnulla aliquando dissonancia oriatur, volumus et ordinamus, quod fratres omnes, quantum secundum deum poterunt, in servando interdicto matrici ecclesie se conforment.

Item. Advertant diligenter prelati, quod execuciones testamentorum non imponant nisi discretis fratribus et maturis, et ipsi, quibus huiusmodi auctoritas est commissa, sollicite, prout possibile fuerit, exequantur secundum tempus a iure taxatum et cum omni gracia et reverencia prelatorum.

Item. Volumus et ordinamus, quod fratres, qui in die tractatus vel electionis prioris renunciaverint voci sue, a diffinitoribus et prioribus provincialibus gravius puniantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod priores provinciales diffinitoribus capituli generalis et sociis eorum provideant diligenter in expensis, studentibus autem et bacalareis missis ad studia generalia provideant diligenter. Utraque autem provisio fiat per collectam vel per alium convenientem modum, sicut videbitur expedire.

Item. Ordinamus, quod famuli fratrum veniencium ad capitulum generale non recipiantur ad cibum vel lectum in conventu, exceptis pueris diffinitorum et sociorum eorumdem.

---

2) ordinamus *om.* B. — preces] et peticiones *add.* B. — 3) vel] et BC. — 4) admitti *om.* A2; *add. in marg.* D. — 9) magistri *om.* A2DF. — 13) fratribus *om.* A2D. — 14) diffinitorum *om.* B. — 16) in illo *om.* B. — 20) servando] observando B. — interdicto] interdictum BC. — 29) prioribus provincialibus] priore provinciali BC. — 31) eorum] eorumdem C; *om.* B. — diligenter *om.* BCF. — 32) autem] eciam C; *om.* B. — 34) videbitur] viderint B; noverint C. — 37) et] ac DF.

Item. Cum ex ignorancia actorum tam generalium quam provincialium capitulorum defectus multi proveniant, districte iniungimus, quod socii priorum provincialium et diffinitorum portent acta generalis capituli pro tempore integra ad suas provincias et socii priorum conventualium ad suos conventus deferant acta tam generalis quam provincialis capituli integra et suppriores ipsorum monieiones et ordinaciones scribi faciant in quaterno ad hoc specialiter deputato. Quod si infra duos menses ad suas provincias vel conventus non portaverint seu miserint, per triennium assignari vel eligi non possint in socios diffinitorum vel provincialium vel priorum. Acta vero utriusque capituli ad minus quater in anno legi volumus in conventu.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Francie, Romane provincie, Aragonie et Terre sancte.

Et priores conventuales Tarraconensem, Xativensem.

Iste sunt penitencie.

Cupientes presumptuosis et temerariis excessibus illorum, qui unitatem et stabilitatem ordinis impugnare noscuntur, omni sollicitudine cum disciplina ordinis obviare, fratres Thomam Manchasolum et Alcisium Pergamensem, Manuelem Astensem, Iulianum Parmensem, Hubertum Utinensem de provincia Grecie, qui inobedientes fratri Andree Astensi vicario reverendi patris magistri ordinis in eadem provincia, et literis eius de diligenti consilio discretorum capitulum provinciale prolungantis ausi sunt temeraria nec minis presumptuosa celebracione ipsum capitulum prevenire, in quo dicti fratres Thomas videlicet Manchasolus, qui se pro vicario, et ceteri qui pro diffinitoribus se gerebant, rebelles de facto prefatum vicarium ab execucione officii suspenderunt, eidem multis irreverenciis et iniuriis irrogatis, decernentes processus ipsorum nullos, et ipsum nominale capitulum per eosdem celebratum irritum et inane, per quinquennium omni voce privamus, confessionum audiencia, predicacione et aliis graciis ordinis quibuscumque, ita quod nec eligi nec postulari valeant, nec eligere, seu eciam postulare, nec in loco aliquo in officio quocumque curam fratrum habere sine generalis capituli

3) priorum *om.* B. — portent] procurent B. — 4) integra] integre A2DF. — 6) integra] integre A2DF. — moniciones] admoniciones B. — 8) vel] seu B. — 10) vel] seu BDF. — 14) et] item A2CD. — 15) Tarraconensem, Xativensem] etc. B. — Xativensem] Xatroensem D. — 17) illorum *om.* BC. — 18) cum *om.* BC. — 19) Manchasolum] Machasola C: Manchosolis F. — Alcysium] Acclysium A2. — Alghisium B; Alguysium C. — 20) Manuelem] Emmanuelem BC. — 21) Utinensem] Mutinensem BC. — Astensi] Steno BC; Asteno D. — 22) reverendi] venerabilis B: reverendi patris *om.* A2: reverendi *om.* D. — 24) promulgantis] promulgasse B. — 25) videlicet *om.* B. — Manchasolus] Manchasola B; *om.* C; Manchassonus D; Manchasona F. — 26) se *om.* CF. — gerebant] gesserunt CC. — rebelles] nec minus presumptose *add.* B. — 27) prefatum] predictum B. — 29) nominale] provinciale B. — 32) nec] aut *ante* postulari C. — seu] nec B.

aut magistri ordinis licencia speciali; ieiunantes nichilominus singulis annis huius quinquennii quinque diebus in pane et aqua, imponentes eisdem singulis annis quinque disciplinas, quinque missas et totidem letanias. Ceteros vero fratres, qui eis in tam gravibus excessibus prestantes auxilium et favorem, qui predicto vicario contumeliose restiterunt, per priores provinciales, in quorum provinciis inventi fuerint, acrius corrigi volumus et puniri. Ceterum capitulum provinciale per sepe dictum vicarium magistri ordinis assignatum ac una cum diffinitoribus celebratum, tamquam firmum et stabile approbamus.

Item. Illis diffinitoribus capituli provincialis anno preterito in provincia regni Cicilie celebrati, eo quod lectorem ad legendum bibliam biblice in nullo conventu sue provincie assignaverunt, secundum quod in capitulo Paduano fuit ordinatum, iniungimus sex dies in pane et aqua, sex missas et totidem letanias.

Item. Fratrem Guidonem de Vandac, procuratorem in conventu sancti Iohannis in provincia Francie, quia male recepit diffinitorem Anglie et socium eius, in penam absolvimus ab officio procuracionis et assignamus eum conventui Tullensi eiusdem provincie.

Item. Absolvimus fratrem Iohannem de Laviano a prioratu Sagocensi in penam, quia non providit infirmis, secundum quod in generalibus capitulis fuerat ordinatum.

Item. Absolvimus priorem Perpiniani de provincia Provincie, quia diffinitorem Grecie male tractavit ad capitulum venientem.

Item. Priorem de Reata de provincia Romana pro eadem causa absolvimus in penam.

Item. Volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus non resumantur hoc anno.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro domino papa Clemente ·v°· et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·iv^{or}· missas et quilibet conventus unam in qualibet septimana.

---

1) generalis capituli aut *om.* B. — 2) huius] dicti B. — 4) excessibus *om.* B. — 5) contumeliose] eciam *add.* BC. — 8) ac] eciam *add.* BC. — 10) illis *om.* B. — preterito] predicto C. — 11) Cicilie *om.* B. — 12) secundum quod] prout C. — 13) fuit] extitit BC. — iniungimus] imponimus C. — 15) Guidonem] Guilielmum B. — Vandac] Andech B; Audech C; — in conventu *om.* BC. — 16) in] de B. — in provincia] provincie C. — quia] quod A2DF. — recepit] irreverenter se habuit ad BC. — 17) eius *om.* B; eius] suum C; eius] venientes ad capitulum generale *add.* BC. — procuraciones *om.* BC. — 18) eiusdem provincie *om.* BC. — 20) a prioratu Sagocensi] priorem Sangolensem BC. — Sagocensi] Sangocensi D; Sangonensi F. — 21) generalibus capitulis fuerat] precedenti capitulo extitit BC. — 22) de provincia] provincie BC. — 23) male — venientem] irreverenter se habuit ad ·IV· diffinitores recepto nuncio de ipsorum adventu de conventu ad civitatem recedens, absolvimus in penam. C. — 24) de Reata — provincia] Reatinum Romane provincie BC. — pro eadem causa] qui indebite se habuit ad diffinitorem Grecie euntem ad capitulum generale C. — 26) item] et BC. — 27) non — anno] ad eadem officia minime assumuntur BC. — hoc] isto D. — 28) pro vivis — pervenisset] etc. B. — 29) pro — et terciam de beato Dominico *om.* C.

Item. Pro domino Nicholao Hostiensi et Velletrensi episcopo cardinali (1) et domino fr. Thoma tit. S. Sabine (2) et domino fr. Nicholao tit. s. Eusebii (3) presbiteris cardinalibus, quilibet sacerdos ·iiiior· missas et quilibet conventus unam de beato Dominico etc.

Item. Pro fratribus nostris et sororibus et bono statu ordinis et fratribus minoribus et populo Cesaraugustano et pro hiis, qui bene fecerunt capitulo et receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeuntes, et pro hiis, qui pecierunt recommendari et qui habent literas de suffragiis ordinis, quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro fratre Petro de Condeto quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro magistro ordinis et ministro fratrum minorum quilibet sacerdos ·iii· missas, unam de trinitate, aliam de beata virgine et terciam de beato Dominico.

Ista sunt suffragia pro defunctis:

Pro domino Odoardo rege Anglie defuncto quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro dominis episcopis Urgellensi (4) et Castellano (5) fratribus ordinis nostri et ceteris quilibet sacerdos unam missam etc.

Item. Pro fratribus nostris et sororibus, parentibus et benefactoribus et receptis per literas magistri ad suffragia ordinis quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro qualibet missa superius posita quilibet frater clericus ·vii· psalmos cum letania, et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Denunciamus fratribus universis, quod tenentur ad suffragia pro socio diffinitoris Aragonie ad capitulum Paduanum defuncto post ipsum capitulum in conventu Aquensi in Provincia, antequam ad conventum proprium pervenisset.

Letania vero in profestis diebus quadragesime cum psalmis, versiculis, et oracionibus consuetis ab omnibus intus et extra dicatur.

---

4) Dominico] summa missarum pro vivis ·LV·; item quilibet conventus ·II· *add. in marg.* F. — 15) pro — dicant] etc. C; pro — defuncto *om.* F. — 24) dicant] summa missarum pro defunctis ·XIII· Item pro diffinitore defuncto ·III· *add. in marg.* F. — 27) in conventu — provincia *om.* C. — 29) vero *om.* B. — 30) versiculis *om.* B. — ab omnibus *om.* B.

---

(1) De fr. Nicolao cf. supra pag. 36 l. 25.

(2) De fr. Thoma cf. supra pag. ibid. l. 26.

(3) De fr. Nicolao cf. supra pag. ibid. l. 27.

(4) Guilelmo de Montechaleno (Moncada), qui die 19 Dec. 1295 promotus et die 3 Nov. 1308 defunctus est. Cfr. EUBEL l. c. pag. 538.

(5) Ramberto mag. theol., qui die 20 Febr. 1303 promotus est. Cfr. EUBEL l. c. pag. 177.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacallariis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout utilitati et promocioni dictorum studiorum viderit expedire. Et quantum nostra interest, ordinamus expresse, quod magister dictam ordinacionem circa ipsos bacallarios valeat et studeat, prout expediens viderit, prevenire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Placenciam in provincia Lombardie superioris ordinantes, quod diffinitores anni futuri dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat veniendi, intret locum capituli ante ·vi· feriam vigiliam pentecostes precedentem.

Ponimus vicarium in provincia Francie fratrem Erveum Natalis magistrum in theologia, donec provincialis eiusdem provincie electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXI.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS PLACENCIE CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· X°.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Volumus et ordinamus, quod ordinaciones in precedenti capitulo facte de provisione infirmorum facienda et vestibus dandis indigentibus pro tempore indigencie fratrum vel certo tempore anni secundum quod provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium de discretorum consilio magis videbitur expedire; item circa studia et studentes et de libris non vendendis nec distrahendis; item de recepcionibus in aliis ordinibus professorum et de predicatoribus generalibus non fiendis hoc anno sub eisdem penis cum exacta diligencia inviolabiliter observentur (1).

Item. Cum ex absentacione magistrorum in theologia et bacalareorum a Parisiensi studio defectus multi contingant, ex quibus apud extraneos notam incurrimus et ordo noster devenit in contemptum, volumus et ordinamus, quod nullus magistrorum actu legencium seu quicum-

1) committimus — eadem *om.* B. — 2) generalium *om.* A2. — 3) et promocioni *om.* A2. — 8) generale *om.* A2 DF. — 9) quod — precedentem] etc. C. — 13) Erveum] Arveum D. — 18) Placencie] apud Placenciam CF. — 21) capitulo] generali *add.* B. — 23) indigencie] indigencium F. — 26) libris] scilicet *add.* F. — 26) recepçionibus] receptoribus B. — 29) absentacione] absentacionibus BF. — 31) notam] cum F.

(1) Cf. supra pag. 38 l. 5 sqq.; pag. 40 l. 6 sqq.

que bacalarii ab ipso Parisiensi studio aliquatenus se absentent nec in ullo regiminis officio occupentur nec in generalibus studiis nisi pro notabili et evidenti defectu ad legendum ponantur.

Item. Ad subtrahendum omnibus evagandi materiam et discursus inutiles compescendos, volumus et ordinamus, quod priores ac eorum vicarii fratres suis conventibus deputatos extra terminos suorum conventuum non licencient, nisi pro gravi infirmitate ipsorum vel suorum parentum vel propter eorum mortem vel ad evitandum grave scandalum ordinis vel pro evidenti necessitate vel utilitate conventuum, et tunc de consilio discretorum plurium. Licenciati vero constitucionem de literis testimonialibus portandis ac prestandis diligenter observent, in quibus causa ipsius licencie et terminus exprimantur. Quicumque vero literas huiusmodi non portaverit, ipsum ab ingressu ville omnino privamus et volumus, quod post unam diem de conventu illo recedere teneatur. Priores vero contra ordinaciones huiusmodi licenciam dantes in visitacionibus priorum provincialium et capitulis provincialibus a prioratus officio absolvantur. Priores autem provinciales et eorum vicarii non sint faciles ad tales licencias concedendas.

Item. Cum ex nimio discursu fratrum et inordinato ad capitula provincialia dispendia et turbaciones quamplurime subsequantur et regulares observancie quam plurimum relaxentur, inhibemus districte, ne de cetero huiusmodi licencie aliquibus concedantur, nisi forte propter correctiones circa eos vel alios exercendas.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater eciam pretextu prelacionis ac lectorie preterite seu alterius officii cuiuscumque a communibus officiis fratrum et obsequiis seu a choro aliquatenus sit exemptus. Gracias autem quibuscumque super hoc hactenus per priores provinciales vel eis inferiores concessas ordinacione presenti penitus revocamus. Licencias eciam generaliter datas confitendi quibuscumque indifferenter alteri quam prelato simpliciter annullamus. Rogamus autem magistrum ordinis, quod hanc ordinacionem sine causa legitima non relaxet.

Item. Cum ex inductionibus libertati electionum ordinis plurimum detrahatur et turbaciones et scandala plurima consequantur, prohibemus districte, ne aliquis prece vel precio, comminacione, promissione ex certa siencia vel deliberacione alium ad eligendum vel non eligendum

---

1) quicumque bacalarii] eciam quibuscumque baccallariis F. — 5) ac] et B. — 8) propter *om.* BCF. — 9) ordinis *om.* A2. — vel] seu *post* necessitate BCF. — 13) omnino] omnia F. — 14) diem *om.* F. — 15) ordinaciones] ordinacionem BCF. — 16) priorum *om.* BCF. — 21) quam *om.* BCF. — 23) correctiones] correctam F. — 27) communibus] actionibus F. — 29) datas] generaliter *add.* A2DF. — confitendi] de *add.* DF. — 34) plurima *om.* A2. — consequantur] subsequantur F. — 35) vel *om.* BF. — 36) vel non eligendum *om.* F.

inducat. Quicumque vero contrarium fecerit ipsum privamus omnibus suffragiis ordinis in vita pariter et morte. Inductum vero eamdem penam incurrere volumus, nisi statim, habita opportunitate debita, suo prelato ipsum inductorem revelet. Si autem aliquis de inductione sit convictus, ipsum eciam ex nunc per triennium omni voce privamus, et nichilominus penis aliis acrius puniatur.

Item. Cum symbolizaciones vite religiose non congruant et plurimum nostram paupertatem deforment, ipsas omnino fieri prohibemus, prioribus ac eorum vicariis iniungentes, ne ipsas fieri ullo casu permittant. Provinciales vero seu visitatores tam facientes quam permittentes sic graviter puniant, quod sint ceteris in exemplum.

Item. Cum non deceat nec ordini expediat ullo modo viam correctionis precludi, prohibemus districte, ne aliquis prior fratrem aliquem pro eo, quod ipsum ad suum superiorem detulit, modo aliquo audeat molestare, nec cum ipso super delacione contra eum factam audeat inquirere per se vel per alium, in publico vel ad partem. Quod si secus factum fuerit, a prioratus officio absolvatur, et nichilominus sibi pene alie iuxta culpe exigenciam imponantur. Simili modo prohibemus, ne ceteri fratres eos, qui se ad suos superiores deferunt, ex hoc gravent in aliquo vel offendant nec humanitatis obsequia subtrahant. Qui vero contrarium fecisse fuerint deprehensi, omni voce priventur et nichilominus penis aliis gravius puniantur.

Item. Cum ex relacione criminum visorum seu auditorum indebita et incauta sequantur fratrum infamie ultra ordinem caritatis et nichilominus multiplex scandali ac turbacionis materia ministretur, volumus ac districte iniungimus, quod quicumque crimen visum vel auditum de fratre ordinis scienter et ex proposito cuicumque persone alias nescienti revelaverit, ad quam correctio non pertinet de predictis, vel que non creditur probabiliter in illo casu posse prodesse, exprimendo fratris personam vel nomen, per priorem provincialem vel eius vicarium seu visitatorem vel suum priorem, postquam legitime constiterit, pena crimínoso debita de discretorum consilio puniatur et maxime si alias de talibus sit notatus.

Item. Vult et ordinat magister ordinis, quod si qui fratres de ipsius gracia ad aliqua studia extra provinciam eorum mittantur, qui non religiose seu pacifice conversentur, si per prelatos suos vel vicarios ad-

---

2) et] in *add.* F. — vero] eciam C. — eandem] eciam *add.* BF. — 4) ipsum *om.* C. — inductione] legitime *add.* BCF. — 6) penis *om.* F. — acrius *om.* B. — 9) prioribus] autem *add.* C. — 11) puniant] puniantur F. — ceteris] aliis B. — 14) suum *om.* A2D. — 15) cum] de C. — audeat] debeat A2BF. — 17) sibi *om.* B. — 18) alie *om.* A2. — 23) seu] eciam *add.* BF. — 24) ultra] contra BCF. — caritatis *om.* F. — 25) ac] et *post* volumus F. — 30) vicarium seu *om.* A2. — 35) provinciam eorum] suam provinciam A2D. — 36) conversentur] conversantur BF. — vel] seu A2.

moniti se emendare neglexerint, per priores provinciales illarum provinciarum ad suas provincias de discretorum consilio remittantur.

Item. Precipit magister ordinis in virtute s. obediencie et sub pena excommunicacionis de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater ad curiam Romanam accedat vel cum intencione ad curiam accedendi de suo conventu iter arripiat pro negociis cuiuscumque persone extra nostrum ordinem constitute. Quicumque vero contrarium fecerit, ipso facto omnibus graciis sit privatus, ad quas restitui non possit, nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale, cum hoc de sanctissimi patris nostri summi pontificis tamquam nostri ordinis zelatoris precipui expressa voluntate procedat. Magister autem ordinis omnes licencias de fratribus mittendis ad curiam quibuscumque personis concessas ordinacione presenti revocat penitus et annullat.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater ad eamdem curiam vadat vel de conventu suo cum intencione eundi ad curiam arripiat iter eciam pro negociis ordinis pertractandis absque ipsius magistri licencia speciali. Et eadem precepti districtione magister prohibet de eorumdem consilio et assensu, quod nullus frater ad curias regum seu dominorum legatorum vel prelatorum seu secularium principum, potestatum vel baronum accedat, ut causis litigiosis seu quibuscumque profanis negociis de se odiosis secularium personarum intendat. Quicumque vero contrarium fecisse deprehensus fuerit, omni voce privetur et nichilominus aliis penis gravibus puniatur.

Item. Declaramus, quod in omni ordinis electione canonica undecumque vel in quocumque statu persona eligenda existat, semper dicatur: eligo, et numquam dicatur: postulo, in formacione decreti.

Item. Inhibemus districte propter multas turbaciones, que in diversis provinciis sunt secute, ne in die tractatus vel alio tempore ulla fiat collacio de lectore repetendo vel amovendo seu alio petendo, nisi conventus lectore caruerit vel careret.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialem Theutonie, quia mittimus eum Parisius ad recipiendum magisterium in sacra theologia.

Item provincialem regni Sicilie.

Item. Absolvimus priores conventuales Cremonensem, Albiganensem,

---

4) de] provincialium *add.* CD. — 9) cum] et F. — 13) penitus *om.* CF. — 14) de] provincialium *add.* A2D. — 15) quod — assensu *om.* B. — 17) ordinis *om.* F. — 20) vel prelatorum *om.* A2DF. — 21) profanis] personis A2; profanis *om.* BCDF. — 23) omni] causa F. — penis] peccatis F. — 25) item *om.* BCF. — 27) dicatur *om.* BCF. — 28) districte] quod *add.* F. — 29) sunt secute] consequuntur BCF. — 31) caruerit vel *om.* BCF. — 33) absolvimus] priores provinciales *add.* A2. — 34) magisterium] magistratum F. — 35) item provincialem *om.* B. — 36) Cremonensem] Cremensem B.

Saonensem, Savilianensem, Cheriensem, Vercellensem, Novariensem, Pergamensem et Ianuensem.

Et volumus, quod priores hoc anno absoluti in eisdem provinciis et conventibus nullatenus resumantur.

Concedimus provincie Saxonie tres domos, cum licenciam habeant a summo pontifice.

Iste sunt penitencie.

Cum intellexerimus, quod in provincia Boemie in capitulo provinciali post capitulum generale in Padua celebratum sint aliqui fratres per diffinitores ipsius capituli provincialis reprehensi acriter et puniti, eo quod magistro ordinis et diffinitoribus capituli generalis aliqua scripserant seu verbo nunciaverant pertinencia ad correctionem fratrum eiusdem provincie et reformacionem ordinis in eadem, ne tanta temeritas in posterum invalescat et correctioni ordinis derogetur, volumus et districte iniungimus priori provinciali Boemie, quod ipse cum exacta diligencia et consilio discretorum super hiis veritatem inquirat. Qua reperta, ipsos diffinitores vel quoscumque alios, qui in hac materia inventi fuerint deliquisse, sic graviter puniat, quod nullus de cetero audeat similia attemptare.

Item. Cum pro eadem culpa bis non debeat aliquis puniri secundum equitatis ordinem, privacionem vocum factam in capitulo provinciali Romane provincie ultimo celebrato de quibusdam fratribus punitis alias, qui fuerant per maiores suos restituti ad vocem, penitus revocamus.

Item. Cum in provincia Theutonie in capitulo provinciali ultimo celebrato fuerint predicatores generales instituti contra ordinacionem capituli generalis Cesarauguste celebrati eos absolvimus ab officio memorato (1).

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre et domino nostro summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos quatuor missas et quilibet conventus unam missam qualibet septimana etc.

Summa missarum pro vivis ·lvi·

Ista sunt suffragia pro defunctis.

1) Saonensem] Iacensem B; Sagonensem A2 CD; et ceteros *add.* F. — 3) et — resumantur *om.* A2 D. — 8) Boemie] Theutonie C. — 10) provincialis *om.* A2 D. — acriter] graviter B. — 11) capituli generalis] capitulorum generalium BC. — 13) in — ordine *om.* C. — 16) reperta] recepta F. — 19) attemptare] tentare A2. — 22) quibusdam] quibus A2. — 23) qui fuerant *om.* A2. — suos *om.* F. — 29) ista — ·XII·] etc. B; ista — ·XII· *om.* F. — 30) sanctissimo — pontifice] domino papa A2 D. — 31) et — etc. *om.* C. — 33) ·LVI·] ·LVII·; pro defunctis ·XII·; *reliqua* — observari *om.* C.

(1) Cf. supra pag. 40 l. 6 sqq.

Pro domino rege Sicilie Carlo ·ii^{o}· quilibet frater faciat sicut pro magistro ordinis defuncto et quilibet conventus similiter.

Summa missarum pro defunctis ·xii·

Denunciamus omnes fratres, qui ad presens generale capitulum sine licencia devenerant et ordinacione precedencium capitulorum quamplurimum per biennium omni voce privatos; quam ordinacionem pro sequenti anno volumus observari (1).

Letania in profestis diebus quadragesime cum psalmis, versiculis et oracionibus consuetis ab omnibus intus et extra dicatur.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout utilitati et promocioni studiorum viderit expedire. Et quantum nostra interest, ordinamus expresse, quod magister dictam ordinacionem circa ipsos bacalareos valeat et studeat, prout expediens viderit, prevenire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Neapolim in provincia regni Sicilie ordinantes, quod diffinitores anni futuri dominica infra octavam ascensionis domini veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat, locum capituli intret ante ·vi^{am}· feriam vigiliam pentecostes precedentem.

Ponimus vicarium in provincia Theutonie fr. Theodoricum, magistrum in theologia, donec provincialis eiusdem provincie electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Rogamus magistrum ordinis, quod ipse de tribus studiis, scilicet ebraico, greco et arabico provideat in aliquibus provinciis; et cum fuerint ordinata, ad quodlibet illorum quelibet provincia studentem aptum et intelligentem mittere possit cum contribucione decenti.

Item. Volumus et ordinamus, quod acta capituli generalis et provincialis semel in mense in quolibet conventu in comuni legantur.

Actis additae sunt litterae Clementis V; cf. BO. vol. VII p. 55 n. XX; litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXII; et litterae fr. Lapi, procuratoris ordinis datae magistro generali; cf. app. n. LXIII.

---

3) summa — ·XII· *om.* A2. — 5) devenerant] venerunt BF. — precedencium] presencium F — 8) letania — resumantur] et finis est huiusmodi racionis F. — psalmis] et *add.* BD. — 11) et *post* magistris *om.* B. — 12) promocioni] devocioni D. — 19) domini *om.* B. — 22) Theodoricum] Thedericum D. — 26) aliquibus provinciis] aliqua provincia B. — 28) possit *om.* A2. — 29) item — legantur *om.* A2. — 30) legantur] et volumus. quod priores hoc anno absoluti in eisdem provinciis et conventibus nullatenus resumantur *add.* BD.

---

(1) Cf. supra pag. 36 l. 13.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS APUD NEAPOLIM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XI°·

Inchoamus hanc constitucionem, quod conventus Duracenus ad provinciam Grecie transferatur.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Volumus et ordinamus, quod fratres omnes prelatis ecclesiarum et clericis aliis reverenciam exhibeant debitam et honorem, prout in nostris constitucionibus continetur, ac iura ipsorum promoveant et procurent, sicut pluries extitit in nostris capitulis ordinatum. Si autem circa hoc inveniantur aliqui deliquisse, quod tamen ad nostram noticiam non pervenit, per priores provinciales et conventuales vel eorum vicarios sic acriter puniantur, ut sint ceteris in exemplum.

Item. Ordinamus, quod fratres in suis predicacionibus frequenter moneant populum et inducant, quod decimas et iura alia reddant suis ecclesiis, ut tenentur, et quod manus porrigant adiutrices pro passagio ultramarino et in subsidium Terre sancte.

Item. Quod, quando fratres infirmos visitant, eos moneant et inducant, ut suis ecclesiis largas faciant elemosynas et legata; et caveant diligenter, ut a sepultura suarum ecclesiarum vel eciam aliarum aliquem non avertant.

Item. Quod priores provinciales et eorum vicarii sint cauti, quod ad predicacionis officium et confessionum audienciam non exponant nisi fratres moribus et sciencia approbatos.

Item. Ordinamus, quod nullus frater promoveatur ad sacerdocium, antequam iudicio conventus vel maioris partis ipsius ·xxv^um^· annum compleverit in etate, ubi alias non constaret. Licenciatores vero in contrarium, si priores vel suppriores fuerint, in proximo provinciali capitulo in penam a suis officiis absolvantur; si vero vicarii fuerint, priventur omni voce per annum.

Item. Quod sacerdotes, dyaconi et subdyaconi in missis conventualibus portent camisias vel scapularia, cum induunt sacras vestes; hoc idem in missis privatis faciant omnes alii sacerdotes.

---

7) omnes *om.* F. — 8) debitam *om.* BF. — in nostris *om.* F. — 9) ac] item F. — 11) quod] et B. — 12) priores provinciales] priorem provincialem F. — et] ac BF. — 13) acriter] acrius F. — 15) populum *om.* B. — inducant] seculares *add.* B. — quod] ut B. — quod decimas *om.* F. — 16) quod *om.* A2. — 18) item] ordinamus *add.* F. — quod *om.* B. — quando] cum F. — 19) ut] quod F. — 22) quod] ut B. — et] vel B. — quod] et F. — 25) ordinamus *om.* F. — sacerdocium] nisi *add.* F. — 28) in — fuerint *om.* A2. — 33) idem] eciam *add.* D.

Item. Quod iuvenes de novo professi in divino officio, moribus et sciencia diligencius instruantur nec mittantur ad studia arcium extra conventum nec in conventu artes audiant ante duos annos a professione eorum; et parcatur eis, quantum commode fieri poterit, a discursu. Quod si secus attemptatum fuerit, decernimus irritum et inane.

Item. Quod visitatores, expleta visitacione, diligenter inquirant de profectu iuvenum studencium in artibus et naturis, sciencia et vita, et quod invenerint, teneantur diffinitoribus provincialis capituli nunciare.

Item. Quod non fiant visitatores, nisi fratres antiqui et maturi et in ordine vita et moribus approbati.

Item. Quod priores provinciales vel eorum vicarii acta capitulorum provincialium in ipso loco capituli aliquatenus non immutent sine illorum, qui diffinitores fuerint vel maioris partis eorum consilio et assensu, nec eciam alibi absque deliberacione provida et consilio discretorum.

Item. Quod priores provinciales et eorum vicarii prioribus absolucionis literas non concedant dilacionem temporis continentes.

Item. Ordinamus, quod lectores in quolibet conventu continue legant de textu biblie et semper ante aliam lectionem.

Item. Quod nullus frater, antequam per unum annum in studio bibliam audierit, assignetur alicui studio generali sive in sua provincia sive extra. Quod si secus actum fuerit, sit irritum et inane.

Item. Quod in quolibet conventu, suppriore carente, priores secundum modum in constitucionibus traditum, infra mensem teneant instituere vel instituendos petere suppriores; et qui in hoc inventi fuerint negligentes, in suis provincialibus capitulis absolvantur.

Item. Ordinacionem factam in precedenti capitulo generali de inductionibus non fiendis volumus inviolabiliter observari; et insuper ordinamus, quod ante diem electionis, ipsa die assignacionis in capitulo, ipsa ordinacio coram electoribus perlegatur (1).

Item. Quod libri et res alie fratrum incarceratorum non alienentur seu aliter distrahantur per priores provinciales aut conventuales seu eorum vicarios, sed ex integro reserventur, quousque per priores provinciales de consilio diffinitorum et aliorum eciam discretorum de ipsis aliter ordinetur.

1) quod *om.* F. — 2) diligencius] diligenter B; diligencius *om.* F. — 3) conventum] conventus F. — artes *om.* A2D. — 4) commode *om.* F. — 7) et] vel F. — et naturis *om.* B. — naturis] qualiter se in *add.* F. — 9) fiant] sint F. — 11) priores *om.* BF. — vel] et F. — 14) nec] vel A2. — 19) per *om.* A2D. — 20) assignetur] assignemus F. — sua *om.* F. — 23) teneant] teneantur F. — 24) petere] esse D. — 26) capitulo *om.* B. — 27) fiendis] faciendis F. — 28) electionis] in *add.* B; vel in *add.* F. — assignacionis *om.* A2D. — 31) seu] *post* conventuales vel F. — 33) de consilio diffinitorum] et diffinitores provincialis capituli BF. — et aliorum eciam *om.* BF. — de ipsis *om.* BF. — 34) aliter] aliud F.

(1) Cf. supra pag. 46 l. 33 sqq.

Item. Magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu ordinacionem de non eundo ad curiam Romanam et aliorum dominorum eisdem prohibicionibus et penis approbat et confirmat; concedit tamen prioribus provincialibus vel eorum vicariis, quod pro negociis sue provincie duos fratres ad dictam curiam mittere possint.

Item. Ordinaciones precedentis capituli generalis videlicet de provisione infirmorum, de vestibus dandis indigentibus fratribus et de predicatoribus generalibus hoc anno non fiendis, ubi excedunt numerum conventuum vel equantur, de absentacione magistrorum et bacalariorum a studio Parisiensi; de fratribus extra terminos non mittendis, de infamatoribus, modo et forma in predicto capitulo ordinatis, volumus inviolabiliter observari; et imponimus, ut in posterum sic observentur, ne per aliorum oblivionem seu negligenciam amodo oporteat replicari (1).

Item. Volumus et districte iniungimus provincialibus omnibus et eorum vicariis, quod diffinitoribus anni presentis satisfaciant de expensis.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Saxonie et mittimus eum Parisius ad legendum; Boemie et Terre sancte, Romane provincie.

Absolvimus priores conventuales Nucherinum, Barensem, Adriensem, S. Petri Martyris, Capuanum, Sumanum, Sulmontinum et Neapolitanum.

Item. Fratrem Stephanum Werse de provincia Ungarie a prioratu Ragozino et vicaria Dalmacie, nec volumus, quod ad aliquod officium possit promoveri nisi de licencia magistri ordinis speciali; et ordinamus, quod in eisdem provinciis vel conventibus hoc anno ad idem officium nullatenus resumantur.

Ponimus vicarios generales fratrem Rostagnum Alardi de provincia Provincie in provincia Terre sancte et eum eidem provincie assignamus.

Item. Fratrem Dislanum priorem Gradicensem in provincia Boemie.

Item. Fr. Ioannem de Busco, priorem Sosaciensem, in provincia Saxonie.

Item. Fr. Paulum de Pilastris, priorem s. Marie super Minervam in provincia Romana, quousque in dictis provinciis provinciales electi et confirmati fuerint et presentes.

---

1) et assensu *om.* A2D. — 2) aliorum] eciam *add.* BF. — 5) ad dictam curiam *om.* BF. — 6) precedentis *om.* B. — 9) absentacione] absolucione A2D. — 10) de — mittendis *om.* BF. — 12) et — expensis *om.* A2D. — 13) aliorum] aliquorum F. — seu] vel F. — 14) et] ac F. — 18) Boemie] Bononie F. — et *om.* BF. — 19) conventuales — ·V· letanias] etc. F. — Nucherinum] Nucenum B. — 22) Werse] Iadriensem B. — 23) volumus quod *om.* B. — 27) Rostagnum Alardi] Rostandum Alande B. — 29) Gradicensem] Grandigensem B. — 32) Minervam] de urbe *add.* B. — 33) et *om.* B.

---

(1) Cf. supra pag. 45 l. 21 sqq.

Iste sunt penitencie.

Iniungimus diffinitori provincie Aragonie et socio per capitulum sibi dato et socio diffinitoris Hyspanie, quia non venerunt ad capitulum generale nec se legitime excusaverunt, ·v· dies in pane et aqua et ·v· missas et ·v· letanias.

Item. Volumus et imponimus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, quod omnes priores et ceteros fratres, qui non servaverunt ordinacionem de libris non vendendis vel distrahendis vel in posterum non servabunt, cogant facere penitencias, secundum quod in precedenti capitulo generali extitit ordinatum (1).

Item. Denunciamus, quod fratres omnes, qui contra ordinacionem capituli generalis apud Argentinam celebrati receperunt alterius ordinis vel religionis aliquem, incurrisse penam in actis eiusdem capituli ordinatam, et eamdem incurrere volumus eos, qui ipsam ordinacionem in posterum non servabunt (2).

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre ac domino nostro summo pontifice et bono statu universalis ecclesie et pro instanti concilio generali, quilibet sacerdos ·v· missas et quilibet conventus qualibet septimana unam missam.

Item. Pro venerabilibus patribus cardinalibus domino Hostiensi et Velletrensi episcopo (3) ac domino fratre Nicholao tit. s. Eusebii presbytero cardinali (4) quilibet sacerdos ·iii· missas etc.

Numerus missarum pro vivis ·lxii·

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro venerabili patre domino fratre Thoma quondam s. Sabine presbytero cardinali hoc anno defuncto quilibet sacerdos ·iii· missas etc. (5).

Numerus missarum pro defunctis ·xix·

Pro qualibet missa super posita quilibet clericus non sacerdos septem psalmos cum letania et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Denunciamus fratribus universis, quod tenentur ad suffragia pro dif-

4) et *om.* B. — 6) provincialibus *om.* F. — 7) ceteros] ceteri F. — 10) generali *om.* F. — 11) omnes *om.* B. — 13) aliquem] professos BF. — 14) et] in *add.* F. — eos *om.* BF. — qui *om.* B. — 15) in posterum *om.* F. — 16) ista — ·LXII· *om.* F. — 17) patre — dicant] etc. B. — 22) etc. *om.* A2. — 23) numerus — ·LXII· *om.* A2. — 25) pro — dicant] etc. F. — 26) etc. *om.* A2. — 27) numerus — ·XIX· *om.* A2. — 31) denunciamus] autem *add.* F.

(1) Cf. supra pag. 34 l. 29 sqq.
(2) Cfr. supra pag. 24 l. 35 sqq.
(3) De fr. Nicolao cf. supra pag. 44 l. 1.
(4) De fr. Nicolao cf. ibid. l. 3.
(5) De fr. Thoma cf. ibid. l. 2.

finitore Francie et socio suo et socio diffinitoris Anglie, qui mortui sunt venientes ad capitulum generale.

Letania cum psalmis et versiculis et oracionibus consuetis in profestis diebus post ·I^am^· usque ad pascha intus et extra dicatur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale apud Carcassonam in provincia Tolosana assignamus ordinantes, quod diffinitores anni futuri dominica infra octavas ascensionis veniant. Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat, locum capituli intret ante ·vi^am^· feriam vigilie pentecostes precedentem.

Assignamus ad legendum Parisius sentencias fr. Theodoricum de provincia Saxonie (1).

Item. Providemus eidem studio pro biblia legenda de fr. Iacobo de Lausana (2).

Item. Providemus, quantum nostra interest, de fr. Iohanne de Prato, quod sequenti anno legat sentencias Parisius (3).

Item. Committimus prioribus provincialibus vel eorum vicariis et diffinitoribus capitulorum provincialium, ut ipsi de lectoribus et bacalariis in studiis generalibus suarum provinciarum provideant isto anno.

Admittimus cessionem magistri ordinis, quam a nobis humiliter postulavit ipsum a magisterio ordinis absolventes.

Item. Volumus, quod post mortem eius fiat per totum ordinem sicut pro magistro ordinis fieri consuevit.

Item. Volumus et ordinamus, quod post primum priorem in choro et locis aliis primum locum teneat et ab omnibus oneribus ordinis sit exemptus, quantum duxerit acceptandum; et concedimus sibi cameram et socium sibi gratum.

Item. Omnes assignaciones et gracias factas per ipsum in precedenti capitulo vel antea confirmamus.

---

1) et] pro *post* Francie *add.* F. — socio diffinitoris] pro diffinitore Anglie et socio suo F. — 4) ad *om.* B. — 8) autem frater *add.* A2. — 10) precedentem *om.* A2D. — precedentem] item *add.* F. — 14) Lausana] Lausania BF. — 15) item] et F. — 21) magisterio ordinis] officio magistratus F. — 28) assignaciones et *om.* F.

---

(1) De fr. Theodorico de Saxonia cf. SSOP. I. pag. 513 et supra p. 50.

(2) De fr. Iacobo de Lausanna cf. ibid. pag. 547.

(3) De fr. Iohanne de Prato cf. ibid. pag. 593.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS CARCASSONE CELEBRATI IN PROVINCIA THOLOSANA ANNO DOMINI · M°· CCC°· XII°·

Iste sunt ordinaciones.

Cum ex insufficiencia predicancium et confessiones audiencium ordo noster veniat in contemptum et vergat in periculum animarum, et plerumque sequatur scandalum prelatorum, volumus et ordinamus, quod non exponantur ad actus premissos nisi ad hoc ydonei, moribus et sciencia approbati, matura super hac deliberacione premissa. Quod si secus actum fuerit et legitime constiterit, per priores provinciales amoveantur omnes.

Fratres eciam notabiliter iuvenes districtius inhibemus ad ordinem sacerdocii promoveri. Promoventes autem contra ordinacionem presentem tam ad sacerdocium quam ad actus predictos, per priores provinciales et visitatores acrius puniantur, precaventes, ne circa hoc negligentes valeant inveniri.

Item. Inhibemus districte, ne aliquis generali studio assignetur sive in provincia sive extra, nisi bibliam prius audierit biblice uno anno. Lectores autem ad legendum bibliam specialiter deputatos volumus sicut et ceteros lectores frequencius disputare. Ne autem fratres iuvenes eidem studio biblie assignati audiencia careant questionum, volumus et mandamus, quod in ipsis studiis biblie lectores sentenciarum sufficientes et ydonei assignentur.

Item. Cum ex inductionibus libertati electionum ordinis plurimum detrahatur et turbaciones ac scandala plurima subsequantur, prohibemus districte, ne aliquis prece, precio, promissione, comminacione, ex certa sciencia vel deliberacione alium ad eligendum vel non eligendum in-

---

2) Anno domini m°·ccc°·xii°· tercio ydus maii in vigilia pentecostes in conventu Carcassone celebrata fuit electio magistri ordinis, fuitque electus in magistrum frater Berengarius de Laudona magister in theologia, oriundus de diocesi Ruthenensi; erat autem tunc prior provincialis provincie Tholosane.

Erant autem ·XLV· numero electores, inter quos erant priores provinciales ·XVII· scilicet: Hyspanie fr. Lupus; Francie fr. Erveus, magister in theologia; Romane provincie fr. Philippus; Regni Sicilie fr. Raynaldus; Theutonie fr. Henricus; Polonie fr. Peregrinus; Grecie fr. P. Barbois Bitterensis; Aragonie fr. Romeus, magister in theologia; Provincie fr. Guillelmus de Lauduno; Lombardie superioris fr. Barnabas; provincie Tholosane fr. Berengarius de Laudona, magister in theologia; Lombardie inferioris fr. Corradus; Anglie fr. Nicholaus, magister in theologia Oxonie; Dacie fr. Canutus; Boemie fr. Dislaus; Saxonie fr. Iohannes de Busco. *add. in marg.* A2 D. — *acta huius capituli om.* F. — 3) Carcassone] apud Carcassonam B. — 6) audiencium] audiencia B. — 8) plerumque] plurimumque B. — 12) omnes] omnino B. — 13) eciam] vero B.

inducat. Quicumque vero contrarium fecerit, ipsum privamus omnibus suffragiis ordinis in vita pariter et in morte; quam penam eciam inductum incurrere volumus, nisi habita opportunitate debita suo prelato inductorem revelet. Serenitati tamen conscienciarum in casu isto salubriter providentes, volumus, quod priores provinciales et eorum vicarii restitucionem huiusmodi facere valeant in vita pariter et in morte circa eos, qui se humiliter recognoverint deliquisse. In morte vero restitucionem huiusmodi facere valeant priores et ceteri fratrum legitimi confessores. Si autem aliquis de inductione sit convictus, ipsum eciam ex nunc per triennium omni voce privamus, et nichilominus penis aliis acrius puniatur.

Item. Volumus et ordinamus, quod libri et alie res fratrum, qui carcerali custodie mancipantur, cum omni diligencia reserventur, ut iuxta prioris provincialis vel diffinitorum capituli provincialis arbitrium ipsis reddi valeant, cum fuerint ad alias gracias ordinis restituti.

Item. Inhibemus districte, ne predicatores generales fiant in aliqua provincia in numero excessivo, nec insufficientes aut alias inepti ad idem officium aliquatenus assumantur. Priores autem provinciales vel eorum socii numerum omnium predicatorum generalium sue provincie deferant ad sequens capitulum generale.

Item. Ad evitandum evagandi materiam et discursus inutiles compescendos inhibemus districte, ne priores seu eorum vicarii fratres suis conventibus deputatos extra terminos suorum conventuum licencient, nisi pro gravi infirmitate ipsorum vel parentum suorum vel eorum morte vel ad evitandum grave ordinis scandalum vel pro evidenti necessitate seu utilitate conventuum vel fratrum ipsorum, et tunc de consilio plurium discretorum. Licenciati vero ordinacionem de literis testimonialibus portandis et presentandis diligenter observent, in quibus causa ipsius licencie generaliter vel specialiter et terminus exprimantur. Quicumque vero literas huiusmodi non portaverit, ipsum ab ingressu ville omnino privamus et volumus, quod post unam diem de conventu illo recedere teneatur, nisi forte adeo spectabilis frater existat, ut eius simplici dicto fides merito debeat adhiberi, vel nisi sit adeo casus urgens et evidens, quod prioris provincialis vel eius vicarii licencia non possit absque periculo expectari. Priores vero contra ordinacionem huiusmodi dantes licenciam, in visitacionibus a provinciali et in capitulis provincialibus a prioratus officio absolvantur.

---

8) facere — fratrum *om.* A2. — ceteri] fratres *add.* B. — fratrum] huiusmodi *add.* B. — 10) omni *om.* B. — 15) alias gracias] alia A2D. — 30) omnino *om.* A2D. — 33) urgens et *om.* B. — 36) et *om.* G.

Inhibemus eciam districte, ne ad capitulum provinciale licencie aliquibus concedantur nisi forte propter correctiones circa eos vel alios exercendas; quod si in aliqua provincia excessum contingat fieri, volumus, quod magistro ordinis in sequenti capitulo generali per diffinitores provincialis capituli magistro et diffinitoribus nuncietur.

Item. Volumus et ordinamus, quod priores circa instructionem fratrum iuvenum et informacionem, eciam post ipsorum professionem curam adhibeant diligentem, nec discursibus exponantur nec studiis arcium assignentur, nisi prius in divino officio fuerint sufficienter instructi et in regularibus observanciis informati; volentes nichilominus et mandantes, quod constitucio de recipiendis noviciis diligenter observetur, et in etate a constitucionibus taxata sine causa multum legitima nullatenus dispensetur. Quod si forte aliqui de cetero aliquem infra etatem a iure taxatam receperint contra iura vel tali recepcioni consenserint cum effectu, in recepcionibus noviciorum vocibus sint privati, quousque per magistrum ordinis vel per priorem suum provincialem vel per diffinitores capituli provincialis fuerint restituti. Priores insuper provinciales eos, quos invenerint in hoc amplius deliquisse, privent omni voce, prout viderint expedire.

Item. Cum ex revelacione criminum visorum vel auditorum indebita et incauta sequatur fratrum infamia contra ordinem caritatis, et nichilominus multiplex scandali et turbacionis materia ministretur, volumus et districte iniungimus, quod quicumque crimen visum vel auditum de ordine vel de fratribus scienter et ex proposito cuicumque persone alias nescienti revelaverit, ad quam correctio non pertinet de predictis, vel que non creditur probabiliter posse prodesse, exprimendo fratris personam vel nomen, per priorem provincialem vel per provinciale capitulum, postquam legitime constiterit, pena criminoso debita de discretorum consilio puniatur; si tamen alias de talibus sit notatus.

Item. Volumus et ordinamus, quod modos in singulis provinciis inventos de provisione infirmis et indigentibus vestibus facienda et ordinaciones de studio et sequela scolarum, que in Cesaraugustano capitulo approbate fuerunt (1), priores provinciales et eorum vicarii, singuli in suis provinciis, per priores conventuales et suppriores et eorum vicarios faciant inviolabiliter observari. Quicumque vero in execucione premissorum inventi fuerint negligentes, ubi hoc legitime constiterit, si priores vel

4) magistro] magister A2 D. — 5) nuncietur] nuncientur B. — 6) volumus — informacionem *om.* A2. — 11) diligenter] diligencius B. — 15) recepcionibus] recepcione B. — 27) per *post* vel *om.* B. — 30) quod] hos *add.* B. — 34) et *post* conventuales *om.* B.

(1) Cf. supra pag. 38 l. 5 sqq.

suppriores sint, nominatim in actis in penam a suis officiis absolvantur; vicarii vero non possint per biennium in eisdem conventibus locum tenere prioris et priores nichilominus per annum omni voce priventur.

Item. Cum fratres de studiis generalibus et maxime Parisiensi ad suas provincias redeuntes tam ad lectionis magis quam ad prelacionis officium apciores esse noscantur, prohibemus districte, ne provinciales vel eorum vicarii tales in officio regiminis audeant occupare, donec annis aliquibus exercuerint officium lectionis.

Item. Cum in quocumque ordine proprietatis vicium sit execrabile et studio summo vitandum, ordinamus, quod quicumque pecuniam aliquam vel quecumque iocalia in auro et argento seu lapidibus preciosis extra manum ordinis habeant apud quamcumque personam, infra unum mensem a presentis ordinacionis noticia ea ad ordinem reducere teneantur. Quod si non fecerint, ipsos ex nunc omnibus illis privamus et conventibus, ad quos dicti fratres pertinent, applicamus. Sub eadem eciam pena prohibemus, ne aliquis quecumque talia ultra duas noctes nisi in communi deposito fratrum teneant sine priorum suorum licencia speciali. Fratres eciam ad requisicionem priorum provincialium vel conventualium, iuxta nostrarum constitucionum tenorem, teneantur de omnibus receptis et expensis, testamentorum execucionibus et dispensacionibus reddere racionem. Quascumque autem gracias seu exempciones a quocumque quibuscumque datas super hoc ordinacione presenti penitus revocamus.

Item. Cum ex nostrarum constitucionum tenore fratres assignati episcopis vel aliis quibuscumque personis extra ordinem constitutis, qui iniuncta statuta ordinis non observant, sint beneficiis et suffragiis ordinis tam in vita quam in morte privati. Et ne ignorancia sit alicui in excusacionis velamen, denunciamus contrarium facientes penam incurrere supradictam; prioribus provincialibus et eorum vicariis nichilominus imponentes, quod si quos deinceps invenerint deliquisse, teneantur quantocius ad ordinem revocare, nisi forte licenciam habeant summi pontificis, de qua per ipsius summi pontificis patentes literas fidem facere teneantur, nisi forte viva voce dominorum regum et cardinalium hoc constaret. Ad hanc autem ordinacionem non intendimus obligari fratres, qui cum dominis cardinalibus commorantur. Prioribus autem conventualibus, supprioribus et eorum vicariis ea districtione, qua possumus, inhibemus, ne ad esum carnium fratribus concedendum se faciles exhibeant, sed de hoc edita constitucio observetur.

---

3) prioris *om.* A2D. — priores *om.* B. — 5) magis *om.* A2D. — 10) et] ac B. — 11) et] vel B. — 17) fratrum *om.* D. — 18) speciali] et expressa *add.* B. — 20) et] ex *add.* D. — et] vel *post* execucionibus B. — 22) quibuscumque *om.* A2D. — 25) observant] servant B. — 26) in *post* alicui *om.* B. — 34) conventualibus] et *add.* B. — 36) fratribus *om.* B.

Item. Precipit magister ordinis in virtute obediencie et sub pena excommunicacionis de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater ad curiam Romanam seu ad locum curie accedat vel cum intencione accedendi de suo conventu iter arripiat, nisi de licencia magistri ordinis speciali. Veniens autem ad curiam negocium cuiuscumque persone extra obedienciam nostri ordinis constitute proponere non presumat, nisi super hoc a domino summo pontifice habita speciali licencia et expressa, cum hoc sit de summi pontificis voluntate.

Eadem autem precepti districtione magister prohibet de predictorum diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater ad curias regum seu dominorum legatorum vel prelatorum secularium, potestatum, principum vel baronum accedat, ut causis litigiosis seu quibusvis negociis de se odiosis secularium personarum intendat.

Item. Cum omni iure honor merito superioribus debeatur, volumus et ea districtione, qua possumus, iniungimus fratribus universis, quod ecclesiarum prelatis omnem reverenciam et honorem exhibeant et ab eorum offensis caveant, in vitam aut statum ipsorum palam aut occulte nullatenus impingentes.

Item. Cum superiorum mandatis et maxime summi pontificis teneamini reverenter et humiliter obedire, volumus et mandamus fratribus universis, quod statuta nuper in sacro Viennensi consilio ordinata cum debita reverencia suscipiant, et ipsa nichilominus integraliter et diligenter observent; prioribus provincialibus nichilominus iniungentes, ut, postquam fuerint publicata, ea studiose faciant ad fratrum noticiam pervenire.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialem Anglie et provincie Provincie, quia de eo providemus, quantum nostra interest, quod sequenti anno legat sentencias Parisius.

Item. Absolvimus priores conventuales Tholosane provincie: Caturcensem, Castrensem, sancti Iuniani, Albiensem, Rhutenensem, Figiacensem, Orthesiensem.

Et volumus, quod priores provinciales et conventuales hoc anno absoluti in eisdem provinciis et conventibus ad eadem officia nullatenus assumantur.

Iste sunt penitencie.

---

1) et *om.* B. — 8) de] consensu et *add.* B. — 9) autem *om.* D. — 10) curias] curiam B. — 12) vel] seu B. — 14) omni *om.* B. — honor] bono A2B; et *add.* D. — 17) aut] in *post* vitam *add.* B. — 20) teneamini] teneamur B. — 21) sacro *om.* B. — 23) ut] quod B. — 24) ea *om.* B. — 27) et *om.* B. — 30) Tholosane provincie *om.* B. — 31) Figiacensem] Frigiacensem B. — Orthesiensem] Ortegensem B. — 33) hoc] isto B.

Denunciamus omnes voce privatos, qui ad presens generale capitulum sine licencia venerunt vel intencione veniendi de suis conventibus recesserunt.

Item. Absolvimus priorem Aquensem in penam, qui priorem provincialem Grecie venientem ad capitulum generale in suo conventu male recepit et usque ad tardam horam noctis sine lecto dimisit in claustro.

Item. Priori Belvacensi de provincia Francie damus decem dies in pane et aqua, quia diffinitorem Anglie venientem ad capitulum generale irreverenter tractavit.

Cum ad aures nostras pervenerit, multa in provincia Ungarie inordinate ac perperam perpetrata, que si sic sint, correctione ac reformacione indigere noscuntur, bono statui illius provincie providere volentes, facimus in illa provincia vicarios generales fratres Manfredum Parmensem, priorem Venetum de provincia Lombardie inferioris, et Matheum de Pontiniano de provincia regni Cicilie, eis plenam auctoritatem dantes, inquirendi, puniendi, absolvendi, confirmandi, reformandi, de conventu ad conventum, de provincia ad provinciam transmutandi, tam in capitibus quam in membris. Quod si forte alterum ipsorum contingeret impediri, alter eorum predicta omnia nichilominus exequatur.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre et domino nostro summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·vi· missas et quilibet conventus unam de b. Dominico dicat.

Summa missarum pro vivis ·lxiiii·

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro venerabilibus patribus dominis etc.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos septem psalmos cum letania et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Numerus missarum pro defunctis ·xv·

Denunciamus fratribus universis, quod tenentur ad suffragia pro diffinitoribus Tholosane provincie, Lombardie inferioris, Polonie, qui mortui sunt hoc anno veniendo ad capitulum generale et pro diffinitore Polonie anni preteriti capituli generalis, qui mortuus est redeundo de capitulo generali.

Letania cum psalmo, versiculis et oracionibus consuetis in profestis diebus per totum adventum et post quinquagesimam usque ad pascha intus et extra dicatur.

---

7) Belvacensi] Bervacensi B. — 14) Parmensem] Parviensem D. — 15) Pontiniano] Pontuanensem B. — 18) ipsorum] eorum B. — 19) eorum] ipsorum B. — exequatur] assequatur B. — 20) ista — procurentur *om.* B. — 24) summa — ·LXIII· *om.* A2. — 30) numerus — ·XV· *om.* A2.

Concedimus provincie regni Cicilie unam domum ponendam in Tarento de licencia domini pape, ad instanciam et peticionem domini Philippi principis Tarentini.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris, bacalauriis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout utilitati communi ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Assignamus sequens generale capitulum apud Methim in provincia Francie; et volumus et ordinamus, quod priores provinciales, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat, locum intret capituli ante feriam ·vi^am^· immediate precedentem vigiliam penthecostes. Quicumque vero sine licencia ad ipsum capitulum venerint vel loco capituli cum intencione veniendi ad capitulum appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fr. Iohannem de Prato de provincia Francie.

Item. Volumus et ordinamus, quod provinciales et diffinitores presentis anni in redeundo de capitulo generali, item provinciales et socii eorum, qui futuro anno diffinient veniendo ad capitulum generale, eundo et redeundo, bene et curialiter recipiantur, caritative tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXIV.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS APUD METHIM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XIII°·

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum non expediat priores subditorum suorum ignorare condiciones et mores, volumus ac districte imponimus prioribus universis, quod de moribus et vita fratrum insolencium cum discretorum testimonio priores, ad quos mittuntur, per suas literas speciales informent. Et hoc idem de omnibus studentibus exacta diligencia volumus observari sive ad provincias proprias sive ad quecumque alia studia transferantur.

3 Tarentini] Tarentani D. — 21) eundo *om.* D. — 26) apud Methim] Metis in provincia Francie D. — 29) priores] priorum F. — 30) ac] et F. — imponimus] iniungimus F. — 31) discretorum] discrecionis F. — 34) proprias] suas G.

Item. Cum ex causis litigiosis ac de se odiosis incaute assumptis frequenter turbaciones et scandala oriantur, volumus ac districte prohibemus, ne fratres quicumque causas huiusmodi moveant vel assumant sine prioris provincialis sui licencia speciali. Contrarium autem facientes acrius puniantur.

Item. Cum propter mutua per fratres aliquos a personis extraneis incaute contracta graves ad nos querimonie sint delate, propter turbaciones et scandala plurima subsecuta districtius iniungimus fratribus universis, quod summe caveant ab huiusmodi mutuis contrahendis absque prelatorum suorum speciali licencia et expressa, quam dari nolumus, nisi casu necessario et urgenti. Contrarium autem in posterum facientes, per superiores suos penis privacionis vocum ac graviori culpe debitis puniri volumus iuxta personarum exigenciam et mutuorum contractorum excessum. Priores vero circa punicionem transgressorum huiusmodi negligentes seu in concedendo huiusmodi licencias excedentes, volumus de suis appropriatis obligari ad solvendum debita sic contracta.

Item. Cum ex nimia priorum ac fratrum absentacione seu subtractione a communibus hospicii aut aliorum locorum extra refectorium laxata frequencia necnon et negligencia circa capitulorum ordinaciones ac regularia instituta, in animarum suarum preiudicium et plurimorum scandalum noster ordo nimium relaxetur, volumus et ordinamus, quod priores provinciales ac diffinitores capitulorum provincialium anni presentis circa hoc adhibere studeant remedia opportuna. Que remedia volumus per diffinitores generalis capituli vel eorum socios portari ad sequens capitulum generale.

Item. Cum ex provisione seu promocione fratrum ordinis nostri ad titulos vagos episcopatuum ordo noster veniat in contemptum, caveant priores provinciales diligenter, ne ad quorumcumque requisicionem vel preces fratribus quibuscumque licencias huiusmodi dare presumant, generali capitulo inconsulto. Nec talibus episcopis seu quibuscumque aliis de ordine socios ullos concedant nisi discretos et maturos, vita et moribus approbatos. Si qui autem episcopi ordinis inventi fuerint minus honeste in gravamen nostrum et scandalum conversari, socios eis deputatos studeant quam cicius ad ordinem revocare.

Item. Cum ordo noster propter salutem animarum specialiter sit fun-

---

1) assumptis *om.* F. — 2) ac] et F. — 4) sui *om.* BF. — 6) item cum *om.* F. — 10) nisi] in *add.* F. — 11) in posterum *om.* BF. — 12) penis] pena F. — vocum] vocis F. — 14) circa punicionem *om.* F. — 16) appropriatis] a prioribus F. — solvendum] solvenda F. — 17) seu] ac F. — 18) aut] ac BDF. — 19) necnon] imo F. — circa] contra DF. — 20) preiudicium] iudicium A2 G. — plurimorum] populorum F. — 21) nimium] plurimum F. — 26) seu] vel F. — 28) vel] seu F. — 29) licencias] licenciam F. — huiusmodi *om.* F. — 31) nisi] nec B. — 33) scandalum] secularium F; nostri ordinis A2 G. — 34) quam cicius] quantocius F. — ad ordinem *om.* G.

datus, ad quam procurandam oportet habere noticiam de scripturis, volumus et ordinamus, quod studentes in omni facultate teneantur continue sequi scholas, disputaciones, collaciones in ·vi· feriis et repeticiones, quas volumus fieri secundum ordinacionem capituli Ianuensis (1). Ante prandium quoque, quando lectores non legunt, in studio vel collacione scientifica se occupent, quantum possunt. Qui autem per provincialem vel eius vicarium circa hoc inventi fuerint negligentes, non possunt de cetero in studio remanere absque magistri ordinis licencia speciali, penitenciis per provincias statutis nichilominus observatis. Magister eciam studencium teneatur tales in capitulo accusare; quod si neglexerit a studio absolvatur. Si vero studens non fuerit, alia penitencia notabili puniatur. Ceteri autem fratres, qui in hoc reperti fuerint negligentes, ante correctionem plenariam non possint fieri confessores. Confessores autem et predicatores villam infra triduum non intrent; quod si intraverint, per priores vel eorum vicarios puniantur, ac si villam absque licencia fuissent ingressi. Priores autem et eorum vicarii, qui sine causa multum racionabili et urgenti inventi fuerint fratribus licenciam remanendi a scolis vel ab aliis actibus scolasticis concessisse seu premissa cum diligencia non servasse et accusatos debite non puniisse, a suis officiis absolvantur in penam, nec in illo anno ad idem officium possint resumi vel promoveri ad officium lectoratus, eorum autem vicarii locum presidentis tenere non valeant infra annum.

Item. Cum ex insufficiencia predicancium ac confessiones audiencium ordo noster veniat in contemptum et vergat in periculum animarum, inhibemus, quod nullus ad predicacionis officium vel confessionum audienciam exponatur, nisi theologiam ad minus audierit per tres annos.

Item. Cum doctrina venerabilis doctoris fratris Thome de Aquino sanior et communior reputetur, et eam ordo noster specialiter prosequi teneatur, inhibemus districte, quod nullus frater legendo, determinando, respondendo audeat assertive tenere contrarium eius, quod communiter creditur de opinione doctoris predicti, nec recitare aut confirmare aliquam singularem opinionem contra communem doctorum sentenciam in hiis,

1) de scripturis] scripturarum F. — 3) et *om.* A2G. — 4) ordinacionem] ordinem F. — 5) vel] seu in F. — 7) circa hoc *om.* A2G. — 13) et *om.* BF. — 14) triduum] triennium A2DE. — non *om.* F. — 15) vel] seu B. — villam] in villa F. — absque] sine B. — 16) et] vel F. — 17) fratribus] scolis F. — a *om.* F. — 18) ab *om.* D. — 20) in *om.* BF. — resumi] assumi F. — 21) eorum autem vicarii *om.* F. — autem *om.* G. — 22) infra *om.* F. — 23) ac] et A2FG. — confessiones] confessionem B. — 24) veniat] fiat F. — 26) ad minus *om.* F. — 27) item] contra illos qui non sequuntur doctrinam fratris Thome *add. in marg.* G. — 28) specialiter *om.* A2G. — 29) inhibemus] et *add.* G. — 31) creditur] traditur F. — predicti] supradicti F. — recitare] ratificare F. — 32) doctorum] doctrinam vel F.

(1) Cf. supra pag. 12 l. 7 sqq.

que ad fidem vel mores pertinere noscuntur, nisi reprobando et statim obiectionibus respondendo. Quicumque autem per provincialem vel eius vicarium, qui super hiis inquirere teneantur, ex certa sciencia in aliquo premissorum inventus fuerit deliquisse, per eosdem, cum eis legitime constiterit, a lectoratus officio vel studio absolvatur in penam; si tamen alias de huiusmodi sit notatus. Quod si ex talibus opinionibus pertractatis scandalum sit subortum, volumus, quod acrius puniatur et ad revocandum nichilominus compellatur. Lectores quoque de textu biblie plus solito legant et in lectura de sentenciis ad minus tres vel quatuor articulos de doctrina fratris Thome pertractent, prolixitate onerosa vitata. Nullus eciam ad studium Parisiense mittantur, nisi in doctrina fratris Thome saltem tribus annis studuerit diligenter.

Inhibemus districte, ne scripta, tractatus, compilaciones, reportaciones questionum quarumcumque a fratribus nostris edita vel edenda extra ordinem publicentur, quousque per venerabilem patrem magistrum ordinis examinata fuerint et correcta; communicata vero extra ordinem per eumdem examinari et corrigi volumus diligenter.

Item. Cum ex diversis studiis ad nos querimonie sint delate, quod gravamina studentibus indebite inferuntur, volumus et districte iniungimus, quod libertates et immunitates, que studentibus per magistros ordinis et capitula generalia sunt indulte, eis exacta diligencia conserventur. Priores autem seu eorum vicarii, qui in hoc reperti fuerint negligentes, acrius puniantur.

Item. Cum ars, que alchymia vocatur, sit in pluribus capitulis generalibus districte ac sub gravibus culpis prohibita, et adhuc immineant ex hoc in diversis locis ordini pericula scandalosa, precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu in virtute spiritus sancti et sub pena excommunicacionis fratribus universis, ut nullus in dicta arte doceat vel discat, operetur vel faciat operari; et scripta de ea, si qua habeant, nulla teneant, sed infra octo dierum spacium a noticia presencium penitus ea destruant vel comburant. In secus autem facientes sentenciam excommunicacionis incurrunt, quam in diffinitorio tulit in scri-

1) vel] ad *add.* F. — pertinere noscuntur] pertinent F. — et] vel F. — statim *om.* F. — 2) respondendo *om.* F. — 4) premissorum] predictorum F. — eis *om.* A2; eis] eisdem F. — 5) si tamen alias de] scilicet cum F. — 7) pertractatis *om.* A2 FG. — scandalum] aliquod *add.* B. — 8) textu biblie] biblia F. — 11) Parisiense] Parisius F. — nisi *om.* F. — doctrina] dictis F. — 12) saltem *om.* F. — 13) inhibemus] eciam *add.* A2 FG. — tractatus *om.* B. — 14) quaestionum] quomodo F. — vel edenda *om.* F. — extra] contra F. — 16) et *om.* F. — vero] autem F. — 19) indebite *om.* BG. — 22) hoc] hiis BF. — 24) vocatur] vocata F. — sit] sicut B. — 25) generalibus *om.* F. — ac] autem B: et A2 G; *om.* F. — culpis] penis G. — immineant] surrexerint A2 G. — 26) ex hoc *om.* F. — ordini] ordinis B. — 27) assensu] et *add.* G. — 28) ut] quod F. — 29) doceat] studeat G. — 30) sed *om.* F. — 31) penitus *om.* A2. — vel] aut F. — 32) incurrunt *om.* BDG. — quam *om.* G. — in diffinitorio] magister F: *om.* A2.

ptis, et eos nichilominus, de quibus legitime constiterit, ex nunc adiudicat custodie carcerali.

Item. Cum ex singularibus beneficiis et graciis per beatam virginem ordini nostro concessis, eam teneamur amplius ac devocius venerari, volumus et ordinamus, quod semel in qualibet septimana missa de beata virgine in singulis conventibus sollempniter celebretur.

Item. Cum illustris dominus rex Francorum magistro et diffinitoribus preces instantes porrexerit pro sollempnitate de sancto Petro de Morone (1), confessore nuper cathalogo sanctorum ascripto fienda, volumus et ordinamus, quod ·xiii· kalendas iunii de eo in singulis conventibus missa cantetur.

Item. Inhibet magister ordinis fratribus universis, ne ad eum vel ad suos provinciales accedant absque suorum superiorum licencia speciali, de qua per literas testimoniales possint facere plenam fidem.

Item. Ordinaciones, inhibiciones et precepta in capitulo Carcassonensi facta de non eundo ad Romanam curiam et alias volumus inviolabiliter observari (2).

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales: Romane provincie, Ungarie, Lombardie superioris et Lombardie inferioris, et assignamus eum Bononiensi conventui pro lectore.

Item conventuales: Parisiensem, Rupellensem, Carnotensem, Valentinensem, Andegavensem, Blesensem, Bituricensem, Belvacensem, Gebennensem, Beluariensem, Pruvinensem, Kemperliensem, Montis Relaxi, Valentinensem, Duacensem, Dinatensem, Gracionopolitanum, Aurelianensem, Trecensem, Lingonensem, Turonensem et Compendiensem.

Et ordinamus, quod priores isto anno absoluti in eisdem conventibus vel provinciis ad eadem officia nullatenus resumantur.

Iste sunt penitencie.

Cum frater Iohannes de Castro ferreo, quondam prior Zagabriensis provincie Ungarie, vicarios per generale capitulum ad ipsam provinciam missos incurialiter receperit et tractaverit inhumane, necnon et in correctionis preiudicium fratres sui conventus induxerit ad occultandum pre-

1) eos *om.* F. — ex *om.* F. — 4) venerari] honorare F. — 7) cum] ex *add.* F. — 8) Morone] Marrone G. — 9) nuper] in *add.* D. — fienda *om.* F. — 12) eum *om.* F. — 22) item] absolvimus priores *add.* F. — Rupellensem — Compediensem] etc. F. — 24) Pruvinensem] Prinuensem G. — Kemperliensem] Kanpodiensem A2; Kempeliensem A2; Komperdiensem G. — 25) Dinatensem] Derinacensem A2G. — 28) resumantur] assumantur F. — 30) cum — teneatur] etc. F. — 33) sui conventus] suos G.

(1) De s. Petro Caelestino (alias Petro de Murrone) iam dictum est MOPH III pag. 284 et pag. 285 in notis.

(2) Cf. supra pag. 60 l. 1 sqq.

dictis vicariis veritatem, eum omni voce preterquam in accusacione sui privamus et ordinamus, quod de cetero ad gradum aliquem ordinis eligi non possit absque licencia magistri ordinis speciali, ·xii· dies in pane et aqua ei nichilominus iniungentes.

Item cum frater Nicholaus Romanus de Anglia rediens et per provinciam Francie transiens duos iuvenes propria temeritate ad habitum ordinis receperit et ad Romanam curiam contra magistri ordinis preceptum accesserit necnon et multa alia perpetraverit ordini scandalosa, ipsum omnibus graciis ordinis privamus et conventui Castelli castri in insula Sardinie assignamus in penam; ad quem infra ·viii· dies a presencium noticia cum socio per priorem conventus, in quo est, deputato iter eundi arripiat et, cum illuc pervenerit, penam gravioris culpe per duos menses continuos facere teneatur.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre et domino nostro summo pontifice et pro bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·vi· missas et quilibet conventus ·iii· missas, unam de spiritu sancto, aliam de b. virgine, terciam de b. Dominico.

Pro venerabilibus patribus dominis cardinalibus domino Nicholao Ostiensi et Velletrensi episcopo (1), domino Nicholao tit. s. Eusebii presbitero cardinali (2) et domino Guillelmo tit s. Cecilie presbitero cardinali (3) quilibet sacerdos tres missas, et quilibet conventus tres missas, unam de spiritu sancto, aliam de b. virgine, terciam de b. Dominico.

Item pro domino Arnaldo de Pelagrue (4) et dominis Raymundo de Fabretis, nepote summi pontificis (5), et domino Bernardo, nepote domini Arnaldi de Pellagrue cardinalibus (6), quilibet sacerdos duas missas, et quilibet conventus unam de beata virgine.

2) et ordinamus *om.* G. — 4) iniungentes] iniungimus A2DCF. — 5) per *om.* F. — 8) necnon] maiora *add.* B. — 10) quem] quam G. — 12) penam] penitenciam BG. — 14) pro — dicant] etc. B. — 15) patre — unam] etc. F. — patre — pontifice] papa A2G. — 16) et — Dominico *om.* A2G. — 19) patribus dominis *om.* A2G. — 20) domino — unam] etc. *ante* ista A2G.

(1) De fr. Nicolao cf. supra pag. 54 l. 20.

(2) De fr. Nicolao de Francavilla cf. ibid. l. 21.

(3) Fr. Guilelmus Petri Godin de Bajona die 23 Dec. 1312, quum esset lector in Rom. curia, in presb. card. tit. s. Caeciliae et die 12 Sept. 1317 in ep. Sabinen. promotus est, obiit 4 Iun. 1336. Cfr. Eubel l. c. pag. 14.

(4) Arnaldus de Pelagrua die 15 Dec. 1305 in s. Mariae in porticu diac. card. promotus est; obiit 5 Oct. 1346. Cfr. l. c. p. 13.

(5) Raymundus de Fabretis seu de Fargis die 18 Dec. 1310 in s. Mariae novae diac. card. promotus est; obiit 5 Oct. 1346. Cfr. l. c. p. 13.

(6) Bernardus de Garvo de s. Liberata (Torre de s. Livrade) in s. Agathae in Suburra diac. card. promotus est 18 Dec. 1310; obiit a. 1328. Cfr. l. c. pag. 13.

Item. Pro serenissimo principe domino Henrico Romanorum imperatore et bono statu imperii, quilibet sacerdos quatuor missas et quilibet conventus unam missam.

Item. Pro domino rege Francie et bono statu regni sui quilibet sacerdos quatuor missas et quilibet conventus unam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro dominis quondam cardinalibus domino Thoma fratre nostro (1), domino Stephano Brugensi (2) et domino Gentili (3) quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro domina imperatrice quondam et pro domino Walferano, quondam fratre imperatoris quilibet sacerdos duas missas.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos septem psalmos cum letania et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania cum psalmo et versiculis et oracionibus consuetis in profestis diebus per totum adventum et post ·l^{am}· usque ad pascha intus et extra dicatur.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalariis ac lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus Londoniis in provincia Anglie et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat, locum intret capituli ante feriam ·vi^{am}· immediate precedentem vigiliam penthecostes.

Quicumque vero ad capitulum sine licencia venerunt vel venerint vel loco capituli cum intencione veniendi ad capitulum appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

---

7) pro — dicant] etc. F. — dominis quondam cardinalibus *om.* A2G. — nostro] quondam cardinali A2G. — domino — Gentili *om.* A2G. — 10) item — missas *om.* G. — 12) quilibet] frater *add.* G. — 15) psalmo] psalmis G. — 18) committimus — procurentur] deo gracias. amen *add.* B. — et] ac E. — 19) magistris] magistro A2. — et *om.* A2. — ac *om.* F. — 20) ordinis *om.* F. — 24) futuro] sequenti A2G. — 25) octavas] octavam F. — ascensionis] domini *add.* A2G. — 26) habeat] haberet F. — 28) quicumque] qui A2G. — venerunt vel *om.* F. — 29) veniendi] intrandi F. — 30) sint *om.* F. — privati] privatus F.

---

(1) De fr. Thoma cfr. supra pag. 36 l. 26.

(2) Stephanus de Suisy Laudunensis, dictus Brugensis, 15 Dec. 1305 in tit. s. Cyriaci in thermis presb. card. promotus et 10 Dec. 1311 defunctus est. Cfr. EUBEL l. c. pag. 13.

(3) De fr. Gentili cfr. supra pag. 36 l. 32.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Guillelmum de Lauduno (1).

Item providemus, quantum nostra interest, de fratre Iacobo de Lausana, quod legat sentencias Parisius anno sequenti (2).

Item diffinitores et socii eorum, qui anno futuro diffinient, veniendo ad generale capitulum et redeundo, bene et curialiter recipiantur, caritative tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXV.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS LONDONIIS CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XIIII°·

Iste sunt inchaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: vices prioris provincialis in ipso tantum capitulo, deleatur totum usque ibi: si autem eumdem vicarium etc., et dicatur sic: vices prioris provincialis in ipso tantum capitulo in omnibus obtinebit, donec prior eiusdem provincie sit electus et confirmatus et ipse prior provincialis vel ille, cui vices suas commiserit, presens in provincia extiterit vel magister ordinis in predictis casibus aliter ordinaverit.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: quod dictum scrutinium alicui per modum aliquem non revelent, addatur sic: et eodem precepto diffinitores generalis capituli quoad scrutinia priorum provincialium et diffinitores provincialis capituli quoad scrutinia priorum conventualium volumus obligari.

Item hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: cui socius competens a priore et diffinitoribus assignetur, addatur sic: Cui diffinitor et socius solum de suis provinciis assumentur; quod eciam de electoribus magistri ordinis volumus inviolabiliter observari; socii eciam priorum ad provinciale capitulum et electores prioris provincialis tantum de suis conventibus eligantur.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

---

1) assignamus — procurentur *om.* F. — 10) hec sunt *om.* A2FG. — Londoniis] apud Londonias BEF. — 15) etc. *om.* BD. — 18) comiserit] comiserat F. — 20) capitulo provinciali] electione provincialis F. — 24) conventualium] provincialium F. — 27) assignetur] etc. *add.* E. — 29) priorum — electores *om.* D. — priorum] provincialium *add.* A2F. — ad provinciale capitulum *om.* F.

---

(1) De fr. Guillelmo de Lauduno cf. SSOP I p. 637.

(2) De fr. Iacobo de Lausana cf. supra pag. 55 l. 13.

Cum in tribulacionibus multiplicibus et malis ingruentibus, quibus presentibus temporibus premimur, dei ac sanctorum mente devota debeamus suffragia implorare, volumus et ordinamus, quod letania cum psalmo, versiculis et collectis solitis post matutinas intus et extra omnibus diebus profestis dicatur; singulis eciam septimanis in omnibus conventibus una missa de beata virgine et alia de beato Dominico solempniter celebrentur. Infra octavas quoque assumpcionis beate virginis nulla die quantumcumque celebri missa de octava beate virginis omittatur.

Item. Ut penitenciatis et insolentibus omnis delinquendi occasio auferatur, volumus et ordinamus, quod tales numerosis et magis religiosis conventibus et non aliis sub certis legibus assignentur.

Item. Cum ordo noster actenus divino munere inter status alios mansuetudine ac pace floruerit, et nunc percussiones in diversis partibus ordinis invalescant in magnum ipsius ordinis scandalum et periculum animarum, districte iniungimus prioribus universis, quod constitucionem de percussoribus arcius faciant observari. Insuper ordinamus, quod si quis aliquem enormiter instrumento quocumque percusserit, prior provincialis vel eius vicarius super eius absolucione consulatur, et interim ipse percuciens ab aliis sequestretur; eo autem absoluto iuxta nostrorum privilegiorum tenorem, pena gravioris culpe puniatur, quam saltem duobus mensibus integraliter facere teneatur. Hoc tamen observato, quod iuxta quantitatem maioris excessus acrius puniatur.

Item. Cum propter inordinatas et immoderatas expensas fratrum iuvenum et studencium quorumcumque mala gravia et plurima oriantur, districtione qua possumus, inhibemus, ne de cetero simbolizaciones et festa singularia fiant sine licencia speciali. Quicumque autem in hoc per visitatores vel provincialium vicarios, quos super hiis inquirere diligencia exacta volumus, inventi fuerint notabiliter excessisse, vel priores immoderate huiusmodi licencias concessisse, volumus et ordinamus, studentes tales illo anno in nullo studio cuiuscumque auctoritate manere. Iuvenes vero non studentes omni voce uno anno privari; priores eciam a suis officiis in capitulo indispensabiliter absolvantur et vicarii suspendantur uno anno ab officio vicarie et nichilominus acrius puniantur.

---

1) tribulacionibus] tribulacione F. — multiplicibus *om.* F. — 2) mente] merita B; mente devota *om.* A2 G. — 4) psalmo] psalmis G; et *add.* EFG. — 5) omnibus *om.* F. — 6) et *om.* E. — 7) quoque] autem A2 G; *om.* B; vero E. — beate virginis *om.* F. — 8) celebri] celebratur B; sollempni F. — de octava *om.* F. — 10) penitenciatis] penitentibus E; pravitatis F. — 11) quod tales *om.* F. — tales] in *add.* E. — 12) certis] scriptis F. — 14) ac] et B. — 16) animarum] personarum A2 G. — 17) ordinamus] ordinantes BDE. — 19) eius *post* super *om.* F. — 20) percuciens] percussor F. — 22) integraliter *om.* E. — 24) propter *om.* F. — inordinatas et *om.* DE. — et immoderatas *om.* G. — fratrum *om.* E. — 25) oriantur] eveniant F. — 27) singularia] non *add.* F. — 28) vel] et D. — hiis] huiusmodi F: qui *add.* BE. — 31) illo] uno E. — in *om.* D. — 33) et vicarii] vicarii vero F.

Item. Volumus et ordinamus ac prioribus provincialibus et diffinitoribus districte inponimus, quod modos de communitatis sequela per diffinitores provincialium capitulorum inventos faciant exacta diligencia observari. Provincie vero, que circa hoc modos non invenerint, in instantibus provincialibus capitulis omnino studeant emendare et penas inpositas execucioni mandare.

Item. Cum electiones nostre debeant esse libere ac omni nota coactionis carere, et a diversis provinciis ad nos graves querimonie sint delate, quod instantibus tractatibus, electionibus seu capitulis provincialibus per priores provinciales et vicarios fratrum mutaciones notabiles in conventibus fiant, inhibemus districte, ne temporibus supradictis, fratrum mutaciones, assignaciones seu priorum absoluciones de cetero fiant sine causa legitima et urgente; visitatoribus autem districte imponimus, quod super huiusmodi novitatibus diligenter inquirant et eas omnes diffinitoribus capituli provincialis presentent; qui diffinitores a provincialibus vel eorum vicariis causas ipsarum novitatum habitas teneantur sub eorum sigillis mittere ad capitulum generale; que si non fuerint legitime iudicate, priores provinciales a suis officiis absolvantur, vicarii vero acrius puniantur.

Item. Cum ex nimio et inordinato fratrum discursu ad capitula provincialia dispendia et turbaciones quam plurime subsequantur et regulares observancie plurimum relaxentur, prioribus provincialibus et quibuscumque vicariis, inhibemus districte, ne ultra decem copulas pro serviciis capitulo opportunis fratres licencient ad huiusmodi capitula veniendi, nisi de concordi quatuor diffinitorum assensu. Si qui autem sine licencia ad ipsa capitula venerint vel cum intencione veniendi de suis conventibus iter arripuerint, usque ad duos annos sint omni voce privati nec possint restitui nisi de licencia magistri ordinis speciali. Magistris autem in theologia et fratribus, qui priores provinciales fuerunt, necnon et bacalariis, qui actenus communiter habuerant socios, indulgemus, quod ducere possint socios speciales.

Item. Cum iuxta nostrarum constitucionum tenorem electiones nostre a maiori parte ultra medietatem eligencium facte sint canonice nec alia collacio quam numeri ad numerum requiratur, ut gravibus et pe-

---

1) ac] et A2FG. — et] ac A2FG. — 2) districte *om.* BE. — 3) inventos] nunciantes F. — 4) hoc modos] hunc modum F. — 5) emendare] demandare F. — 6) mandare] demandare F. — 9) tractatibus *om.* BD. — 11) supradictis] predictis A2G. — 12) seu *om.* B. — 15) provincialibus] provinciali A2G. — 16) eorum] eius A2G; *om.* BEF. — habitas *om.* B. — 18) iudicate *om.* A2. — 20) nimio] multo F; numeroso G. — 21) quam *om.* A2E. — 25) concordi] communi E. — assensu] consensu F. — qui *om.* E. — 26) ipsa *om.* A2. — 28) ordinis *om.* BE. — 29) in theologia] theologie A2G. — 30) communiter *om.* E. — 31) socios speciales] socium A2G. — 33) ultra *om.* BDEFG. — medietatem] medietate BD.

riculosis discriminibus obvietur, omni districtione, qua possumus, inhibemus, quod de cetero talis electionis formato decreto nullus procedere ad quodcumque aliud formandum decretum presumat. Contrarium autem facientes nec eligi nec eligere valeant, nisi prius cum eis per magistrum ordinis fuerit dispensatum.

Item. Cum ex promocione fratrum nostri ordinis ad vagos episcopatuum titulos ordo noster veniat in contemptum, precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, ne priores provinciales ad quorumcumque requisiciones vel preces fratribus quibuscumque licencias huiusmodi dare presumant, generali capitulo inconsulto.

Item. Cum circa reformacionem studii cura et cautela sit diligens adhibenda, volumus et ordinamus, quod in studiis theologie generalibus et eciam particularibus, in quibus dumtaxat ·xiiii· sunt studentes, ad provinciale capitulum provisio pertinebit, quod de sufficiencioribus provincie ponantur sentenciarum cursores; et si talem non posuerint, qui ad ea, que sequuntur, sufficiat, per magistrum ordinis taliter puniantur, quod sit ceteris in exemplum. Dictus autem cursor teneatur sentencias integraliter legere infra annum, maxime in studio generali qui sequenti anno in eodem conventu magistri studencium fungatur officio et semel disputare in qualibet septimana, si sit possibile, teneatur. Qui statim post pascha incipiat legere de phylosophia morali vel de aliquo tractatu fratris Thome vel alternatim de istis et continuet saltem usque ad kalendas augusti. Ad cuius lectiones omnes studentes teneantur venire. Hic teneatur omni anno super animam suam fidele testimonium perhibere magistro ordinis vel generali capitulo scribere, que sequuntur, videlicet: quid et quantum lectores legerint, quociens disputaverint, quomodo fratres ordinaciones generalis capituli Metensis circa studium servaverint (1), qualiter priores studium promoverint et libertates studentibus servaverint, quas volumus inviolabiliter observari. Utatur autem predictus magister studencium graciis cursoris actu legentis. Et si hec omnia fideliter adimpleverit, sequenti anno promoveatur ad lectionem ydoneam et sol-

2) inhibemus] prohibemus BEF. — de cetero] decreto DF; *om.* G. — formato] forma BE. — decreto *om.* BDEF. — 4) cum eis *om.* E. — 9) quorumcumque] cuiuscumque E. — requisiciones] requisicionem B. — vel] aut B. — licencias] licenciam A2 G. — 10) inconsulto] insulto F. — 11) reformacionem] diligenciam A2 G. — 13) eciam] in *add.* F; *om.* E. — studentes] tunc *add.* DF; ad generale et *add.* A2. — 14) provisio *om.* A2 F. — quod *om.* BDEF. — 15) talem] tales BF. — non *om.* A2 G. — 16) sequuntur] consequuntur non A2 G. — sufficiat] sufficiant BF. — 17) sit] sint B. — dictus autem] ut dictus F. — 18) qui] in *add.* F. — 19) in eodem conventu *om.* F. — semel *om.* A2. — 20) si *om.* F. — qui *om.* F. — 23) hic] cum F; eciam *add.* EF. — teneatur] teneantur F. — 25) quid] quis B. — 28) studentibus] concessas *add.* BF. — servaverint] concesserint D. — 29) autem] eciam D. — 30) si] cum F. — 31) lectionem ydoneam] lectorem ydoneum F.

(1) Cf. supra pag. 63 l. 35 sqq.

lempnem. Hanc autem ordinacionem isto anno volumus inviolabiliter observari.

Item. Volumus et fratribus universis mandamus, quod, si qua miracula meritis sanctorum nostrorum noviter facta deveniant ad noticiam aliquorum, ea quam cicius poterunt, teneantur, que ad beatum Dominicum pertinebunt priori Bononiensi, que vero ab beatum Petrum martyrem, priori Mediolanensi vel magistro ordinis intimare.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus ad curiam Romanam presumat accedere absque sua licencia speciali et expressa.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Hyspanie, provincie Tholosane, provincie Provincie, Terre sancte, et capitulum dicte provincie prolungamus nec volumus celebrari, donec vicarius magistri ordinis presens fuerit in eodem.

Item. Absolvimus priores conventuales Sudbirie, Warwici, Gippewici, Chelmerfordie, Derbeyè, Lyncolnensem, Rodolani, Kerdivil, Bristolli, Arundelii, Beverlaci et rectorem Berwic; et nolumus quod priores provinciales et conventuales hoc anno absoluti in eisdem provinciis et conventibus ad eadem officia reassumantur.

Iste sunt penitencie.

Cum in provincia Hyspanie quidam fratres contra ordinacionem generalis capituli in Argentina ultimo celebrati ad alium ordinem licenciam obtinuerint transeundi, vicario et diffinitoribus provincialis capituli committimus et mandamus, quod iuxta ordinacionem predicti Argentinensis capituli culpabiles puniantur, priores scilicet a prioratus officio absolvendo, vicarios vero per biennium voce privando (1).

Item. Cum fratres quidam provincie Lombardie superioris circa provincialis electionem gravem et enormem excessum commiserint, videlicet post formacionem decreti electionis canonice decretum aliud contra constitucionum nostrarum tenorem formando, ne talis ac tantus ex-

---

4) noviter *om.* F. — 5) aliquorum *om.* B. — ea — poterunt *om.* E. — teneantur *om.* F. — 6) priori — martyrem *om.* F. — 9) presumat] audeat F. — sua *om.* F. — 10) et expressa *om.* A2G. — 11) iste — ave Maria dicant *om.* E. — 13) Provincie] et *add.* B. — 15) eodem] capitulo *add.* A2G. — 16) absolvimus priores *om.* D. — priores *om.* A2. — conventuales — resumantur] etc. F. — conventuales] priorem *add.* A2G *et sic ante singula nomina conventuum.* — Sudbirie] Subirie A2G; Subyrne B. — Warwici] Garcileynci A2G. — 17) Gipperwici — Derbeye *om.* B. — Lyncolnensem] Lyncolnie A2BG. — Rodolani] Bodolani A2. — Kerdivil] Berdinie B; Terdinie A2G. — 18) Arundelii] Laundelie EF: Arundesii G. — Beverlaci] Bernlaci B. — Berwici] Bearwici A2G. — 20) reasumantur] resumantur A2BG. — 22) cum privatum] etc. F. — quidam *om.* DEF. — 25) predicti] quondam A2BG. — 26) puniantur] puniant BG. — 28) provincie *om.* DEFG.

---

(1) Cf. supra pag. 24 l. 35 sqq.

cessus in posterum invalescat, omnes illos fratres in duabus provincialium electionibus immediate sequentibus voce privamus et nichilominus eis iniungimus ·xv· dies in pane et aqua, ·xv· missas. Fratrem vero Benignum provincie vicarium, qui coram se de seipso ambiciose predictum sustinuit formari decretum et post provinciale capitulum contra ipsius acta capituli multas et inordinatas et insolitas novitates fecit, que multorum animos merito perturbarunt ultra penitenciam suprascriptam, nolumus, quod usque ad duos annos vices provincialis possit gerere nec ad aliquem eligi prioratum.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro electione futura summi pontificis, ut dominus provideat ecclesie sue sancte, quilibet sacerdos ·iii· missas, unam de spiritu sancto, aliam de beata virgine, terciam de beato Dominico.

Item. Pro venerabilibus patribus dominis cardinalibus, domino Nicholao Ostiensi et Velletrensi episcopo (1), domino Nicholao tituli s. Eusebii presbytero cardinali (2) quilibet sacerdos ·iii· missas.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro domino papa Clemente nuper defuncto, quilibet sacerdos ·iii· missas et quilibet conventus infra annum per quindenam unam missam.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos septem psalmos cum letania et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicat.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalariis ac lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus Bononie in provincie Lombardie inferioris et ordinamus, quod diffinitores, qui hoc anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat, locum intret capituli ante feriam ·vi[am]· immediate precedentem vigiliam penthecostes.

---

3) aqua] et *add.* A2 G; et XV letanias *add.* B. — 4) ambiciose] absconse A2. — 7) perturbarunt] perturbabant DEF. — 8) quod *om.* BDEF. — possit *om.* DEF. — 11) futura] futuri DEF. — ut — missas] etc. F. — 12) unam — missas] etc. G. — 13) virgine] et *add.* A2. — 14) item — dicat] etc. A2 B. — 16) missas] summa (*numerus* D) missarum pro vivis LIII (LII D) *add. in marg.* A2 DG. — 18) pro — dicat] etc. F. — 19) et — missam *om.* G. — missam] etc. *add.* A2. — 21) conversus] sacerdos D. — 22) dicat] numerus (*summa* G) missarum pro defunctis XVIII *add. in marg.* DG. — 24) ac] et A2 G. — 29) hoc *om.* A2 F. — 30) ascensionis] domini *add.* A2 FG.

(1) De fr. Nicolao cf. supra pag. 67 l. 19.

(2) De fr. Nicolao cf. ibid. l. 20.

Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel locum capituli cum intencione veniendi ad capitulum appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fr. Iacobum de Lausana (1).

Item. Providemus, quantum nostra interest, de fr. Matheo de Ursinis Romano, quod legat sentencias Parisius anno sequenti.

Item. Diffinitores et socii eorum, qui futuro anno diffinient veniendo ad generale capitulum et redeundo, bene et curialiter recipiantur et caritative tractentur et secundum facultatem conventuum commodius procurentur.

Mandat magister ordinis prioribus provincialibus universis et eorum vicariis et eis districte imponit, quod propter expensas in curia Romana factas et fiendas quilibet eorum quam cicius occurrerit nuncius procuratori ordinis quinque florenos mittat; si forte nuncius non occurrat, saltem indubitanter eos mittat magistro ordinis ad sequens capitulum generale.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXVI.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD BONONIAM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XV°·

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: cui socius competens a priore provinciali et diffinitoribus assignetur, addatur sic: qui diffinitor et socius solum de suis provinciis assumantur; quod eciam de electoribus magistri ordinis volumus inviolabiliter observari. Socii eciam priorum ad provinciale capitulum et electionem provincialis tantum de suis conventibus eligantur. Et hec habet ·ii· capitula.

Iste sunt inchoaciones.

1) vero] autem BE. — 5) Lausana] Losanna E. — 14) fiendas] quod *add.* A2. — cicius] cito BEF. — occurrerit] occurrat B. — 15) forte *om.* A2 G. — 19) in — amen *om.* A2. — 20) hec sunt *om.* F. — 21) apud Bononiam] Bononie BD. — 24) in capitulo *om.* B. — 26) et socius *om.* F. — 29) et *om.* BDE. — electionem] electores A2.

(1) De fr. Iacobo de Lausana cf. supra pag. 69 l. 3.

Inchoamus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: nisi per magistrum, deleatur: nisi, et dicatur sic: ac donec per magistrum ordinis.

Item hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: aut de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur: vel pena carcerali punitus extiterit.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: ante tres annos ad minus, addatur: a tempore sui regressus ad ordinem vel quo fuit a carcere liberatus.

Item hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: si magister ordinis ante festum sancti Michaelis mori vel amoveri contigerit, addatur: vel in ipso festo.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: quod dictum scrutinium alicui per modum aliquem non reveletur, addatur: per quem de persona absolvente noticia haberi possit. Eodem precepto fratres, qui diffiniunt in generali capitulo quoad scrutinia priorum provincialium et diffinitores capituli provincialis quoad scrutinia priorum conventualium volumus obligari.

Item. Cum constitucio de vicario prioris provincialis in diversis constitucionibus sit truncata, in plerisque aliter ordinata, quam fuerit confirmata, prout nobis constat, et in aliqua parte sui diminuita, inchoamus eam sic: In capitulo de electione prioris provincialis circa principium, ubi dicitur: vices eius obtineat, addatur sic: donec prior provincialis illius provincie sit electus et confirmatus et ipse vel ille, cui vices suas commiserit presens in provincia extiterit.

Item hanc: In eodem capitulo circa finem, ubi dicitur: in ipso tantum capitulo in omnibus obtinebit, deleatur totum, quod sequitur usque ad illum locum: si autem priorem provincialem in capitulo generali etc., et dicatur sic: donec prior eiusdem provincie sit electus et confirmatus et ipse provincialis vel ille, cui ipse vices suas commiserit, presens in provincia extiterit, ut superius est expressum, vel magister ordinis seu capitulum generale, quando contingeret magistrum ordinis deesse a generali capitulo vel aliter in predictis casibus ordinaverit.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum graves excessus, periculosi et notabiles circa assignaciones fratrum ad conventus et mutaciones ab eisdem imminentibus electionibus

---

2) per — ordinis *post* donec *om.* A2 G. — ordinis] etc. F. — 4) carnis *om.* F. — 5) vel] si *add.* F. — extiterit] fuerit A2 B. — 10) sancti *om.* F. — 13) reveletur] revelent A2. — addatur *om.* A2. — 14) possit] valeat A2 FG; et *add.* A2 FG. — 15) diffiniunt] diffinient A2. — 16) priorum *om.* F. — 17) conventualium] conventuum F. — 19) truncata] ac *add.* F. — plerisque] pluribus F. — 23) ipse vel *om.* A2. — 24) in provincia *om.* F. — provincia] sua *add.* A2. — 25) hanc *om.* A2. — 27) autem *om.* F. — priorem provincialem] provincia priorem F. — 29) ipse] prior *post* et *add.* A2. — 30) provincia] sua *add.* A2. — 31) contigeret] continget A2; contingerit F. — 32) deesse *om.* F. — vel *om.* G. — 34) excessus] ac *add.* E. — assignaciones] significaciones F.

quibuscumque in quibusdam provinciis incaute et improvide sint commisse, tanto detestabiliores, quanto nostro statui maioris turbacionis et scandali materiam ministrantes, et electiones nostre maxime debeant omni nota et turbacionis divisione carere: districte iniungimus prioribus provincialibus ac quibuscumque vicariis, quod imminentibus quibuscumque electionibus novas assignaciones et mutaciones fratrum non faciant in conventibus, ubi huiusmodi electiones fuerint celebrande; quod si contrarium fecerint, assignaciones huiusmodi quoad vocem suum non sorciantur effectum, donec priores fuerint electi et confirmati. In provinciis vero, in quibus assignaciones fratrum fieri consueverunt in actis, prioribus provincialibus vel eorum vicariis et diffinitoribus capitulorum provincialium districte iniungimus, quod in conventibus, ubi priores per acta fuerint absoluti vel per literas in proximo absolvendi, mutaciones fratrum non faciant removendo vel eciam immittendo sine causa urgente et multum racionabili vel scandalo inevitabili vel pro correctione fratrum, nisi racione studii vel lectorie. Si autem diffinitores contrarium fecerint, prior provincialis teneatur significare magistro ordinis et diffinitoribus capituli generalis. Si autem priores provinciales cum aliquibus diffinitoribus simile fecerint, diffinitor vel diffinitores, qui non consenserint, teneantur modo simili nunciare et priores provinciales nomina et numerum fratrum huiusmodi mutatorum et causas mutacionis deferant vel mittant ad sequens capitulum generale. Et volumus, quod huius ordinacionis transgressores per magistrum ordinis vel capitulum generale per officiorum privacionem et suspensionem a diffinicionibus in futurum et penis aliis taliter puniantur, quod sint ceteris in exemplum et tam salubris ordinacio et honesta inviolabiliter observetur. In conventibus autem, ubi electiones imminent, fratres, qui presentes fuerint, non teneantur studentes naturarum et arcium expectare.

Item. Proibemus et volumus inviolabiliter observari, quod nullus frater vocem habeat in duabus electionibus priorum conventualium et electorum provincialium ac duobus tractatibus in diversis conventibus infra annum.

Item. Volentes cum affectu et effectu fratribus infirmis et indigentibus in necessitatibus et vestibus provideri, cum diversorum capitulorum ordinaciones huiusmodi sint neglecte, volumus et ordinamus ac districte iniungimus singulis prioribus provincialibus vel eorum vicariis et diffinitoribus capitulorum provincialium, quod ipsi in suis capitulis provincialibus,

3) materiam] fomitem F. — 4) iniungimus] omnibus *add.* A2. — 5) ac] et eorum A2. — ac] et G. — 6) et] vel A2. — 7) in conventibus *om.* F. — celebrande] faciende E. — 10) vero *om.* E. — in quibus] ubi A2. — 17) significare] signare F. — 18) priores provinciales] prior provincialis FG. — 21) huiusmodi] huiuscemodi A2 EG. — 22) huius] huiusmodi G. — 33) volentes] volumus B. — 34) et] ac F. — 35) ac] et A2. — 36) prioribus *om.* F. — vel] ac F.; vel — provincialibus *om.* E.

requisito discretorum fratrum de provincia consilio modum aliquem sufficientem et debitum ad provisiones huiusmodi faciendas et de sequela communitatis inveniant, et hunc faciant inviolabiliter observari. Modum vero, quem sic invenerint et ordinaverint, teneantur mittere ad sequens capitulum generale. Qui autem negligentes extiterint in ordinando debite vel faciendo integre observari, priores provinciales per magistrum vel generale capitulum a suis officiis absolvantur; diffinitores autem ac provincialium vicarii pena proporcionata et tam periculose negligencie debita acrius puniantur.

Item. Detestabile excessus fratrum in quibusdam provinciis de comestione carnium cum secularibus et extra conventus, utpote statum nostrum nimium dehonestantes, moleste ferentes, prioribus provincialibus et eorum vicariis ac visitatoribus districte iniungimus, ut supra illos, quos sic invenerint delinquentes duram virgam correctionis extendant, trituras carnium penitus inhibentes.

Item. Cum ex incauta et frequenti visitacione mulierum religiosarum et beghinarum necnon et aliarum levium et suspectarum feminarum sint ordini in diversis provinciis gravia scandala suscitata nimiumque obvient nostri ordinis puritati, volumus ac districtione, qua possumus, prioribus provincialibus vel eorum vicariis et diffinitoribus capituli provincialis imponimus, quod remedium plus solito arctius et efficacius studeant invenire ac faciant integraliter et efficaciter observari, per quod istis incommodis salubriter obvietur, ac secum portent provinciales vel mittant ad sequens capitulum generale.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater ad Romanam curiam presumat accedere absque sua licencia speciali.

Cum lapsus studii et sciencie, de quo dolentes referimus, in diversis provinciis appareat manifeste, ad quem reparandum intendentes cum omni diligencia providere, volumus et ordinamus, quod in conventibus, in quibus est studium generale, studencium de provincia certus numerus prefigatur; qui numerum ·xxii·[orum] vel ·xxiii· ad plus non excedat, ultra quem per priores provinciales vel eorum vicarios non debeant plus poni. Priores autem provinciales circa studentes predictos sic studeant ordinare, quod ad minus habeant, prout pecierint, annis singulis unam vestem et plus, si necessitas hoc requirat. Omnibus vero studentibus intraneis et extraneis de caligis et soccis semel in anno et secundum domus facultatem de sot-

---

2) et] ac *ante* de F. — 5) autem] vero F. — extiterint] fuerint EF. — 8) et *om.* F. — 11) comestione] comessacione F. — 13) et] ac EF. — 15) trituras] trituram G. — 16) et] ac F. — 18) feminarum mulierum BD. — 19) nostri *om.* F. — 21) capituli provincialis] capitulorum provincialium EG. — remedium *om.* F. — 25) item — speciali *om.* A2. — 28) et sciencie *om.* E. — 29) cum] ac F. — 33) vel eorum vicarios *om.* F. — plus] plures A2FG. — 34) autem *om.* F. — 37) soccis] socris DEF.

tilaribus reparandis conventus, in quibus sunt generalia studia, debeant providere.

Item. Cum conventus, in quibus sunt generalia studia, graventur fratrum multitudine numerosa necnon et aliis oneribus adeo, quod fratres suos sufficienter non possunt deficientibus necessariis sustentare, volumus et ordinamus, quod per priores provinciales seu eorum vicarios fratres inutiles et onerosi de predictis conventibus excludantur, et solum utiles et necessarii pro predicacionibus, confessionibus, questibus fiendis, sequela chori et aliis officiis dimittantur, qui undecumque de aliis conventibus, si ibi non fuerint, assumantur. Predicti autem conventus aliis oneribus non graventur, ut sic tam studentibus quam aliis possit melius provideri. Studia vero arcium vel phylosophie ullo modo in eisdem conventibus non ponantur; novicios tamen per hanc ordinacionem intelligimus non excludi.

Item. Cum propter defectum cellarum studentes aliquando sint in conventibus per longa tempora sine cella vel cogantur transire de cella in cellam sepe cum studii sui notabili detrimento, volumus et ordinamus, quod certe celle per priorem vel eius vicarium et magistrum studencium, que sint de melioribus et mediocribus, pro studentibus intraneis et extraneis, ubi factum non extiterit, in competenti numero deputentur, que per fratres alios, dum studentes presentes fuerint, minime occupentur. Si autem per fratres conventuales in absencia studencium fuerint occupate, quando studentes venerint, cedant eis. Aliis vero fratribus sive conventualibus sive studentibus assignantur celle secundum tempus, in quo pervenerint ad conventum, ita quod primo venienti cella primitus assignetur, constitucionis tenore de cellarum concessione circa alia observato.

Item. Cum intellexerimus quosdam priores in recreacionibus dandis studentibus esse duros, ut forciores sint ad onera studii sustinenda, volumus et ordinamus, quod priores vel eorum vicarii tempore ieiunii ordinis in cenis cum eis interdum debeant dispensare, qui secundum facultatem domus commodius procurentur.

Item. Cum profectus studii et sciencie a cursoribus et lectoribus dinoscatur principaliter dependere, volumus et ordinamus, quod unus vel duo conventus ad minus in qualibet provincia eligantur, quibus priores

1) sottilaribus] secularibus F. — reparandis] preparandis F. — 3) cum *om.* F. — 4) et *om.* A2. — oneribus] omnibus F. — 6) priores *om.* FG. — 8) predicacionibus] et *add.* F. — 9) officiis *om.* F. — qui undecumque *om.* F. — 10) ibi] ibidem G. — 15) defectum] defectus F. — 16) cella] cellis *ante* vel F. — 19) mediocribus] mundioribus A2. — 20) extiterit] extitit EFG. — 21) alios] non studentes *add.* F. — 23) sive *om.* F. — 24) sive studentibus *om.* F. — 27) observato] servato F. — 29) dandis studentibus] notabiliter G; dandis *om.* A2. — ut] nisi A2. — 30) priores — ordinis *om.* B. — 31) cum eis *om.* B. — 34) dinoscatur] noscatur A2EF. — 35) eligantur *om.* B.

provinciales vel eorum vicarii provideant de sufficientibus lectoribus et cursoribus pro officio lectionum; studentes eciam dictis conventibus in certo numero scilicet denario vel duodenario assignentur, qui non ponantur in studio generali nisi per tres annos in huiusmodi studio fuerint commorati. In hiis autem conventibus et maxime in studio generali cursor teneatur integraliter legere sentencias infra annum; qui magistri studencium officium exercebit, quando suas terminaverit lectiones et curabit diligenter advertere et referre provinciali de studencium sufficiencia et profectu.

Item. Cum auditus maxime deserviat discipline et generet solidiorem scienciam in animo auditoris, volumus et ordinamus, quod omnes studentes utriusque lectoris scholas et disputaciones principalis lectoris ac magistri studencium sequi continue teneantur, a quibus sine licencia magistri studencium non poterunt remanere; quam non concedat, nisi ex causa necessaria et urgente et specialiter, si habent respondere vel de proximo predicare. Collaciones vero et sermones facere necnon arguere et respondere secundum disposicionem magistri studencium teneantur.

Ordinacionem autem factam de magistro studencium in preterito capitulo generali volumus inviolabiliter observari (1).

Item. Cum distractio a studio profectui sciencie plurimum sit nociva, volumus et ordinamus, quod studentes in sermonibus scribendis, nisi in propriis, quos fecerunt vel in factis ad clerum seu in capitulo in conventibus, in quibus sunt, nisi per unam diem septimana qualibet non se debeant occupare, prohibentes eisdem, quod non faciant libros vel scripturas quascumque pro pecunia vel eciam ad vendendum.

Item. Cum discursus et familiaritates mulierum animum avertant a studio et inter cetera impediant scienciam et profectum, volumus et ordinamus, quod studentes ad villam non discurrant, familiaritates non habeant bighinarum et aliarum mulierum, maxime suspectarum et iuvencularum, quas eis penitus prohibemus, visitaciones ad domos ipsarum omnino interdicimus et licenciam, cum pecierint eas visitandi, volumus ipsis simpliciter denegari. Frequentes eciam locuciones nimis cum eisdem in porta interdicimus et in ecclesia, ubi sic loqui fuerit consuetum.

Item. Cum utile videatur, quod magister studencium sciat, qualiter circa studium debent se habere, volumus et ordinamus, quod magister studencium diligenter videat et advertat, si studentes defecerint in pre-

5) in *om.* B. — hiis] illis B. — 10) generet *om.* F. — 12) ac] et A2. — 15) de] in F. — 16) collaciones — teneantur *om.* A2. — 18) preterito] presenti F. — 20) cum *om.* F. — 22) seu] vel F. — 23) diem] in *add.* F. — 30) eis *om.* F. — 31) omnino] ipsis F. — 32) nimis *om.* F. — 36) si] quando F.

(1) Cf. supra pag. 72 l. 11 sqq.

missis; quos monebit coram priore, lectore et cursore, quod desistant, si deficiant notabiliter in premissis vel aliquo premissorum; quod si se non correxerint, provinciali vel eius vicario cum prioris, lectoris et cursoris testimonio super facta monicione circa premissa et eorum incorrigibilitatem teneatur quantocius intimare. Qui provincialis vel eius vicarius ipsos studio privet et statim eiciat de conventu. Si autem fuerit studens extraneus, per provincialem vel eius vicarium studencium privilegium ei simpliciter subtrahatur, donec magistro ordinis innotuerit, qui ipsum amoveat de studio et conventu.

Item. Magister studencium observabit et referet magistro ordinis in studiis generalibus et provinciali et diffinitoribus in aliis studiis, quid, quantum et quomodo lectores legent et in anno quociens disputabunt. Insuper si docuerint contra communem doctrinam Thome aut contra communes opiniones ecclesie, tangentes articulos fidei, bonos mores vel ecclesie sacramenta, aut si contra ista aut aliquid istorum adduxerint raciones, quas dimiserint insolutas. Super quibus eos primo cum debita reverencia admonebit; quod si se non correxerint debite revocando, provinciali vel eius vicario referat verbo vel scripto, si magister ordinis non fuerit in propinquo; qui si invenerit ita esse, eos absolvat ab officio lectionum.

Advertat eciam magister studencium, si aliquid contra doctrinam Thome aut erroneum vel suspectum seu errori propinquum invenerit in scriptis vel reportacionibus quibuscumque. Quod si aliquid tale suo iudicio poterit invenire, statim significare magistro ordinis non obmittat. Ad quod faciendum lectores et cursores studiorum generalium necnon et alii fratres ad hoc apti maneant obligati.

Item. Magister studencium hoc observabit, si libertates et gracie date studentibus non serventur, ut provinciali vel eius vicario possit suo tempore intimare. Qui si obmiserit debite corrigere et punire, magistro ordinis statim scribat; qui de provinciali et aliis delinquentibus in hac parte sic faciat iusticie complementum, quod sint ceteris in exemplum.

Item. Magister studencium semel in septimana disputare, si commode poterit, teneatur, et de phylosophia morali vel de aliquo opere fratris Thome vel alternatim de hiis legere incipiat, quamcicius viderit opportunum, et usque ad suum provinciale capitulum vel saltem usque ad

4) super *om.* F. — monicione] indictione E. — circa *om.* F. — 8) innotuerit] intimetur B. — 11) et *om.* F. — provinciali] provincialibus F. — 12) disputabunt] disputaverit F. — 14) fidei *om.* BF. — 15) aut] ac *ante* si F. — aliquid] aliud F. — 18) si magister ordinis non] et magistro ordinis si F. — 19) qui] quod A2. — si] ista *add.* F. — 22) vel] seu E. — invenerit] invenerint F. — 23) reportacionibus] disputacionibus F. — 24) significare] signare F. — 25) ad — magistro *om.* F. — 26) apti] acti B. — 27) hoc] *om.* A2EG. — 31) sint] sit G. — 32) disputare] disputabit B. — 33) de *post* vel *om.* E. — 34) hiis] eis F.

kalendas augusti continuet lectiones, si ante non fuerit suum provinciale capitulum celebratum. Ad quas lectiones omnes studentes teneantur venire, sicut de lectionibus lectoris et cursoris superius est expressum. Utatur autem predictus magister studencium graciis cursoris, qui legit actu.

Volumus autem, quod hiis, qui hoc anno fuerint magistri studencium, secundum ordinacionem preteriti capituli generalis curant provinciales et diffinitores de sollempni conventu ad legendum iuxta eorum laudabilia merita providere (1).

Item. Cum studentes ad profectum sciencie pervenire non valeant sine libris, et de studentibus, qui mittuntur Parisius per provincias ad studendum magna spes habeatur, quod congruo tempore cum edificacione aliorum possint ordinem honorare, volumus et ordinamus, quod provinciales modum aliquem debeant invenire, per quem, antequam Parisius vadant, possit eisdem de libris necessariis provideri, ne propter defectum librorum impediatur fructus, qui de eorum profectu creditur evenire. Quem modum provinciales secum portent ad sequens capitulum generale. Studentibus vero, qui ad alia studia generalia transmittuntur, provinciales ·iiii· florenos vel valorem dare anno quolibet teneantur, ubi minus dare fuerit hactenus consuetum.

Interdicimus autem provincialibus et diffinitoribus, quod fratres ad studia generalia extra provinciam mittere non presumant, nisi prius in aliquo studio sue provincie vel extra in theologia studuerint tribus annis.

Item. Cum insufficiencia lectorum cedat in studencium notabile detrimentum et ordo paciatur iacturam, quando insufficientes pro studio loco bene aptorum et sufficiencium exponuntur, volentes ad hoc adhibere remedium opportunum, ordinamus et districte, quantum possumus, iniungimus provincialibus vel eorum vicariis et diffinitoribus, onerantes consciencias eorum, ita quod in extremo iudicio de hoc debeant reddere racionem, quatenus non promoveant ad officium lectionum theologie, phylosophie et arcium, nisi fratres, qui ad hec officia in sciencia et moribus fuerint apciores secundum iudicium ipsorum lectorum, cursorum, magistrorum studencium et aliorum fratrum, qui in hac parte possunt fidele testimonium perhibere.

---

4) autem] eciam E. — 5) volumus autem] et volumus F. — 6) curant] teneantur A2. — 7) et *om.* F. — 9) cum] quod B. — 10) qui mittuntur] missis F. — per provincias *om.* E. — 12) cum edificacione aliorum *om.* F. — 13) provinciales] provincie F. — aliquem *om.* EFG. — debeant invenire *om.* B. — 14) libris] et *add.* F. — 15) evenire *om.* F. — 16) modum] priores *add.* E. — 17) studentibus] studencium F. — 18) vel valorem *om.* F. — 25) exponuntur] disponuntur F. — 27) vel *om.* F. — eorum] ipsorum E. — 28) debeant] habeant EF. — 29) officium] studium E. — lectionum] lectionis A2. — theologie] et *add.* A2. — 30) philosophie *om.* F.

---

(1) Cf. supra pag. 72 l. 30 sqq.

Ad studia autem generalia, simili modo servata equalitate in provinciis et nacionibus, si in eis ad huiusmodi officia et studia sufficientes valeant inveniri, sine personarum accepcione, mittant ·xxx· fratres in sciencia et moribus magis aptos et magis dispositos ad profectum. Si vero studentes extranei fuerint discoli et inquieti et in sciencia et moribus deficientes ac indispositi ad profectum, provincialis vel eius vicarius cum consilio prioris, supprioris, lectoris, cursoris et magistri studencium eos remittendi ad suas provincias nostra auctoritate, quam sibi concedimus in hac parte, plenam habeant potestatem.

Item. Cum longum tempus et exercicium magnum ad profectum sciencie requiratur, volumus et ordinamus, quod studentes, qui per provincias ad studium Parisius transmittuntur, inibi ad minus duobus annis in studio relinquantur.

Item. Cum per quietem, vitato discursu, augmentum sciencie acquiratur, parcatur expensis, et amplius invalescat observancia regularis, volumus et ordinamus, quod studentes arcium et phylosophie extra conventus proprios non mittantur, si in conventibus suis ad legendum huiusmodi facultates aliqui per provincialem vel provinciale capitulum fuerint deputati. Si autem huiusmodi facultates in suis conventibus non legantur, non ad conventus remotos, sed proximos transmittantur, nisi aliquando pauci valde et ex causa racionabili et urgente.

Interdicimus autem omnibus studentibus arcium et phylosophie omnes symbolizaciones, prout in preterito generali capitulo extitit ordinatum (1).

Item. Cum ad communem profectum fratrum sit utile, quod libri multi et boni in communi armario habeantur, volumus et ordinamus districtius iniungentes, quod libri questionum fratris Thome, scripta super bibliam secundum ipsum aut alie questiones seu libri utiles, qui ad conventus de cetero quocumque titulo pertinebunt, non possint vendi nec alienari quomodolibet per quemcumque, sed in communi armario integraliter reponantur et, si ad hoc apti fuerint, non possint inde per aliquem amoveri nisi predicti libri fuerint in armario duplicati. In conventibus autem, in quibus sunt studia generalia vel ubi magistri in theo-

1) servata] observata A2. — 2) provinciis] provincia F. — 3) mittant — profectum *om.* A2. — 4) magis *post* et *om.* F. — 5) vero — inquieti et] mittant fratres A2. — 6) indispositi] dispositi F. — 7) cursoris] cursorum F. — 8) sibi] eis F. — 12) studium] studendum G. — inibi] ibidem F. — 14) per quietem] quies F. — discursu] ad *add.* F. — 15) acquiratur] requiratur F. — parcatur] portant F. — et] ut F. — 18) vel] seu FG. — 22) philosophie] et theologie *add.* A2. — 23) preterito] precedenti F. — 29) qui ad] quos F. — quocumque] quibuscumque F. — pertinebunt] obtinebunt F. — 30) nec] vel A2EF. — quomodolibet — amoveri *om.* B. — 33) autem] vero B. — vel] et F.

(1) Cf. supra pag. 70 l. 24 sqq.

logia fuerint, hec precipit magister ordinis diligencius observari, donec omnia scripta fratris Thome et maxime in theologia ibidem integraliter habeantur; quod vult de concordanciis biblie similiter observari.

Ordinacionem autem factam in capitulo Ianuensi circa studium phylosophie et arcium ac studentes in eisdem, volumus integre observari (1). Hanc vero ordinacionem habebunt magistri studencium ad partem, et eam seriosius et sepe legi faciant, quando studentes ad lectiones et disputaciones fuerint congregati. Si autem magister studencium in premissis eum tangentibus ac sibi impositis inventus fuerit negligens et remissus, per magistrum ordinis lectione et studio privetur et nichilominus aliis penis notabilibus taliter puniatur, quod inducantur alii efficaciter saltem metu pene premissa diligencius observare.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus ad curiam Romanam presumat accedere absque sua licencia speciali.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Anglie, Boemie et Aragonie, pro eo quod in provinciali capitulo Valencie celebrato, ut diffinitor interfuit de ordinacionibus infrascriptis et consenserit in eisdem, et quia in sua electione aliqua dubia concurrerunt, que nobis in generali capitulo sunt aperta.

Item. Priores conventuales Paduanum, Ariminensem, Forliviensem, Bolzanensem, Urbinatensem et s. Severini.

Et volumus et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales absoluti hoc anno in eisdem provinciis et conventibus ad eadem officia nullatenus assumantur.

Iste sunt penitencie.

Quia fratres Iulianus de Praga et Budislaus de Olomoz, vicarii in partibus provincie Boemie instituti per fratrem Dislaum vicarium eiusdem provincie per generale capitulum Neapolitanum assignatum instante electione prioris provincialis per absolucionem multorum priorum et mutaciones fratrum quam plurimum predictam non sine pacis perturbacione irracionabiliter revolverunt, quod non possint esse vicarii nec priores nec eciam diffinitores per ·iiii^{or}· annos, privamus eosdem, ·xii· dies in pane et aqua singulis imponentes.

---

1) fuerint] sunt B. — donec — observari *om.* B. — 3) biblie] librorum F. — 4) ordinacionem autem] item ordinacionem F. — studium] studia FG. — 5) et *om.* B. — ac] et F. — 7) seriosius] frequencius BE. — lectiones] eius *add.* A2 EG; eorum *add.* F. — et] vel FG. — 9) et] ac A2. — 11) efficaciter *om* BFG. — 13) item — speciali *om.* F. — 16) iste — consuevit *ante* letania *om.* E. — 17) et *om.* F. — 19) consenserit] consensit F. — in *ante* eisdem *om.* F. — 21) Forliviensem — Severini] etc. F. — 23) provinciales et *om.* F. — 27) quia — per eosdem] etc. F. — Olomoz] Colomoñ B; Clomor A2 EF.

---

(1) Cf. supra pag. 12 l. 7 sqq.

Item. Cum de processu facto in Anglia per venerabilem patrem magistrum contra aliquos delinquentes, communicato sibi multorum et magistrorum et magnorum consilio, quem nobis plene expositum dignum, iustum et necessarium fuisse honestati et securitati ordinis reputamus, quem eciam approbamus, licet nonnulli murmurasse dicantur, illumque in correctionis ac veritatis preiudicium in Anglia reprobasse, volumus et districte iniungimus vicario provincie vel priori provincie futuro, quod inquirat de huiusmodi ausu temerario diligenter et acriter puniat quoscumque circa hec invenerit deliquisse.

Item. Cum fr. Arnaldus Burgetti a provincialatu provincie Aragonie digne et iuste, prout nobis clarius innotuit, suis exigentibus culpis, per eumdem patrem magistrum ordinis absolutus, in suo provinciali capitulo nuper in Valencia celebrato, una cum fratribus Guillelmo de Armentario, Iohanne Fortis, Bernardo de Podiocircoso et Bernardo Marini, diffinitoribus capituli memorati, clanculo in suo diffinitorio et cursu sui diffinitorii, modo et more insolitis, priores ex tunc absolvit, ex quibus aliqui erant per eumdem magistrum presentem in capitulo memorato ad penam in iudicio reservati, eodemque modo predicatores instituerunt generales ac in electione provincialis facta tunc permiserunt priores absolutos tenere tabulam et eligere, vocem penitus non habentes, necnon inordinaciones alias fecerint preiudicabiles discipline et observancie regulari, dictum fratrem Arnaldum et diffinitores supra nominatos absolvimus a prioratus officio, si quem habent, et privamus eosdem voce per ·x· annos immediate sequentes, ne per ·iiii^or^· annos immediate sequentes possint in diffinitores eligi aut in capitulo aliquo diffinire, adiicientes, quod per idem tempus idem frater Arnaldus eligi nequeat in priorem provincialem provincie memorate, ·xv· dies in pane et aqua iniungentes sibi et cuilibet predictorum; predicatores vero generales absolvimus factos in predicto capitulo per eosdem.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro imminenti electione summi pontificis et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·iii· missas. etc.

Item. Pro fratribus nostris et minoribus et sororibus s. Sixti et sancte Agnetis et sororibus de Pruliano, et pro hiis, qui bene fecerunt capitulo et qui receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeuntes, quilibet sacerdos ·iii· missas.

---

2) magistrum] ordinis *add.* A2 G. — 3) magistrorum et *om.* A2 G. — 5) licet *om.* BG. — 8) ausu] casu G. — 14) Circoso] Arcoso (?) A2. — Marini] Narnini A2. — 16) absolvit] absolverit A2 G. — 17) magistrum] ordinis *add.* A2. — 20) necnon] et *add.* G. — 23) voce — sequentes *om.* A2 G. — 24) ne] nec A2. — 25) aliquo *om.* A2. — 27) ·XV·] ·X· A2. — 31) pro — missas *om.* B. — et — missas *om.* F. — 32) etc. *om.* G. — 33) item — missas *om.* B; item — missas] pro venerabilibus etc. G; Summa missarum pro vivis XXXIII misse *add. in marg.* G.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro domino Clemente papa ·v°· quilibet sacerdos unam missam.

Item. Sciant fratres universi, quod inclyte memorie domine Blanche quondam regine Aragonie magister ordinis, qui tunc erat, concessit, quod post eius obitum fieret, sicut pro magistro ordinis fieri consuevit.

Pro qualibet missa etc.

Summa missarum pro vivis ·xl·; pro defunctis ·xi· et amplius.

Pro domina Blancha quondam regina Aragonie tres missas et alia sufficienter pro eadem, sicut pro magistro ordinis fieri consuevit.

Letania in profestis diebus intus et extra ab omnibus dicatur more solito, addendo post versum: ora pro nobis, beate Dominice, ora pro nobis, beate Petre, et oracionem eius post oracionem b. Dominici.

Item. Missa de beata virgine et beato Dominico qualibet septimana in quolibet conventu in vacante feria sollempniter celebretur, et de beato Petro martyre ad minus infra quindenam similiter ordinamus.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Mattheum de Ursinis; et providemus, quantum nostra interest, de fratre Michaele de Furno, quod legat sentencias Parisius in anno sequenti; fratrem vero Iohannem de Parma, magistrum in sacra pagina, pro lectore Bononiensi studio assignamus.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris, bachellareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Montempessulanum in provincia Provincie; et ordinamus, quod provinciales, qui anno futuro diffinient illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius frater, eciamsi licenciam habeat, locum intret capituli ante feriam ·vi^am^· immediate precedentem vigiliam penthecosten.

Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel loco capituli cum intencione veniendi ad capitulum appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Ordinacionem factam in capitulo Longdonensi ultimo celebrato de

---

2) pro — consuevit] etc. B. — papa — consuevit] etc. F. — 3) item — consuevit] etc. G; summa missarum pro defunctis XIIII misse *add. in marg.* G. — 6) pro — consuevit *om.* B. — etc. — consuevit] superius posita quilibet clericus non sacerdos VII psalmos cum letania et quilibet conversus centum pater noster cum totidem ave Maria dicant G. — 13) et] de *add.* E. — 15) ordinamus] et *add.* F. — 17) quantum] quod F. — 18) Furno] Fano B; Furno] Futuro F. — in *om.* E; in — assignamus] etc. F. — 22) ut ipse] maxime E. — magistris] et *add.* A2 G. — 26) apud] ad F. — ascensionis] domini *add.* A2 FG. — 29) frater *om.* A2 F. — 31) capitulum] generale *add.* E. — 34) Longdonensi] Longdoniis E.

non licenciandis ad capitula provincialia nisi sub forma ibidem expressa cum pena apposita volumus integraliter observari (1).

Denunciamus autem voce privatos illos, qui ad presens capitulum generale sine licencia venerint contra ordinacionem precedentis capituli generalis (2).

Volumus et mandamus, quod diffinitores anni presentis in redeundo de capitulo generali et provinciales et socii eorum, qui futuro anno diffinient, veniendo ad capitulum generale et redeundo bene et curialiter recipiantur, caritative tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

Imponit autem magister ordinis diffinitoribus anni presentis et sociis, quod si in aliquo conventu male recepti fuerint, eidem magistro significent ad sequens capitulum generale.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXVII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD MONTEMPESSULANUM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XVI°·

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc constitucionem: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: cui socius competens a priore provinciali et diffinitoribus assignetur, addatur sic: qui diffinitor et socius solum de suis provinciis assumantur; quod eciam de electoribus magistri ordinis volumus inviolabiliter observari. Socii eciam priorum ad provinciale capitulum et electores provincialis tantum de suis conventibus eligantur. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: nisi per magistrum, deleatur: nisi, et dicatur sic: ac donec. Et hec habet ·ii· capitula.

---

1) capitula provincialia] capitulum provinciale F. — nisi sub forma *om.* F. — sub forma] per formam E. — 2) integraliter] inviolabiliter F: *om.* E. — 3) privatos] omnes *add.* A2. — 4) contra] secundum A2 EFG. — 7) et provinciales *om.* BE. — 8) et curialiter *om.* E. — 9) recipiantur] et *add.* F. — caritative tractentur *om.* E. — 12) in *om.* F. — 15) *acta huius capituli om.* F; in — sunt *om.* A2 G. — 19) iste sunt confirmaciones *om.* BEG. — 20) de electione *om.* A2. — 21) diffinitorum] diffinitoris A2. — et provincialis. *om.* A2. — 26) eligantur] assumantur A2.

---

(1) Cf. supra pag. 71 l. 20 sqq.
(2) Cf. supra pag. 75 l. 1 sqq.

Item hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur: vel pena carcerali punitus extiterit. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: ante tres annos ad minus, addatur: a tempore sui regressus ad ordinem, vel quo fuit de carcere liberatus. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: si magistrum ordinis ante festum sancti Michaelis mori vel amoveri contigerit, addatur: vel in ipso festo. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: quod dictum scrutinium alicui per modum aliquem non revelent, addatur: per quem de persona absolvente noticia haberi valeat; et eodem precepto fratres, qui diffinient in capitulo generali, quoad scrutinia priorum provincialium et diffinitores capituli provincialis quoad scrutinia priorum conventualium volumus obligari. Et hec habet ·ii· capitula.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis circa finem, ubi dicitur: in ipso tantum capitulo in omnibus obtinebit, deleatur totum, quod sequitur usque ad illum locum: si autem priorem provincialem in capitulo generali etc., et dicatur sic: donec prior provincialis eiusdem provincie sit electus et confirmatus et ipse provincialis vel ille, cui ipse vices suas commiserit, presens in provincia extiterit, ut superius est expressum, vel magister ordinis vel capitulum generale in predictis casibus aliter ordinaverit.

Item. Cum de nonnullis provinciis gravem et lamentabilem querimoniam audierimus, quod fratres per terrores aut preces dominorum aut principum molestias licenciantur ad dignitates extra nostrum ordinem infra dignitatem episcopalem, et sic licenciati electiones seu postulaciones de se factas cum ordinis scandalo prosequantur, volentes cum effectu huic morbo pestifero obviare, inchoamus hanc: in capitulo de itinerantibus, post illud, ubi dicitur, quod per magistrum ordinis vel provincialem suum ad huiusmodi suffragia restitui mereantur, addatur: precipimus autem in virtute sancte obediencie et spiritus sancti prioribus provincialibus et conventualibus et eorum vicariis, quod nulli fratri electo vel postulato extra ordinem ad quamcumque dignitatem, presulatum, gradum

5) regressus] ingressus A2. — de] a G. — 7) electione *om.* A2. — magistri] magistro A2. — 11) addatur *om.* A2. — 12) valeat] addatur *add.* A2. — 13) diffinient] diffiniunt A2. — scrutinia] scrutinium A2. — 15) obligari] observari A2. — 17) capitulo de *om.* A2. — prioris provincialis] priorum provincialium A2. — 21) provincialis *post* ipse *om.* EG. — 23) vel] seu *post* ordinis A2G. — 24) aliter] aliud A2. — 25) de nonnullis] in multis A2. — 26) aut] ac A2EG: aut preces *om.* A2. — dominorum *om.* B. — 27) molestias] multas A2: violencias E. — licenciantur] licenciant A2. — 32) addatur] sic *add.* A2. — 33) et — sancti *om.* A2. — 34) et *ante* conventualibus *om.* E. — vel] seu E. — 35) dignitatem] personalem *add.* A2.

infra dignitatem episcopalem, licenciam concedant huiusmodi electiones vel postulaciones aliquatenus acceptandi vel alio modo quolibet prosequendi. Eodem precepto prohibemus, ne frater aliquis licenciam sibi datam contra prohibicionem huiusmodi premissas electiones seu postulaciones ullatenus per se vel per alium prosequatur. Quicumque autem in premissis secus fecerint, incurrant excommunicacionis sentenciam ipso facto; quam sentenciam ferimus presenti statuto; et nichilominus omnibus graciis ordinis sint privati, ad quas restitui non valeant nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Et ut istis excessibus efficacius et plenius obvietur, precipit magister ordinis de voluntate et consilio diffinitorum fratribus universis, quod ex nunc premissa omnia inviolabiliter teneant et observent.

Item. Cum propter distanciam provincie Terre sancte et propter difficultatem veniendi et mittendi ad magistrum ordinis, sepe et longo tempore priore provinciali careat, non sine gravi dampno et dispendio provincie memorate, volentes circa hoc salubriter providere, inchoamus hanc: in capitulo de electione prioris provincialis, post illud, quod dicitur: quod si in die statuta non elegerint vel postulaverint, qui debent eligere, potestas providendi ad magistrum ordinis transferatur, addatur sic: si tamen provincialem Terre sancte mori vel amoveri contigerit in capitulo generali aut antequam ad suam provinciam pervenerit, vel electum seu postulatum contigerit non confirmari seu confirmatum mori aut absolvi, antequam pervenerit ad suam provinciam, in hiis casibus electio provincialis ad prefatam provinciam non pertineat, sed ei de priore provinciali magister ordinis provideat vel capitulum generale.

Item. Cum pro eo, quod diverse provincie ad generalia studia, Parisiensi excepto, possint unum tantum fratrem mittere pro studente, multa incommoda et dispendia subsequantur, tum quia sic assignatis communiter opportuno tempore socius non occurrit, tum eciam quia studia posita sunt in remotis, fratres accedendo ad illa gravant seipsos et provincias in expensis, inchoamus hanc: in capitulo de studentibus, ubi dicitur: quelibet autem provincia etc., dicatur sic: quelibet autem provincia, exceptis Ispanie, Ungarie, Terre sancte, Polonie, Dacie, Grecie et Boemie, provideat, ut semper in conventu aliquo ydoneo sit generale studium et sollempne, et ad illum locum quilibet prior provincialis de diffinitorum capituli provincialis vel maioris partis eorum consilio et assensu pote-

---

1) concedant] ut *add.* A2. — 2) aliquatenus *om.* E. — 3) prohibemus] prohibentes A2. — aliquis — ullatenus *om.* A2B. — 6) in premissis *om.* A2. — 10) consilio] assensu A2. — 12) et observent] observare A2. — 14) et] vel *ante* mittendi A2. — 15) et dispendio *om.* A2. — 17) in capitulo *om.* A2. — quod] ubi G. — 19) providendi] eligendi E. — 21) aut] vel A2. — 22) seu] vel A2. — 23) ad] in G. — electio] prioris *add.* G. — 27) studente] et *add.* A2. — 28) subsequantur] consequantur A2. — 32) etc. — provincia *om.* A2. — 33) Boemie] quelibet provincia *add.* A2. — 35) et sollempne *om.* A2.

statem habeat mittendi duos fratres ydoneos ad studendum modo videlicet infrascripto, ut scilicet ad studia provinciarum Lombardie inferioris, Romane provincie, regni Sicilie, Theutonie, superioris Lombardie tantum duos fratres mittere possint ipse nunc nominate provincie et cum eis provincie Ungarie, Grecie, Polonie et Dacie. Ad studia vero provinciarum Tholosane, Anglie, Aragonie, provincie Provincie et Saxonie mittere tantum possint similiter duos fratres, ipse nunc nominate provincie et cum eis provincie Hyspanie, Francie, Terre sancte et Boemie. Quelibet autem provincia divisa mittere possit ·iiii[or]· fratres ad studium provincie condivise.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum facilitas licencie apostatis et aliis fratribus ad alium ordinem transeundi vergat in nostri ordinis et regularis observancie notabile detrimentum, prioribus provincialibus ac eorum vicariis inhibemus, quod huiusmodi licencias sine causa evidenti et necessaria ac maturo consilio non concedant. Ad monachos autem nigros nullatenus licenciam sine diffinitorum suorum capitulorum provincialium consilio et assensu. Quod si contrarium fecerint, per magistrum ordinis vel capitulum generale taliter puniantur, quod sint ceteris in exemplum. Prioribus autem conventualibus et eorum vicariis interdicimus, quod nulli fratri dent licenciam ad alios ordines transeundi, ac eis super hoc simpliciter omnem subtrahimus potestatem. Quod si secus fecerint, sint ipso facto a suis officiis absoluti et nichilominus omnibus graciis ordinis sint privati; ad quas restitui non valeant nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Item. Cum ordinacio facta in capitulo generali Carcassone celebrato (1) ad compescendos fratrum discursus inutiles atque vagos non sit debite observata, ex quo non pauca scandala ac pericula ordini sunt suborta, volumus et ordinamus, inviolabiliter observari, quod priores et eorum vicarii, fratres suis conventibus deputatos extra terminos suorum conventuum non licencient, nisi pro gravi infirmitate ipsorum vel parentum suorum vel eorum morte vel ad vitandum grave ordinis scandalum vel pro tam evidenti necessitate et utilitate conventuum aut eciam singularium fratrum, quod non possit sine notabili detrimento ac eciam periculo provincialis licencia expectari; et tunc de consilio plurium discretorum

1) studendum] studium A2. — 5) vero] autem A2. — 7) tantum] tantummodo A2. — similiter *om.* A2. — 13) transeundi] transferendi A2. — 14) quod *om.* A2. — 15) ac] et A2. — 16) nullatenus] concedant *add.* EG. — 20) et] ac G. — 21) alios ordines] alium ordinem A2. — 27) quo *om.* A2. — ac] et EG. — ac pericula *om.* A2. — suborta] exorta A2. — 28) et] sive A2; seu *post* priores EG. — 32) pro *om.* B. — aut eciam] atque A2.

(1) Cf. supra pag. 57 l. 21 sqq.

licencient. Licenciati vero constitucionem de litteris testimonialibus portandis et presentandis diligenter observent, in quibus causa ipsius licencie generaliter vel specialiter et terminus exprimantur. Quicumque autem prior vel eius vicarius premissa inventi fuerint non servasse, teneantur indispensabiliter infra quindenam per triduum in pane et aqua abstinere, ita quod talis penitencia sit conventui manifesta. Quam si cessante infirmitate non impleverint, per provincialem vel eius vicarium statim cum de ipsius excessu legitime constiterit, a suis officiis absolvantur. Fratres vero, qui absque huiusmodi literis testimonialibus ad conventus quoscumque declinaverint, per priores vel suppriores conventuum, ad quos pervenerint, auctoritate nostra voce ad unum annum priventur et conventui, de quo sunt, hanc privacionem factam significent per suas literas speciales. Quod si hanc penam privacionis imponere noluerint vel neglexerint, statim cum a suis officiis fuerint absoluti, voce ad unum annum sint ipso facto privati.

Item. Cum ex vago discursu apostatarum quam plurima scandala generentur, concedit magister ordinis et imponit prioribus provincialibus, conventualibus ac eorum vicariis, ut huiusmodi apostatas undecumque oriundos ad expensas provinciarum seu conventuum, ad quos spectant, cum debita diligencia perquiri faciant atque capi; inhibens districte fratribus universis, quod huiusmodi apostatas infra conventum vel extra ad quamcumque familiaritatem vel servicium non admittant nec teneant pro scriptore. Quicumque vero contrarium fecisse fuerint deprehensi, per suos priores provinciales vel conventuales taliter puniantur, quod sit ordini satisfactum et ex punicione huiusmodi ceteri similia facere non presumant.

Item. Cum ex hoc, quod magister ordinis omnes provincias ordinis non possit commode propter earum distanciam et alia impedimenta legitima personaliter visitare, volumus ac eciam ordinamus, eidem magistro cum reverencia debita imponentes, quod ad provincias sic distantes et in quibus non consueverunt communiter capitula generalia assignari, necnon et ad insulas visitatores auctoritate sua mittat, potestatem eis tribuens super dictas provincias et insulas, prout iudicaverit expedire.

Item. Volumus inviolabiliter observari, quod in presentacione bacalareorum Parisiensium et eorum expedicione ordinaria de cetero nulla alternacio observetur, sed illo ordine, quo legerunt sentencias ordinarie

---

2) causa] cause A2. — licencie] vel *add.* A2. — 5) indispensabiliter *om.* A2EG. — 7) impleverint] compleverint A2. — 8) ipsius] eorum A2. — constiterit] extiterit A2. — 10) quoscumque] quosque A2. — 12) factam significent] denuncient A2. — 17) provincialibus] et *add.* G. — 18) ut] quod A2. — 20) perquiri] inquiri A2. — inhibens] inhibemus A2BG. — 23) vero] autem A2. — fecisse fuerint deprehensi] fecerit A2. — 24) vel] aut G. — 25) similia *om.* A2. — 27) omnes provincias ordinis *om.* A2. — 32) necnon] ymo A2. — et *om.* B. — 35) ordinaria — et *om.* A2.

presententur, ita quod posterior in lectura sentenciarum priori in presentacione et expedicione huiusmodi nullatenus preferatur. Precipit autem magister ordinis in virtute sancte obediencie et spiritus sancti de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, quod ordinacionem huiusmodi vel execucionem per se vel per alium infringere non procurent. Et ut parcatur laboribus et expensis, volumus ac eciam ordinamus, quod absque mandato magistri ordinis speciali, primo bacalareo presentato iuxta prefatam ordinacionem et in omnibus expedito, prout quantum ad istum articulum alias extitit consuetum, bacalareum antiquiorem in lectura sentenciarum prior Parisiensis cum magistris actu legentibus, qui presentes fuerint, studeat absque omni fraude quamtocius domino Parisiensi cancellario presentare. Quicumque autem huiusmodi ordinacionis per se vel per alium inventus fuerit temerarius violator, si magister fuerit, execucione magisterii perpetuo sit privatus; si bacalareus, ad magisterium non ascendat; et si frater alius, voce et conventu Parisiensi perpetuo sit privatus, nisi cum ipsis per magistrum ordinis vel generale capitulum dispensetur.

Item. Cum presencia magistrorum in theologia in conventu Parisiensi sit multum ordinis honorabilis ac eciam fructuosa, volumus, quod semper alternatim unus de magistris actu legentibus, cum cessat legere, in prefato conventu remaneat, donec alter actu legens habeat successorem; qui eciam supplere teneatur, si in scola aliqua sit defectus.

Item. Cum servum Christi litigare non deceat, sed pocius materias licium amputare, interdicimus prioribus ac fratribus universis, ne causas aliquas precipue contra episcopos ac superiores prelatos inchoent sine suorum provincialium licencia et assensu.

Item. Cum de alternandis capitulis generalibus facta sit pluries inchoacio et interdum approbacio subsecuta et raciones appareant pro et contra, et apud graves personas admiracio non modica sit de celebracione capitulorum generalium tam frequenti; nolentes circa hoc aliquid attemptare, volumus et imponimus, quod in singulis capitulis provincialibus huius anni super hoc diligens collacio habeatur, et quod visum fuerit singulis provinciis, mittatur ad sequens capitulum generale (1).

---

3) et spiritus sancti *om.* A2. — 5) vel] eius *add.* E: vel] et *ante* execucionem A2. — 6) ac eciam] et BF. — 9) alias *om.* BEG. — 11) quamtocius] quanto cicius BE. — 14) perpetuo *om.* AEG. — si] autem *add.* A2. — 15) si *om.* E. — 20) semper alternatim *om.* A2. — 23) deceat] liceat A2. — 24) ac] et A2G. — 26) assensu] consensu A2EG. — 27) alternandis] intercipiendis A2. — sit *om.* A2. — 28) et] ac *ante* interdum A2. — 29) sit *om.* A2. — 31) imponimus] ordinamus A2. — 32) collacio] inquisicio A2.

---

(1) Cf. MOPH III pag. 269 l. 16 sqq.

Item. Cordi habentes quam plurimum ordinacionem factam in generali capitulo anno preterito Bononie celebrato de assignacione seu mutacione, immissione seu emissione fratrum a conventibus, in quibus imminet aliqua electio facienda, ac provisione infirmorum et indigencium vestibus necnon et de incauta visitacione suspectarum mulierum vitanda, insuper et de numero studencium in generali studio ponendorum et provisione ipsorum, de retractione ipsorum a discursibus et familiaritatibus mulierum, necnon et omnia alia, que ad profectum sciencie et utilitatem studencium fuerunt in prefato capitulo ordinata, volumus et imponimus arcius solito observari (1).

Item. Ordinamus et inhibemus districte, ne predicatores generales fiant isto anno in illis provinciis, in quibus numerus ipsorum predicatorum generalium numero conventuum sue provincie maior fuerit vel equalis; tamen loco illorum, qui ad capitula communiter venire non possunt, alii substitui poterint iuxta numerum eorumdem; quos tamen propter hoc ab huiusmodi officio non intelligimus absolutos.

Item. Cum intellexerimus congregaciones aliquas per priores et fratres alios in quibusdam provinciis esse factas, ex quibus apud exteriores non modica admiracio et apud ordinem grandis et gravis commocio et turbacio sunt exorte, congregaciones huiusmodi omnino fieri prohibemus; volentes nichilominus et imponentes, quod priores provinciales sic acriter puniant, quos ex nunc repererint circa hoc excessisse, quod sit ceteris ad terrorem, et nichilominus quam cito poterunt commode, scribant magistro ordinis ipsorum nomina et excessus tam temerarii gravitatem.

Item. Cum quidam tractatus, scripta sive reportaciones theologie a fratribus nostri ordinis compilati sine examinacione et approbacione ordinis contra constituciones publicati, fratres a communi et salubri doctrina retrahant et possint saltem simplicibus dare occasionem errandi, volumus et ordinamus, quod priores provinciales in suis capitulis provincialibus de consilio diffinitorum studeant de tali remedio providere, quod huic defectui salubriter obvietur, dictumque remedium, quam cito poterunt, studeant magistro ordinis intimare, et ipse videat, si circa tale remedium sit aliquid immutandum. Magistro eciam ordinis imponimus,

1) quam *om.* G. — 2) seu] vel A2 EG. — 3) immissione *om.* A2. — 4) indigencium] induencium A2. — 6) et] de *add.* E. — 7) ipsorum] eorum *ante* a E. — 12) illis] aliis A2. — 14) capitula] capitulum A2. — 16) propter hoc *om.* A2. — 17) congregaciones *om.* A2. — 20) omnino fieri *om.* A2. — 22) excessisse] excessuri A2. — 24) temerarii] temerariam A2. — 26) sive] et A2; seu G. — 28) publicati *om.* A2. — 30) quod] ut A2. — 31) provincialibus *om.* A2. — studeant *om.* A2. — 34) sit aliquid immutandum *om.* A2.

(1) Cf. supra pag. 76 l. 34 sqq.

quod examen de mandato suo factum ex ordinacione generalis capituli Metis novissime celebrati (1) de predictis tractatibus, reportacionibus sive scriptis execucioni mandet, secundum quod in presenti diffinitorio concorditer est conclusum.

Item. Precipit magister de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus ad Romanam curiam presumat accedere absque sui licencia speciali; et sic licenciati de nullo negocio se intromittant in predicta curia nisi cum procuratoris ordinis licencia et assensu.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Yspanie, Theutonie et Boemie.

Item. Priores conventuales, Podii Cerdani, Tolonensem, Coquilibri, Valentini, Albenacii, Marsilianensem, Cistaricensem, Podianum, Alestensem; et volumus et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales absoluti hoc anno in eisdem provinciis ac conventibus ad eadem officia nullatenus assumantur.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro imminenti electione summi pontificis et bono statu ecclesie quilibet sacerdos ·iii· missas.

Pro venerabilibus patribus ac dominis domino Nicholao Hostiensi et Velletrensi episcopo (2), domino Nicholao tituli s. Eusebii (3) et domino Guillelmo tituli s. Cecilie (4), presbiteris cardinalibus, quilibet sacerdos ·iii· missas et quilibet conventus ·iii· missas, unam de b. virgine et unam de beato Dominico et terciam de beato Petro martire.

Item. Pro domino Arnaldo de Pelagrua (5), domino Raymundo de Fabricis (6), domino Bernardo de Gars (7) et aliis eidem domino Arnaldo coniunctis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dominis cardinalibus domino Tusculano episcopo (8) et domino Berengario nepote suo (9) quilibet sacerdos ·i· missam.

---

3) in *om.* A2. — 5) magister] ordinis in virtute sancte obediencie *add.* A2. — 8) licencia] speciali *add.* A2. — 10) et *om.* A2G. — 11) Podii — dicant *om.* B. — Cerdani] Sardani A2. — Cerdani — Alestensem] etc. E. — Tolonensem] Toloni A2G. — 12) Albenacii] Albesanii A2. — Marsilianensem] Massiliensem G. — Cistaricensem] Gestarensem A2. — Podianum] Podiensem G. — 13) Alestensem] Arestensem A2. — 17) pro — pervenisset *om.* A2B. — 25) Gars] Garn G. — 27) item *hic et in sqq. om.* E.

---

(1) Cf. supra pag. 65 l. 13 sqq.

(2) De fr. Nicolao cf. supra pag. 74 l. 15.

(3) De fr. Nicolaó card. tit. s. Eusebii cf. ibid.

(4) De fr. Guilelmo Petro Godin cf. supra pag. 67 l. 21.

(5) De Arnaldo de Pelagrua cf. ibid. l. 24.

(6) De Raymundo de Fabrelis cf. ibid. l. 25.

(7) De Bernardo de Garvo cf. ibid.

(8) Berengario Fredoli sen., tit. ss. Nerei et Achillei, cf. EUBEL l. c. pag. 37.

(9) Berengario Fredoli iun. ep. Bitteren., tit. ss. Nerei et Achillei, deinde ep. Portuen. ibid. pag. 14.

Item. Pro dominis cardinalibus domino Neapoleone (1), domino Petro de Columpna (2) et domino Iacobo (3), domino Iacobo Gayetani (4), domino Francischo (5), domino Luca (6), domino Guillelmo de Pergamo (7) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Albanensi (8), domino Prenestino (9), domino Portuensi (10), domino Vitali (11) cardinalibus ac venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos ·i· missam.

Pro domino patriarcha Ierosolimitano (12) et dominis archiepiscopis Cantuariensi (13), Coloniensi (14), Auxitano (15), Ravenate (16), Compostellano (17), Rothomagensi (18) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Narbonensi (19) quilibet sacerdos ·i· missam.

2) domino — Iacobo *ante* Gayetani *om.* G.

---

(1) De Napoleone de Ursinis cf. supra pag. 36 l. 32.

(2) Petro de Columna Romano, diac. s. Eustachii, † Avenione 1326, cf. EUBEL l. c. pag. 11.

(3) Videtur esse Iacobus de Columna, diac. s. Mariae in Via lata, † 1318 Aug. 14; ibid. pag. 9.

(4) Iacobo Caietano de Stephanescis, Romano, diac. s. Georgii ad vel. aur. † 1341 Iunii 23; ibid. pag. 12.

(5) Francisco Caietano, Bonifatii VIII nepote, diac. s. Mariae in Cosmedin, † Avinione 1317 Maii 26; ibid.

(6) Luca de Flisco e Lavaniae comitibus, diac. s. Mariae in Via lata, postea ss. Cosmae et Dam. † 1336 Ian. 31; ibid.

(7) Guilelmo Longo (de Longis) Bergomensi, dicto « de Pergamo », diac. s. Nicolai in carc. Tull. † Avinione 1319 Apr. 13; ibid. pag. 11.

(8) Arnaldo de Auxio, ep. Pictav. prom. 1312 Doc. 24, † 14 Aug. 1320; ibid. pag. 14.

(9) Guilelmo de Mandagoto, Lotevensi, aep. Aquen. prom. 1312 Dec. 24, † m. Sept. 1321; ibid.

(10) Iacobo Arnaldi de Eusa al. Deuza, Caturcensi, ep. Avinion. ep. card. Portuen., postea Ioanne papa XXII; ibid.

(11) Vitali de Furno (du Four) Vasatensi, O. Min., provinciali Aquitaniae, tit. s. Martini in montibus, postea (m. Iunio 1321) ep. Alban., † 16 Aug. 1317; ibidem.

(12) Petro O. Min. ibid.; pag. 286.

(13) Waltero Raynolds; ibid. pag. 169.

(14) Henrico de Virneburg; ibid. pag. 205.

(15) Amanevo; ibid. pag. 123.

(16) (S.) Raynaldo Concoreggi; ibid. pag. 436.

(17) Roderico del Padron; ibid. pag. 207.

(18) Aegidio Aycelin; ibid. pag. 447.

(19) Bernardo de Fargis; ibid. pag. 373.

Item. Pro domino archiepiscopo Ebredunensi (1) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Arborensi (2) et dominis episcopis Podiensi (3) et Vivariensi (4) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino episcopo Magalonensi (5) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino episcopo Tholosano (6) quil. sac. ·i· missam.

Item. Pro domino episcopo Agathensi (7) quil. sac. ·i· missam.

Item. Pro dominis episcopis Albiensi (8), Carcasonensi (9), Appamensi (10), Agennensi (11), Argentinensi (12), Ferrariensi (13), Bitterensi (14), Uticensi, Mimatensi (15), Lemovicensi (16), et domino electo Veneto (17), nepote venerabilis patris domini Hostiensis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili viro domino Philippo de Maioricis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino rege Francie et Navarre et bono statu regnorum suorum quilibet sacerdos ·iii· missas et quilibet conventus unam de beato Dominico.

Item. Pro domina Clemencia regina Francie quilibet sacerdos ·iii· missas et quilibet conventus ·i· de beato Dominico.

Item. Pro domina Maria regina Francie et dominis Karolo ac Ludovico avunculis domini regis Francie, uxoribus et liberis eorumdem quilibet sacerdos ·i· missam.

---

22 avunculis] avunculo G.

---

(1) Ioanne de Podio (du Puy) O. Praed., capell. S. P. et poenit. apost.; creatur ep. 1311 Mai 26, obiit 1317 mense Sept., cf. EUBEL l. c. pag. 243.

(2) Guidone Cattano O. Praed· cr. 1312 Maii 10; ibid. pag. 102.

(3) Bernardo de Castanet; ibid. pag. 91.

(4) Ludovico de Poitiers; ibid. pag. 565.

(5) Ioanne Raymundo de Cominiges; ibid. pag. 334.

(6) Gaylhardo de Preyssae; ibid. pag. 515.

(7) Raymundo du Puy; ibid. pag. 75.

(8) Beraldo de Fargis; ibid. pag. 80.

(9) Petro de Rochefort; ibid. pag. 172.

(10) Piloforti de Rabastens; ibid. pag. 94.

(11) Amanevo de Fargis; ibid. pag. 76.

(12) Ioanne de Dirpheim; ibid. pag. 106.

(13) Guidone de Capello, priore prov. Lombardiae inferioris O. Praed.; ibid. pag. 257.

(14) Guilelmo Fredoli; ibid. pag. 141.

(15) Guilelmo Duranti; ibid. pag. 358.

(16) Raynaldo de la Porte; ibid. pag. 313.

(17) Ioanne le Parisy (?); ibid. pag. 550.

Item. Pro dominis Philippo et Karolo germanis eiusdem domini regis, uxoribus et liberis eorum quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino rege Anglie, domina regina consorte sua, quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro domino Eduardo primogenito eorum quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino rege Maioricarum et domina regina consorte sua, ac domina regina, matre domini regis et domino Ferrando, germano suo, quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro domino rege Aragonum, domina regina consorte sua, necnon et liberis eiusdem domini regis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dominis regibus Castelle, Sycilie, Portugallie, Ungarie, Boemie, Dacie, Suecie et Norvegie quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino principe Tarentino, Iohanne germano suo, duce Calabrie, uxoribus et liberis eorum, necnon et relicta domini Karoli quondam filii domini principis quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro domino comite Cestrie et domina Margarita de Mortuo mari, parentibus ac liberis eorumdem, domino Gualtero de Mortuo mari quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina Elyonore comitissa Vindoniensi ac domino comite et aliis liberis suis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina Beatrice consorte domini vicecomitis Leuimanie ac domina ducissa Athenarum et aliis duabus familiaribus domine regine Francie quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina Blancha de Britania, domino Roberto filio suo et alia prole ipsius quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina Beatrice matre quondam domini imperatoris recordacionis felicis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Dalphyno de Vienna, consorte sua et liberis eorum quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Arnaldo de Landora et aliis fratribus venerabilis patris magistri ordinis et domina Helia sorore sua quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro bono statu Montispessulani, consulibus eiusdem loci quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Petro Causiti burgensi Montispessulani quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Stephano Pellicerii quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Poncio Alemandini quilibet sacerdos ·i· missam.

---

20) Vindoniensi] Vindociensi G. — 22) Leuimanie] Leomannie G.

Item. Pro domino Geraldo de Rupe quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Iohanne Palmerii quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro aliquabus dominabus de Montepessulano, que procuraverunt capitulum, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili magistro ordinis quilibet sacerdos ·iii· missas, unam de spiritu sancto, aliam de beata virgine, terciam de beato Dominico.

Item. Pro reverendo patre fratre Aymerico condam magistro ordinis (1) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro fratribus nostris et minoribus et sororibus ordinis nostri ac pro hiis, qui benefecerunt capitulo et qui receperunt fratres venientes ad capitulum ac recipient redeuntes, et pro hiis, qui habent litteras de benificiis ordinis, quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro venerabili patre domino patriarcha Alexandrino (2) et dominis episcopis Paduano (3), Bononiensi (4), Mantuano (5), Ariminensi (6) et Camerinensi (7) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dominis duce Veneciarum Guillelmo de Castro Barcho et domina consorte sua, Cane de Scalis, Federico de Scalis ac aliis de domo eius; Passarino Mantuano et Butirane fratre suo ac aliis de dicta domo; Malatestino de Malatestis, Pandulpho fratre suo ac ceteris de dicta domo, Lamberto de Polenta ac aliis de domo eius, domino Giberto de Pitriolo ac aliis germanis eius et ceteris de dicta domo, domino Bornio de Samaritanis, Romeo de Peppulis, domino comite de Colato, Polberto de Camino, Guezolone de Camino et bono statu domorum suarum quilibet sacerdos ·i· missam.

Summa missarum pro vivis ·liii·

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro domino Clemente papa ·v°· quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Philippo felicis recordacionis condam rege Francie quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro domino Petro condam filio clare memorie domini Karoli regis et domino Karolo condam filio domini principis Tarentini quilibet sacerdos ·iii· missas.

---

10) pro — LIII *om.* G.

---

(1) De fr. Aymerico cf. supra pag. 1 not. 1.
(2) Aegidio O. Praed.; cf. EUBEL l. c. pag. 81.
(3) Pagano de la Torre; ibid. pag. 404.
(4) Uberto Avvocati; ibid. pag. 144.
(5) Iacobo Benfatti O. Praed.; ibid. pag. 339.
(6) Friderico Balacco; ibid. pag. 108.
(7) Bernardo Varano; ibid. pag. 166.

Item. Pro domino archiepiscopo Patracensi (1), domino fratre Consilio condam archiepiscopo Consano (2) et Stephano nepote venerabilis patris domini Hostiensis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina Aysia matre condam venerabilis patris magistri ordinis ac domino patre suo et germanis defunctis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dominis Bernardo Fogadii, Raymundo de Monte Ferrario, Bernardo Gossi, domino Alberto canonico, nepote domini episcopi Ferariensis ac dominis Alberto et Iacobo germanis eiusdem quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre fratre Francisco ordinis nostri condam cancellario Parisiensi (3) nuper defuncto et pro fratribus nostris et sororibus defunctis et pro hiis, qui habebant litteras de beneficiis ordinis, et sepultis in cimeteriis nostris quilibet sacerdos ·iii· missas.

Pro domino Azone marchione condam Estensi ac domino Francisco fratre suo defunctis et pro domino Malatesta de Malatestis ac aliis de domo sua defunctis ac domino Thadeo de Pitriolo et domina Valseurina uxore sua ac ceteris de dicta domo defunctis quilibet sacerdos ·i· missam.

Summa missarum pro defunctis ·xiii·

Denunciamus fratribus universis, quod tenentur ad suffragia pro fratre Guillelmo de Anhanis diffinitore ad Bononiense capitulum pro provincia Tholosana, qui ad idem capitulum iter arripiens et ad illud nequens pervenire in Pruliano defunctus est, antequam ad conventum proprium pervenisset (4).

Item. Pro qualibet missa clericus ·vii· psalmos, et quilibet conversus ·c· pater noster et totidem ave Maria dicant.

Letania in profestis diebus more solito intus et extra ab omnibus dicatur, addendo post versum: Ora pro nobis, b. Dominice, versum: desiderium anime eius tribuisti ei domine, cum oracione, Domine; respondeatur: et voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Preces, quas tibi,

1) Patracensi] Patrasesi G. — 2) Consano] Causarensi G. — 7) Fogadii] Fogaderii G. — 15) pro — et] item G. — pro — XIII *om.* G. — 22) Anhanis] Aganis E. — 26) item *om.* E. — missa] superius posita quilibet *add.* E — clericus] non sacerdos *add.* E. — psalmos] cum letania *add.* E. — 29) ab omnibus dicatur *om.* B. — versum] versiculum *ante* ora A2. — 30) cum oracione domine *om.* B. — domine — eum *om.* A2. — 31) eum] cum oracione *add.* BE.

(1) Rainerio; ibid. pag. 412.

(2) Consilio Gatti O. Praed.; cr. aep. Consan. (Conza) 1301 Ian. 30; ibid. pag. 210.

(3) Huius nominis cancellarium universitatis Parisiensis, qui nomen dederit ordini nostro, apud DENIFLE *Chartularium* etc. non inveni.

(4) De fr. Guilelmo de Anhanis cf. supra pag. 37 l. 27.

domine, offerimus, intercedente beato Petro martyre tuo, clementer intende et pugiles fidei sub tua protectione custodi.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et de beato Dominico in qualibet septimana in quolibet conventu, vacante feria, et de beato Petro martyre ad minus infra quindenam sollempniter celebretur.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum generalium studiorum, ut ipse de magistris ac bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Pampilonam in provincia Aragonie; et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavam ascensionis domini veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat, locum intret capituli ante feriam sextam immediate pentecostes vigiliam precedentem.

Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel loco capituli cum intencione veniendi ad capitulum appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Ordinacionem factam in capitulo generali Londoniis ultimo celebrato de non licenciandis ad capitula provincialia nisi sub forma ibidem expressa, cum pena apposita, volumus integraliter observari (1).

Denunciamus autem voce privatos illos, qui ad presens capitulum generale sine licencia venerunt vel cum intencione veniendi ad capitulum appropinquaverunt loco capituli secundum ordinacionem precedentis capituli generalis (2).

Item. Volumus et mandamus, quod diffinitores anni presentis in redeundo de capitulo generali et diffinitores et socii eorum, qui futuro anno diffinient, veniendo ad capitulum generale et redeundo bene et curialiter recipiantur et caritative tractentur et secundum facultatem conventuum convenienter procurentur.

Mandat magister ordinis prioribus provincialibus universis et eorum vicariis et eis districte imponit, quod propter expensas factas et fiendas in curia Romana quilibet eorum quamcicius occurrerit nuncius, pro-

---

1) offerimus — custodi] etc. A2. — beato — custodi] etc. G. — 3) de *ante* beato *om.* EG. — 4) conventu] in *add.* A2. — 7) ac] et EG; *om.* A2. — et] ac EG. — 14) habeat] habuerit A2. — 15) precedentem *om.* A2. — 16) vero] autem A2. — 17) ex] in A2. — 19) ultimo *om.* B. — 21) integraliter] inviolabiliter A2. — 22) autem] omnes *add.* A2. — illos *om.* A2. — 23) ad capitulum *om.* A2. — 26) anni] capituli A2. — in *om.* A2. — 27) de — redeundo *om.* A2. — 29) et caritative tractentur *om.* A2. — 32) et eorum vicariis *om.* B. — fiendas] faciendas A2.

---

(1) Cf. supra pag. 77 l. 20 sqq.
(2) Cf. supra pag. 87 l. 3 sqq.



curatori ordinis quatuor florenos mittat. Quod si non occurrerit nuncius, saltem indubitanter eos mittat magistro ordinis ad sequens capitulum generale; et qui non solverit eidem procuratori quinque florenos, sicut in generali capitulo Metis celebrato (1) novissime extitit ordinatum, vult omnino et imponit idem magister, quod mittat cum istis florenis ·iiii^or· illos quinque.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXVIII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD PAMPILONAM CELEBRATI ANNO DOMINI M°·CCC°·XVII°·

Confirmamus hanc constitucionem: In capitulo, de electione magistri ordinis, ubi dicitur: si magistrum ordinis ante festum sancti Michaelis mori vel amoveri contigerit, addatur: vel in ipso festo. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: In ipso tantum capitulo in omnibus obtinebit, deleatur totum, quod sequitur usque ad illum locum: Si autem priorem provincialem in capitulo generali etc., et dicatur sic: donec prior eiusdem provincie sit electus et confirmatus et ipse provincialis vel ille, cui ipse vices suas commiserit, presens in provincia extiterit, ut superius est expressum, vel magister ordinis seu capitulum generale in predictis casibus aliter ordinaverit. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc: In capitulo de itinerantibus post illud, ubi dicitur, quod per magistrum ordinis vel provincialem suum ad huiusmodi suffragia restitui mereantur, addatur: precipimus autem in virtute sancte obediencie et spiritus sancti prioribus provincialibus, conventualibus ac eorum vicariis, quod nulli fratri electo seu postulato extra ordinem ad quamcumque dignitatem, personatum, gradum infra dignitatem episcopalem licenciam concedant huiusmodi electiones seu postulaciones acceptandi vel alio modo quolibet prosequendi; eodem precepto prohibentes, ne

1) occurrerit] occurrat E. — 4) novissime] noviter A2. — 8) in — sunt *om.* A2 G. — 9) Pampilonam] Pampilonem A2; Papiloiam F. — 11) constitucionem *om.* A2 E. — magistri *om.* A2. — 12) ordinis *om.* A2 F. — 17) in omnibus *om.* F. — 20) ille] ipse F. — 23) et — capitula *om.* E. — 24) in capitulo *om.* F. — dicitur *om.* B. — 26) mereantur] mereatur G. — autem *om.* F. — 27) provincialibus *om.* A2. — 29) personatum] vel *add.* A2. — 31) prosequendi] persequendi F.

(1) Cf. supra pag. 75 l. 12 sqq.; loco « Metis » legas « Londoniis ».

frater aliquis propter licenciam sibi datam contra prohibicionem huiusmodi premissas electiones seu postulaciones ullatenus per se vel per alium prosequatur. Quicumque autem in premissis secus fecerint, incurrant excommunicacionis sentenciam ipso facto, quam sentenciam ferimus presenti statuto, et nichilominus omnibus graciis ordinis sint privati, ad quas restitui non valeant nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Et hec habet ·ii· capitula.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Volumus et ordinamus, quod priores provinciales et diffinitores capitulorum provincialium ad studia generalia tales mittant, de quibus certa spes profectus quantum ad mores et scienciam possit haberi; super quo eorum consciencias oneramus. Quibus priores provinciales provideant vel provideri faciant cum effectu secundum consuetudinem laudabilem in provinciis hactenus observatam, alias de sibi appropriatis in tantumdem eis satisfacere teneantur.

Item. Ordinamus, quod in bacalareis Parisiensibus ordinarie presentandis alternacio de extraneo et intraneo inviolabiliter observetur secundum consuetudinem communiter in ordine approbatam et hactenus observatam, et super hoc nulla alia licencia expectetur.

Item. Ordinamus, quod priores provinciales in singulis provinciis ordinent cum effectu, quod omnia privilegia ordinis sub bulla vel manu publica in conventibus saltem principalibus habeantur.

Item. Ordinamus et volumus, quod constitucio de depositis non recipiendis discrecius observetur.

Item. Volumus et ordinamus, quod in provinciis, in quibus est fratrum paucitas, priores provinciales et diffinitores provincialium capitulorum sequencium convenientem modum inveniant, per quem boni et utiles novicii ad ordinem recipi possint nec propter defectum vestium negligantur; et modum illum faciant in suis provinciis exacta diligencia observari; et quod recepti devocius informentur.

Item. Inhibemus districte prioribus provincialibus et eorum vicariis, ut in conventibus, in quibus priorum electiones imminent faciende, mutaciones vel assignaciones fratrum facere non presumant.

Item. Ordinacionem alias factam de magistris studencium in studiis generalibus et inhibicionem de causis non assumendis contra prelatos, renovamus et volumus arctius observari (1).

---

2) per — prosequatur *ante* se *om.* A2. — 3) prosequatur] consequatur F. — 14) hactenus *om.* E. — 15) eis] eisdem F. — 16) Parisiensibus] Parisius F. — ordinarie *om.* E. — 20) singulis] suis *add.* F. — 24) discrecius] districtius F. — 27) convenientem *om.* E. — 28) ad ordinem *om.* E. — 33) vel] et E. — 36) renovamus] innovamus F. — arctius] districtius F.

---

(1) Cf. supra pag. 80 l. 34 sqq.; et pag. 63 l. 1 sqq.

Item. Revocamus omnes exempciones et generales licencias concessas per provinciales vel eorum vicarios fratribus quibuscumque, magistris in theologia et fratribus, qui fuerunt priores provinciales vel lectores in studiis generalibus vel diffinitores capitulorum generalium dumtaxat exceptis. Ipsos autem priores provinciales et eorum vicarios admonemus, ne de cetero sint faciles ad huiusmodi gracias concedendas. Caveant fratres, ne ad Romanam curiam pro quocumque negocio vadant, cum super hoc extet preceptum reverendi patris magistri ordinis nullatenus revocatum. Concedimus tamen prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod pro negociis suarum provinciarum ad eamdem curiam possint mittere duos fratres.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Tholosane provincie, Anglie, provincie regni Sicilie et Grecie.

Item. Priorem conventualem Tolentinum.

Item. Absolvimus in penam priorem Nove civitatis de provincia Theutonie, quia irreverenter se habuit ad diffinitorem Ungarie venientem ad capitulum generale.

Volumus autem et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales absoluti in eisdem provinciis et conventibus ad eadem officia isto anno nullatenus assumantur.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre domino nostro domino Iohanne summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·iii· missas. Et ordinamus, quod quilibet conventus provideat de uno hebdomadario singulis septimanis, qui pro eodem celebrare singulis diebus teneatur.

Item. Pro domina Clemencia regina Francie quil. sacerdos ·i· mis.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis domino Hostiensi ac Velletrensi episcopo (1), domino Nicholao tituli s. Eusebii (2) ac domino Wilhelmo Petri tit. s. Cecilie, presbyteris cardinalibus (3), quilibet sacerdos ·iii· missas.

---

1) generales licencias concessas] gracias factas E. — licencias] literas F. — 2) vel] et F. — 5) et eorum vicarios *om.* E.— 6) caveant] eciam *add.* F. — 7) super] propter A2. — 8) extet] est E. — reverendi patris *om.* E. — 9) concedimus — fratres *om.* A2. — 14) provincie *om.* G. — 16) absolvimus *om.* EF. — in penam *om.* E. — 17) Ungarie] isto anno *add.* G. — 20) conventuales] huiusmodi *add.* F. — 21) assumantur] resumantur A2F. — 22) ista — dicatur *om.* B; ista — dicant *om.* F. — 23) domino *ante* nostro *om.* A2 — 27) item — missam *om.* A2 BG. — item — conventus III *om.* E. — 30) Petri *om.* G. — 31) missas] et quilibet conventus III missas unam de beata virgine, aliam de beato Dominico, terciam de beato Petro martyre *add.* G.

---

(1) De fr. Nicolao cf. supra pag. 94 l. 20.
(2) De fr. Nicolao cf. ibid.
(3) De fr. Guilelmo cf. ibid. l. 21.

Item. Pro dominis patriarchis ac dominis archiepiscopis Bituricensi (1) etc

Summa missarum pro vivis ·xlvi· et quilibet conventus tres.

Suffragia pro mortuis.

Pro domino Ludovico rege Francie quilibet sacerdos ·iii· missas.

Summa missarum pro defunctis ·xii·

Denunciamus fratribus universis, quod tenentur ad suffragia pro fratre Petro de Prato, priore sancte Marie supra Minervam de Roma et socio prioris provincialis Romane provincie, qui mortuus est in via de capitulo anni preteriti redeundo.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos ·vii· psalmos penitencie cum letania, et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania in adventu et quadragesima et profestis diebus intus et extra more solito dicatur.

Ordinamus, quod missa de beata virgine et de beato Dominico in quolibet conventu in aliqua vacante feria singulis septimanis, et de beato Petro martyre ad minus semel infra quindenam sollempniter celebretur.

Studio Neapolitano assignamus fr. Iohannem Neapolitanum magistrum in theologia (2) pro lectore, et committimus sibi, quod hoc anno eidem studio provideat de cursore.

Item. Ordinamus et volumus, quod bacalareus, qui primus incipiet in theologia Parisius, incipiat sub fr. Petro de Palude magistro in theologia (3), et illi dictus fr. Petrus in cathedra cedere teneatur.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fr. Raymundum Bequini (4) de provincia Tholosana.

Item. Committimus prioribus provincialibus vel eorum vicariis et diffinitori capitulorum provincialium huius anni in provinciis, in quibus sunt studia generalia, quod eisdem studiis provideant de cursoribus isto anno.

---

1) item — etc. *om.* G. — 4) suffragia — missas *om.* A2. — mortuis] defunctis E. — 5) pro — XII] pro fratre nostro Francischo condam cancellario Parisiensi quilibet sacerdos ·I· missam etc. E — Francie] et Navarre *add.* G. — 7) denunciamus — redeundo *om.* G. — 8) de Prato *om.* E. — sancte — Roma] Minerve E. — 9) mortuus] defunctus E. — 10) anni preteriti redeundo] generali rediens E. — 11) pro — dicant *om.* E. — 14) adventu et] conventu in A2. — et] in *ante* profestis E. — 15) dicatur] dicant fratres F; item *add.* FG. — 17) aliqua] qualibet A2. — 19) Neapolitanum] de Neapoli G. — 21) eidem studio] sibi E. — 23) magistro in theologia *om.* E. — 25) isto anno *om.* F. — 27) item *om.* E. — vel] et EF. — 28) huius anni *om.* E; huius] istius F. — 29) cursoribus] cursore E.

---

(1) Raynaldo de la Porte; cf. Eubel l. c. pag. 142.

(2) De fr. Ioanne Neapolitano cf. SSOP. I. pag. 567; Denifle. *Chartularium* II. pagg. 203, 275.

(3) De fr. Petro de Palude cf. SSOP. I. pag. 603; Denifle l. c. indicem.

(4) De fr. Raymundo Bequini cf. SSOP. I. pag. 561; Denifle l.c. pag. 204.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Viennam in provincia Theutonie et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam ·vi·[am] vigiliam pentecostes immediate precedentem. Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel loco capituli cum intencione veniendi ad capitulum appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis et eorum socii in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipiantur, caritative tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

Notum facimus fratribus universis, quod venerabilis pater magister ordinis obtinuit a sanctissimo patre domino Iohanne summo pontifice privilegia infrascripta.

Innovavit mare magnum domini Benedicti.

Item. Concessit, quod magister ordinis possit, ubi voluerit recipere ·xx· conventus.

Item. Quod possit dispensare cum trecentis fratribus defectum natalium pacientibus, eciamsi parentes habuerint infra sacros.

Item. Concessit, quod nullus nisi solus magister ordinis et provinciales et non vicarii electis in episcopos vel supra dare valeant licenciam acceptandi.

Item. Quod nullus nisi solus papa possit dare licenciam acceptandi episcopatum, non habentem subditum christianum populum atque clerum.

Item. Concessit, quod nullus de ordine fratrem licenciare vel expellere valeat, nisi solus magister ordinis et provinciales.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXIX.

---

2) et bacalareis *om.* A2. — 9) nullus — precedentem *om.* E. — habeat] habuerint F. — 13) sint... privati] sit... privatus F. — 14) volumus — procurentur *om.* EG. — 19) sanctissimo patre domino *om.* E. — 25) natalium] in natalibus F. — eciamsi] etsi F. — 26) solus *om.* F.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD LUGDUNUM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XVIII°·

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de itinerantibus post illud, ubi dicitur: quod per magistrum ordinis vel provincialem suum ad huiusmodi suffragia restitui mereantur, addatur: precipimus autem in virtute sancte obediencie et spiritus sancti prioribus provincialibus, conventualibus ac eorum vicariis, quod nulli fratri electo seu postulato extra ordinem ad quamcumque dignitatem, personatum, gradum infra dignitatem episcopalem, licenciam concedant huiusmodi electiones seu postulaciones acceptandi vel alio modo quolibet prosequendi. Eodem precepto prohibentes, ne frater aliquis propter licenciam sibi datam contra prohibicionem huiusmodi premissas electiones seu postulaciones ullatenus per se vel per alium prosequatur. Quicumque autem in premissis secus fecerit, incurrat excommunicacionis sentenciam ipso facto, quam sentenciam ferimus presenti statuto; et nichilominus omnibus graciis ordinis sit privatus, ad quas restitui non valeat nisi per magistrum vel capitulum generale. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt inchoaciones.

Cum propter distanciam provincie Terre sancte et difficultatem ad magistrum ordinis accedendi dicta provincia sepe longo lempore careat priore provinciali non sine dampno et dispendio provincie memorate, inchoamus hanc: in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur, quod si in die statuta non elegerint vel postulaverint, qui debent eligere, potestas providendi ad magistrum ordinis transferatur, addatur sic: si tamen provincialem Terre sancte mori vel amoveri contigerit in capitulo generali, antequam ad suam provinciam pervenerit, vel electum seu postulatum contigerit non confirmari, seu confirmatum mori vel

2) In hoc capitulo electus est frater Herveus a provinciali Franciae: qui fuit nobilior clericus totius mundi temporibus suis: electus unanimiter. Qui post nimios labores eundo ad curiam Romanam obiit Narbonae cum maxima devotione post magnam infirmitatem spiritum deo reddidit praesentibus multis magnis magistris *add.* H. — In hoc capitulo fuit electus in magistrum ordinis reverendus pater frater Herveus de provincia Francie magister in theologia summus, assumpto ante festum Michaelis reverendo patre fratre Berengario magistro per dominum papam Iohannem XXII ad archiepiscopatum Compostelanum *add. in marg.* E. — hec] ista EF. — 3) apud Lugdunum] Lugduni A2. — 5) iste sunt confirmaciones *om.* A2. — 6) post illud *om.* A2. — 11) personatum] vel *add.* A2. — 18) presenti] precedenti BE. — 19) vel] per *add.* F. — 22) distanciam] nimiam *add.* A2. — provincie *om.* A2 EF. — 23) sepe *om.* A2. — 26) statuta] tractatus A2. — 29) generali] aut *add.* F. — 30) seu] aut *post* confirmari E.

absolvi, antequam ad suam provinciam pervenerit, in hiis casibus electio provincialis ad prefatam provinciam non pertinet, sed ei de priore provinciali magister ordinis provideat vel capitulum generale.

Item. Ut gloriosi martyris beati Petri reverencia populorum cordibus arcius imprimatur, inchoamus hanc, ut in matutinis et vesperis post memoriam de beato Dominico patre nostro fiat memoria de eodem; de antiphonis autem et versiculis magister ordinis usque ad sequens capitulum studeat providere. Medio autem tempore fiat memoria de eodem, modo quo infra octavas eiusdem fieri consuevit.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Volumus et ordinamus, quod cum sanctissimus pater et dominus summus pontifex ad presens capitulum literas direxerit graciosas (1), nos ad multa salutaria et ordini necessaria dulciter exhortando, predicte litere eiusdem domini in singulis conventibus simul cum istis ordinacionibus legantur publice fratribus, ut est moris, et contenta in eisdem literis diligenter observentur a fratribus universis, specialiter de reverencia ad prelatos et cavenda eorum offensa.

Item. Cum per novellas constituciones editas in concilio Viennensi ac eciam post et ante per bone memorie dominum papam Clementem multe pene graves contra religiosos in certis casibus delinquentes posite sint et inflicte, monemus universos ordinis nostri fratres et eis districtius imponimus, ut easdem constituciones, quantum ad ipsos pertinet, diligenter observent et caveant, ne in penas incidant memoratas. Quod si aliqui fratres in predictis inventi fuerint transgressores, taliter a suis prelatis puniantur, quod sint ceteris in exemplum, quia ex hoc speramus, nos per dominum summum pontificem in eisdem cicius relevari.

Item. Cum ex eo quod priores et eorum loca tenentes ac fratres ceteri a sequela communitatis se retrahunt, multi conventus in diversis provinciis tam in spiritualibus quam eciam in temporalibus sint quam plurimum destituti, iniungimus prioribus universis, ut a choro et a refectorio se notabiliter non absentent nisi ex causa racionabili et urgente. Et hoc idem faciant a suis subditis inviolabiliter observari. Quod si secus fecerint, per provinciales vel eorum vicarios in penam a suis officiis absolvantur.

5) et] ac A2. — et] in *add.* EF. — 6) patre nostro *om.* F. — 7) autem *om.* G. — 9) octavas] octavam F. — eiusdem] eius A2. — 11) et] ac *post* pater A2. — dominus] dominus *add.* G. — 14) eiusdem domini *om.* A2. — simul *om.* A2. — 15) fratribus *om.* EF. — 16) diligenter] diligencius A2 G. — 18) novellas] nonnullas F. — editas *om.* A2. — 19) ac — ante *om.* A2. — 21) et inflicte *om.* F. — 22) easdem] eas A2. — constituciones] tantum *add.* E. — 27) ex eo quod *om.* A2. — 28) communitatis] notabiliter *add.* A2. — retrahunt] absentent A2; et ex hoc *add.* A2. — 29) eciam *om.* A2. — in *om.* G. — quam *om.* A2 EFG. — 30) universis] et eorum vicariis *add.* A2.

(1) Cf. BO. II. pag. 141 n. XVI.

Item. Cum quasi ubique communitas pereat, propter quod de communi non potest fratribus in suis necessitatibus provideri, quod sine magna iactura ordinis esse non potest, districte iniungimus prioribus provincialibus ac diffinitoribus capitulorum provincialium, quod ipsi contra istam pestem adinveniant remedium opportunum et illud ad sequens generale capitulum deferant vel transmittant.

Item. Cum intellexerimus, quosdam fratres magis de custodia secularium quam ordinis confidentes pecuniam, libros, iocalia apud eosdem deponere sine suorum licencia prelatorum, volumus et ordinamus, quod omnes illi, qui infra mensem post noticiam presentis statuti de reducendo ad ordinem premissa non facient posse suum, premissis depositis penitus sint privati; que eorundem fratrum conventibus assignamus, et nichilominus cum de hoc convicti fuerint, tanquam proprietarii puniantur. Quam penam volumus similiter incurrere omnes, qui huiusmodi deposiciones facient in futurum.

Item. Cum apostasia culpam non minuat, sed augmentet, et pro quibusdam criminibus fratri committenti certa pena taxetur et aliquando circumscripta omni apostasia debeatur custodia carceralis, volumus et ordinamus, quod si aliquis frater ante apostasiam aliquod tale crimen commiserit, de quo non satisfecerit, vel eciam in apostasie tempore, rediens eciam sponte ad ordinem carceri mancipetur.

Item. Cum aliqui fratres in confusionem ordinis et dampnacionem animarum suarum correctionem de eis vel de aliis faciendam vel iam factam impedire et gravamina inferri aliis fratribus per potenciam extra ordinis obedienciam constitutam procurent, volumus et ordinamus, quod quicumque talis inventus fuerit, pene culpe subiaceat gravioris et omnibus graciis ordinis sit privatus, ad quas restitui non valeat nisi per magistrum ordinis aut diffinitores capituli generalis.

Item. Cum non sine confusione ordinis quidam debita notabilia contrahant, que nolunt solvere vel non possunt, volentes, ut per capcionem et vendicionem omnium bonorum suorum a suis prioribus ad solvendum predicta debita compellantur; non potentes autem et sine licencia prelatorum suorum debita contrahentes huiusmodi pene gravioris culpe volumus subiacere; si vero de licencia suorum prelatorum huiusmodi debita contraxerint, priores provinciales et eorum vicarii compellant di-

---

1) propter] pro eo F. — 3) prioribus *om.* G. — 7) quosdam] quod quidam F. — 9) deponere] deponi faciant F. — 10) omnes *om.* A2. — 16) et *om.* A2. — 17) certa — aliquando *om.* A2 G. — 18) debeatur] certa *add.* F. — 20) satisfecerit] satisfecit G. — 21) eciam sponte *om.* A2. — 22) confusionem] sui *add.* A2. — 23) de *ante* aliis *om.* A2 EG. — 28) aut] vel A2; ac G. — 29) non] nunc F. — 30) ut *om.* BEG. — 31) vendicionem] vendicacionem F. — suorum *om.* G. — 33) huiusmodi *om.* E. — 34) vero *om.* A2. — de] sine F. — suorum *om.* A2.

ctos prelatos de suis appropriatis ad solvendum debita de eorumdem licencia sic contracta, et nichilominus a suis officiis absolvantur.

Item. Cum insufficiencia predicacionis officium et audiencie confessionum habencium venire faciat ordinem in contemptum et vergat in periculum animarum, volumus et ordinamus, quod constitucio de non exponendis insufficientibus ad officia memorata arctius observetur, et circa hoc provincialia capitula adinvenire studeant remedium speciale.

Item. De infamatoribus et relatoribus criminum ordinacio facta in capitulo Carcassonensi arctius observetur (1).

Item. Volumus et ordinamus, quod per totum ordinem fiat officium de corpore Christi feria ·v^{a}· infra octavas trinitatis, sicut in constitucionibus Viennensis concilii est statutum. De officio vero magister ordinis studeat providere.

Item. Gracias concessas de assignacione ad studia per venerabilem patrem dominum Berengarium, archiepiscopum Compostellanum, dum ordini preerat, approbat et confirmat reverendus pater magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, nisi huiusmodi assignati ob eorum demerita per suos provinciales de discretorum consilio eisdem graciis merito sint privandi.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis frater nostri ordinis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere sine ipsius magistri licencia speciali. Concedit tamen idem magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania in profestis diebus per totum annum dicatur cum versiculis et oracionibus consuetis.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et beato Dominico in quolibet conventu in aliqua vacante feria singulis septimanis, et de beato Petro martyre ad minus semel infra ·xv^{am}· solempniter celebretur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores: Aurelianensem, Bisuntinum, Rotomagensem,

---

1) dictos] huiusmodi A2; dictos prelatos] eos F. — 3) cum *om.* F. — officium] habencium *add.* A2. — audiencie] audiencia F. — 4) habencium] abutencium A2. — venire faciat ordinem] ordo veniat F. — 6) exponendis] componendis F — 9) facta in capitulo Carcassonensi] capituli Carcassonensis G. — 10) officium] totum duplex *add.* A2. — 12) Viennensis] Viennensibus E. — concilii *om.* E. — 17) de] communi *add.* A2. — 18) discretorum] diffinitorum G. — eisdem *om.* F. — 20) de — accedere *om.* E. — 23) ipsius] eiusdem FG. — 24) ordinis *om.* F. — prioribus *om.* F. — 26) valeant] possint F. — 31) ·XV^{am}·] ·XV· dies A2. — 32) iste — presentes extiterint *om.* A2. — iste — approbamus *om.* B. — 33) hos *om.* G. — Rotomagensem *om.* F.

---

(1) Cf. supra pag. 58 l. 20 sqq.

Senonensem, Cenomanensem, Dignensem, Valentinensem, Tullensem, Beluacensem, Blesensem, Ebroicensem, Gracianopolitanum, Nivernensem; et ordinamus, quod isti fratres non assumantur in hiisdem conventibus ad eadem officia hoc anno.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre nostro et domino domino Iohanne summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·iii· missas. Et volumus et ordinamus, quod quilibet conventus provideat de uno ebdomadario singulis septimanis, qui pro eodem celebrare diebus singulis teneatur etc.

Concedimus Romane provincie unum conventum ponendum in Terracina.

Item. Provincie Lombardie inferioris unum conventum ponendum in Fabriano.

Item. Provincie Ungarie unum conventum ponendum in Seghedino.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fr. Michaelem de Furno de provincia Francie (1).

Item. Quantum nostra interest, providemus de fr. Benedicto Cumano (2) de provincia Lombardie superioris, quod legat sentencias Parisius anno futuro, et ipsum pro hoc ex nunc assignamus eidem conventui.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Caturcum in provincia Tholosana et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc infra octavas ascensionis domini veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam ·vi^am^· vigiliam pentecostes inmediate precedentem.

---

1) Dignensem] Dinamensem E. — Valentinensem] Vallacensem E: Valenensem F. — 2) Beluacensem] Beluerariensem E: Belueridiensem F. — Blesensem] Lesensem E. — Ebroicensem] et Broicensem E. — Gracianopolitanum] Gronopolenesem F. — Nivernensem *om.* F. — 3) in hiisdem conventibus *om.* F. — 5) ista — etc. *om.* G. — ista — expedire *om* F. — 15) Seghedino] Segadino G. — 17) Furno] Fano A2F. — 19) de provincia] provincie G. — 26) assignamus *om.* B. — apud Caturcum] in Cathurco F. — 27) qui *om.* F. — 28) illuc] in dominica *add.* F; dominica *add.* G. — octavas] octavam F. — domini *om.* G. — 29) autem] et F.

---

(1) De fr. Michaele cf. SSOP. I. pag. 596; DENIFLE l. c. pp. 173, 218.

(2) De fr. Benedicto Cumano (de Assignano) cf. SSOP. I. pag. 595; DENIFLE l. c. indicem.

Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel loco capituli intencione veniendi ad capitulum appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis et socii eorum in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipiantur, caritative tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

Vult magister ordinis de consilio diffinitorum et assensu, quod ordinacio, que cavet, quod ille, qui legit sentencias anno precedenti, in sequenti sit magister studencium in studiis generalibus et solempnibus, inviolabiliter observetur.

Notum factum est omnibus, quod summus pontifex commisit singulis prioribus provincialibus ac eorum vicariis et singulis prioribus conventualibus vel eorum vicariis, quod in provinciis et conventibus suis fratres sibi subditos possint absolvere hac vice a sentencia excommunicacionis, si quam incurrerunt, extreme unctionis et eucharistie sacramenta ministrando, contra tenorem seu formam constitucionis novae domini Clementis pape capitulo de privilegiis et excessibus privilegiatorum religiosi (1) et dispensare cum eis, si sic ligati immiscendo se divinis, aliquam irregularitatis notam contraxerint. Potestas autem huiusmodi per sex duret septimanas, postquam ad eorum noticiam pervenerit, et in suis provinciis et conventibus presentes extiterint.

Iste sunt penitencie.

Cum in conventu Claromontensi in die tractatus scrutatores potentes ad scribendum quartum admiserint sine causa, imponimus eis, quod ieiunent tribus diebus in pane et aqua, omnibus fratribus in talem deordinacionem eisdem consencientibus similem penam imponentes.

Item. Cum fratres de conventu Pontensi in die tractatus sui in aliquem unum socium non convenerint, cum hoc non possit esse sine eorum culpa, volumus et ordinamus, quod tribus diebus in pane et aqua ieiunent.

Item. Quia fratres Iohannes Albus prior de Verdino (2) Pomenus et

---

2) intencione — capitulum *om.* A2 BE. — appropinquaverint... sint... privati] appropinquaverit... sit... privatus F. — 4) volumus] item volumus F. — 5) in *om.* F. — curialiter recipiantur *om.* F. — 6) tractentur] pertractentur F. — 7) vult] item vult F. — 11) notum — extiterint *om.* FG; notum — pontifex] noverint universi quod penitenciarius summus E. — 24) potentes] petentes A2B. — quartum *om.* F. — 25) aqua] et *add.* F. — fratribus] eiusdem conventus *add.* FG. — 26) eisdem *om.* F. — 31) quia] cum A2. — Albus] Asser F. — Albus] Birmiñ *add.* A2. — prior de Verdino *om.* A2. — Verdino] Ordino E: Viridineo F. — Pomenus] Pomerius GH.

---

(1) « Clementis — religiosi » intelligas: Clem. V. cap. I. *religiosi,* tit. VII. *De privilegiis et excessibus privilegiatorum.*

(2) Wertensis SSOP. I. pag. XIII.

Blasius lector de Lucmoviz ac fr. Elias lector de Hust, omnes de provincia Bohemie, ad presens capitulum generale accesserunt sine licencia, intendentes quamdam falsam et scandolosam infamiam suo provinciali nequissime impositam prosequi coram nobis, et ipsam dictam infamiam, licet in hoc non equaliter delinquentes, in isto capitulo et alibi contra ordinis constitucionem suum infamando prelatum pluribus retulerunt in scandalum et confusionem ordinis inauditam, quamvis nulla veritate suffulti, sicut nobis per rei evidenciam extitit manifestum, predictos fratres Iohannem, Blasium, Pomenum in modum, qui sequitur, duximus publice puniendos. Nos enim ipsos a suis officiis prioratus, lectoratus et predicacionis generalis absolvimus in hiis scriptis et privamus omni voce nisi in sua accusacione et de sua expellimus provincia, hiis non sine dispensacione magistri ordinis in futurum restituendis. Ipsis vero de provinciis et conventibus per magistrum ordinis volumus provideri eosque subdi penis aliis afflictivis disciplinarum et ieiuniorum, prout magistro ordinis videbitur expedire.

Dictum vero fratrem Eliam, quia ad capitulum venit sine licencia, omni voce privamus, et quia in hiis favit dictis fratribus, absolvimus eum ab officio lectoratus.

Item. Cum quidam fratres nostri de Ibernia contra suos prelatos quasi per conspiracionem seu maliciosam concordiam insurgentes vicario a provinciali Anglie dato resistere presumpserint ut rebelles et alteri vicario iuxta suum libitum adherere, unde plura scandala ordinis et fratrum intolerabilia gravamina sunt secuta; nos volentes secundum tenorem constitucionum nostrarum rebelliones huiusmodi, que de novo contra priores provinciales in diversis provinciis invalescunt a nostro ordine per penarum remedia propulsare, dictos fratres et vicarium a vicario provinciali dato resistentes decernimus ob premissa publice puniendos. Unde fratrem Henricum Glam Ibernicum coram nobis comparentem et nostra auctoritate diligenter examinatum atque convictum esse huiusmodi rebellionis complicem seu magis constitutorem primarium et actorem a tota provincia Anglie expellimus, decernentes, quod in tota vita sua extremum locum sui ordinis teneat nec vocem in capitulo nisi in sua accusacione solum habeat, nec in istis per quemcumque alium quam

---

1) Lucmoviz] Lucineris F; Lucromis G; Lucerini H.— ac fr. *om.* A2.— fr. *om.* F.— Hust] Ustu B; Hyos F. — 2) presens *om.* A2. — accesserunt] venerint A2. — sine licencia *om.* G. — 4) ipsam] ipsi G. — 5) non equaliter] inequaliter A2 — 8) manifestum] manifeste F. — 10) prioratus] et *add.* G. — 11 et *post* lectoratus *om.* A2. — 15) afflictivis] flictivis G. — 17) venit] venerit F. — 22) Anglie] eis *add.* G. — et *om.* F. — 23) adherere] adherendo F. — ordinis — gravamina *om.* F. — 24) secundum] iuxta F. — 25) constitucionum nostrarum] constitucionis nostre F. — 27) per penarum remedia] pro remedio F. — vicario *om.* F. — 29) unde] et F. — Glam] Sliap A2; Flaci F; Plaep G. — 30) diligenter] diligencius F. — 31) seu et eciam F. — constitutorem] concitatorem FG. — 32) quod] ut G. — tota] omni FG. — 33) ordinis *om.* E. — teneat] optineat F. — 34) solum *om.* G. — quam] per *add.* F.

magistrum dispensetur. Et idem magister ex nunc sibi provideat de provincia et conventu.

Insuper ordinamus et volumus, quod dictus provincialis Anglie in Iberniam celeriter se conferat ac vicarium unum vel plures destinans seu deputans vice sui ad inquirendum de premissis quotquot et prout in hiis inventi fuerint deliquisse, taliter puniant, quod maneat ceteris in exemplum et pax fratribus et conventibus Ibernie restituatur ad plenum, eorum nomina et excessus nichilominus magistro intimando.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXX.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD CATURCUM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XIX°·

Iste sunt inchoaciones.

Cum facilitas venie incentivum prebeat delinquenti, inchoamus hanc in capitulo de apostatis, ubi dicitur: nec ad aliquem tractatum eorum, que mittenda sunt ad generale vel provinciale capitulum, admittatur, dicatur sic: et quicumque fuerit convictus vel confessatus iudicialiter de lapsu carnis vel de furto aut carceri mancipatus vel apostataverit aliquo crimine perpetrato, in perpetuum sit omni voce privatus nec possit habere officium prioratus, supprioratus vel lectoratus, nec possit ad predicta nec ad aliquod predictorum restitui nisi per magistrum ordinis et capitulum generale; et ordinamus, quod predicta medio tempore inviolabiliter observentur.

Item. Cum propter distanciam provincie Grecie et graves difficultates ad magistrum ordinis accedendi dicta provincia priore provinciali longo tempore frequenter careat non sine dampno et periculoso dispendio provincie memorate, inchoamus hanc: in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: quod si die statuta non elegerint vel postulaverint, qui debent eligere, potestas providendi ad magistrum ordinis transferatur, addatur sic: si tamen provincialem provincie Grecie mori vel amoveri contigerit in capitulo generali, aut antequam ad suam provinciam pervenerit, vel electum seu postulatum non confirmari contigerit seu confirmatum mori vel absolvi, antequam ad suam provinciam per-

---

3) dictus] *om.* A2: prior *add.* F. — 4) in Iberniam *om.* G.— celeriter] velociter F. — conferat] conferens A2 G: conficiens F. — ac] aut A2 FG. — unum *om.* F. — 6) in *om.* F. — taliter] totaliter F. — 10) patris — sancti] dei E. — 11) hec] ista E. — 14) cum — delinquenti *om.* FH. — 16) vel] ad *add.* F. — admittatur] admittantur deleatur totum et E. — 17) dicatur] addatur A2FG. — sic *om.* G. — confessatus] confessus F. — 21) ad predicta nec *om.* E. — nec] vel G. — 23) inviolabiliter *om.* B. — 24) et *om.* F. — 31) aut] et G.

venerit, in hiis casibus prioris provincialis electio ad prefatam provinciam non pertineat, sed ei de priore provinciali magister ordinis provideat vel capitulum generale.

Iste sunt approbaciones.

Ut gloriosi martyris beati Petri reverencia populorum cordibus arctius imprimatur, approbamus hanc, ut in matutinis et vesperis post memoriam de beato Dominico patre nostro fiat memoria de eodem.

Item. Cum propter distanciam Terre sancte et difficultatem ad magistrum ordinis accedendi dicta provincia sepe careat priore provinciali longo tempore non sine dampno et dispendio provincie memorate, approbamus hanc: in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: quod si die statuta non elegerint vel postulaverint, qui debent eligere, potestas providendi ad magistrum ordinis transferatur, addatur sic: si tamen provincialem Terre sancte mori vel amoveri contigerit in capitulo generali, aut antequam ad suam provinciam pervenerit, vel electum vel postulatum non confirmari contigerit, seu confirmatum mori vel absolvi, antequam ad suam provinciam pervenerit, in hiis casibus electio provincialis ad prefatam provinciam non pertineat, sed ei de priore provinciali magister ordinis provideat vel capitulum generale.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Ad obviandum periculosis scandalis aliquorum, volumus et ordinamus, quod quicumque procuraverint promociones pro se vel pro aliis per quascumque personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas vel correctiones de se vel de aliis faciendas impedire studuerint per easdem, omnibus graciis ordinis sint privati nec restitui possint ad ipsas vel ad aliquam predictarum nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Item. Ut Parisiense studium per fratres nostri ordinis efficacius honoretur, volumus et ordinamus, quod magistri et baccelarei in predicto studio commorantes, annis singulis per preceptum magistri ordinis cogantur districte, ut ipsi solum deum habentes pre oculis, exponant et scribant per literas speciales capitulo generali, quem iudicant esse de provincia Francie pro legendis sentenciis apciorem.

Item. Volumus, quod ordinaciones precedentis capituli Lugdunensis, de non habendis pecuniis apud seculares quoscumque, de non contrahendis debitis et de apostatis iuxta ipsarum tenorem inviolabiliter observentur (1).

2) ei *om.* B. — priore *om.* F. — 5) Petri *om.* B. — 15) pervenerit *om.* A2. — vel — pervenerit *om.* F. — 17) hiis *om.* A2. — 20) admoniciones et *om.* F. — 22) procuraverint] procuraret F; procuret G. — 24) impedire *om.* F. — 28) quod] ut G. — 30) cogantur] corrigantur F. — exponant] deponant A2EG. — et *om.* F. — 31) scribant] describant EF. — 33) volumus] et ordinamus *add.* A2.

(1) Cf. supra pag. 108 l. 7 sqq.

Item. Cum ex revelacione criminum visorum vel auditorum indebitis vel incautis fratrum infamia contra caritatis ordinem sequatur multociens et turbacionis ac scandali multiplex materia ministretur, volumus et districte iniungimus, quod quicumque crimen aliquod de predictis, de ordine vel de fratribus publice non punitis, ex proposito persone, ad quam correctio non pertinet de predictis vel que non creditur probabiliter posse prodesse, ausus fuerit revelare, per priorem provincialem vel provinciale capitulum, postquam legitime constiterit de discretorum fratrum consilio pena criminoso debita puniatur.

Item. Ad compescendum inutiles fratrum discursus et sciencie fructum sollicicius procurandum, volumus et ordinamus, quod quicumque frater ad scholas lectoris non iverit, ingressu civitatis per triduum sit privatus et nichilominus in aqua abstineat illa die, nisi ita urgens et necessaria causa affuerit, propter quam prior et lector dictum fratrem habuerint excusatum, de quo eorum consciencias oneramus.

Item. Volumus et ordinamus, quod solum lectores principales habeant socios eisdem per priores conventuum assignatos.

Item. Cum ex insolenciis fratrum ad generalia studia missorum vel mittendorum, frequenter ordini gravia scandala sint exorta, volumus et ordinamus, quod nullus provincialis fratres brigosos vel notatos in vita ad studia predicta transmittat; si quis vero contrarium fecerit et scienter, per magistrum ordinis acrius puniatur.

Item. Cum certa loca pro fratrum refectione per ordinem sint statuta, volumus et ordinamus, quod nullus frater, nisi actu esset decumbens vel qui alias per conventum ire non posset, extra loca predicta comedere audeat sub pretextu cuiuscumque gracie eidem concesse, nec in hoc possit prior provincialis quicumque preter magistrum ordinis cum aliquo dispensare. Quod si inveniretur aliquis predicte ordinacionis transgressor, per priorem provincialem vel eius vicarium taliter puniatur, quod ei cedat ad penam et aliis in exemplum. Revocat autem magister ordinis omnem graciam per se vel predecessores suos in hoc casu cuicumque concessam.

Item. Ad subtrahendum fratribus materiam evagandi, volumus et ordinamus, quod quicumque ad magistrum ordinis sine sui prioris provincialis vel ad priorem provincialem sine sui prioris conventualis licencia

1) revelacione] revelacionibus E. — 2) vel] et G. — multociens] aliquociens F. — 3) ac] et F. — 4) districte] discrete F. — 6) posse] non *add.* F. — 7) provincialem *om.* F. — 12) civitatis] ville EF. — 14) habuerint] habentem F. — 16) solum] soli A2 F. — 17) conventuum] conventuales F. — 19) vel mittendorum *om.* E. — vel] et A2 G. — exorta] exacta F. — 21) vero *om.* B. — et *om.* E. — 24) esset *om.* E. — 25) qui] quis A2. — extra *om.* F. — 28) dispensare] item *add.* F. — aliquis *om.* E. — 29) ei — aliis] sit ceteris F. — 30) in *om.* A2. — 31) cuicumque] fratri *add.* A2 EG. — 35) provincialis — conventualis *om.* G. — provincialis *om.* A2 EF.

speciali ire presumpserit, per triennium sit voce privatus et nichilominus in primo conventu, ad quem dictum fratrem contigerit declinare, per magistrum seu provincialem ex integro circuletur. Licenciandi ad magistrum prioribus conventualibus et eorum vicariis omnibus subtrahimus potestatem.

Item. Cum aliqui fratres graciis eisdem concessis per magistrum ordinis vel priores provinciales eorum non sine scandalo fratrum multipliciter abutantur, de voluntate et assensu diffinitorum revocat magister ordinis omnes gracias concessas fratribus quibuscumque sive per se ipsum sive per magistros ordinis predecessores suos sive per priores provinciales quoscumque, graciis illorum, qui fuerunt provinciales vel sunt magistri in theologia et confessores regum, dumtaxat exceptis, et iniungit districte idem magister ordinis de predictorum consilio et assensu prioribus provincialibus universis et eorum vicariis, quod tales gracias de cetero non concedant.

Item. Cum ex eo quod priores et eorum loca tenentes et fratres ceteri a sequela communitatis se retrahant, multi conventus in diversis provinciis tam in spiritualibus quam in temporalibus sint plurimum destituti, iniungimus prioribus universis, ut a choro et refectorio se notabiliter non absentent nisi ex causa racionabili et urgente, et hoc idem faciant a suis subditis inviolabiliter observari. Quod si secus fecerint, per priores provinciales seu eorum vicarios in penam a suis officiis irremediabiliter absolvantur.

Item. Cum secundum ordinem caritatis communia propriis sint merito preponenda, districte iniungimus fratribus universis, quod ipsi in questibus, testamentis et ceteris casibus, quandocumque fuerit opportunum, procurent elemosynas et legata pro communi conventuum utilitate, non privata utilitate persone. Qui vero scienter et ex proposito dari persone private, sibi vel alii procuraverint, quod communitati alias secundum eorum consciencias erat dandum, infra mensem tantumdem conventui refundere teneantur, alioquin tanquam proprietarii habeantur, nec prior super hoc, excepto mortis articulo, cum ipsis valeat dispensare. Quod ut melius observetur, principalis in questo teneatur socio revelare, quidquid pro conventu datum fuerit vel quesitum.

Item. Volumus et ordinamus, quod quelibet provincia procuratori ordinis in curia quinque florenos de Florencia mittere teneatur.

1) triennium] biennium F. — 2) in primo conventu] ad primum conventum EG. — 4) magistrum] ordinis *add.* F. — omnibus] omnem E. — 10) sive *post* suos *om.* F. — 12) et *post* exceptis *om.* F. — iniungit] iniunxit A2B. — 13) consilio] consciencia B. — 16) item — revocat et annullat *om.* A2. — ex *om.* F. — 17) a sequela *om.* E. — 21) quod — absolvantur *om.* E. — 22) priores *om.* F. — in penam *om.* F. — 24) communia] omnia F. — merito] multa F. — 30) tantumdem] tantum G. — conventui *om.* F. — 35) item — annullat *om.* E.

Significamus omnibus, quod gracias sororibus nostris a prelatis omnibus quibuscumque concessas magister de diffinitorum consilio revocat et annullat.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod in capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: qui vices provincialis in omnibus obtinebit, immediate sequatur: donec prior eiusdem provincie sit electus et confirmatus, vel magister ordinis in predictis casibus aliter ordinaverit, et ipse provincialis vel ille, cui vices suas commiserit, presens in provincia extiterit. Et tunc continuetur sic: si vero prior illius domus, ubi provinciale capitulum fuerit celebrandum, in provincia presens non extiterit vel ex quacumque causa capitulo provinciali non interfuerit, simili modo etc., ut sequuntur.

Item hanc: in capitulo de electione prioris conventualis, ubi dicitur: vota eligencium recipiantur per subpriorem vel eius vicarium in absencia subprioris, declaramus, quod vicarius datus per tres antiquiores de conventu vota eligencium potest recipere, si domus non habeat subpriorem vel vicarium subprioris.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne frater aliquis nostri ordinis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali. Concedit tamen idem magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania in profestis diebus per totum annum dicatur cum versiculis et oracionibus consuetis.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et beato Dominico in aliqua vacante feria singulis septimanis et de beato Petro martyre ad minus semel infra quindenam in quolibet conventu sollempniter celebretur.

Notum facimus fratribus universis, quod fr. Bernardus de Molendino, prior provincie Tholosane, in loco capituli anni preteriti, antequam ad suam provinciam rediisset, migravit ad dominum; unde ei fratres ad statuta suffragia obligantur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialem provincie Lombardie superioris.

---

2) omnibus] ordinis FG. — magister] ordinis *add.* F. — 6) vices] prioris *add.* F. — obtinebit] obtineat F. — 8) ordinis *om.* F. — aliter] alicui F. — ipse provincialis] ipso provinciali F. — 9) in provincia *om.* E. — extiterit] constiterit F. — 10) si *om.* A2. — 11) non *om.* A2 G. — vel] et A2 EFG. — 12) capitulo provinciali *om.* F. — 13) conventualis] provincialis E. — 20) aut] et E. — 31) notum — obligantur *om.* A2BF; notum — gracias amen *om.* E. — facimus fratribus] sit G. — 35) iste — speciali *om.* G.

Item. Priores conventuales s. Gaudencii, s. Geroncii, Petragoricensem et Albiensem.

Item. Absolvimus in penam priorem s. Severi, quia assignata iam die ad faciendum tractatum socii suum suppriorem absolvit, et quia coegit plures fratres sibi subditos iurare ad sancta dei evangelia, quod dicerent sibi, si vellent inducti per aliquem ad priorem provincialem accedere ad dicendum aliquid contra ipsum. Et ordinamus, quod predicti fratres in eisdem provincia et conventibus hoc anno ad eadem officia nullatenus assumantur.

Ponimus vicarium generalem in provincia superioris Lombardie fratrem Iacobum de Gluciano, quousque prior provincialis in dicta provincia sit electus et confirmatus et presens fuerit in eadem; et volumus, quod dictus vicarius locum provincialis capituli in eadem provincia celebrandi nullo modo mutare possit, sine magistri ordinis licencia speciali.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Benedictum de Cumis (1) de provincia Lombardie superioris. Item, quantum nostra interest, providemus de fratre Ugone de Valsemain (2) de provincia Francie, quod legat sentencias Parisius anno futuro.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris, baccalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Rothomagum in provincia Francie et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam sextam pentecostes immediate vigiliam precedentem. Quicumque vero ad capitulum sine licencia venerint vel loco capituli cum intencione veniendi appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis et socii eorum in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipiantur, caritative tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

---

1) Geroncii] Georgii BEF; Gerencii F. — 2) Albiensem] Albiacensem F. — 3) quia] qui A2BE. — 4) socii *om.* A2F. — 5) sibi — predicti *om.* F. — subditos] subiectos A2. — 11) Gluciano] Glusiano A2. — 15) assignamus — gracias amen *om.* F. — assignamus — procurentur *om.* A2. — 17) Valsemain] Valsemen G; Vaczannis A2. — 20) ut] quod G. — magistris] et *add.* G.

---

(1) De fr. Benedicto cf. supra pag. 110 l. 18.

(2) De fr. Hugone de Vaussemain cf. SSOP. I. pag. 580, Denifle *Chartularium* ind.; MOPH. II. pag. 111; MOPH. VII. pag. 23 l. 1 sqq.

Concedimus provincie Hispanie unum conventum ponendum apud Lucronium (1).

Item provincie Lombardie inferioris unum conventum ponendum in Veneciis in domo nova sancti Dominici.

Item. Provincie Provincie unum conventum ponendum in Barchinona.

Vult magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod ordinacio, que cavet, quod ille, qui legit sentencias anno precedenti, in sequenti sit magister studencium in studiis generalibus et sollempnibus, inviolabiliter observetur.

Expliciunt acta capituli generalis apud Caturcum celebrati anno domini ·m°· ccc°· xix°· Deo gracias. Amen.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cfr. app. n. LXXI.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD ROTHOMAGUM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XX°·

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales: Ungarie et ponimus ibi vicarium fratrem Petrum Custodem, donec predicta provincia habeat priorem provincialem confirmatum presentem, vel vicarium ab eodem datum; Aragonie, provincie Provincie, quia factus est sororum de Aquis prior de voluntate domini pape.

Et conventuales Belvariensem, sancti Iohannis, Poliniacensem, Aurelianensem, Carnotensem, Belvacensem, Leodiensem, Ambianensem, Senonensem, Pruvinensem, Verdunensem, Metensem, Cenomanensem, Claramontenensem; et volumus, quod predicti in eisdem provinciis et conventibus, isto anno, ad ea officia non reasumantur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: quod ad

10] expliciunt — amen *om.* A2. — 13] in — sunt *om.* G. — patris — sancti] dei E. — 16] iste] hec A2 F. — iste reasumantur *om.* BEG. — 18] Custodem] Custodiser F. — donec predicta] dicta F. — 20] de] *ante* Aquis in F. — 22] Belvariensem] Nariensem A2; Belvariensem — Poliniacensem *om.* F. — 23] Carnotensem, Belvacensem *om.* F. — Belvacensem] Balvascensem A2. — Ambianensem — Ambiensem A2. — 24] Senonensem — et *om.* F. — Pruvinensem] Prumianensem A2. — 26] non *om.* A2. — non reasumantur] reservantur F. — 27] iste] hee A2; iste sunt approbaciones *om.* — 28] quod] nec FF.

(1) Cum hoc anno iterum provinciae Hispaniae concedatur, ut conventum Lucronii (Logroño) fundare possit, eadem concessio data Palentiae anno 1291 (Cf. MOPH. III p. 263), suum non sortita esse videtur effectum. Unde corrigas, quae l. c. nota I. scripsi de conventu Lucroniensi.

aliquem tractatum eorum, que mittenda sunt ad capitulum generale vel provinciale, addatur: et quicumque convictus fuerit vel confessus, iudicialiter de lapsu carnis vel de furto aut carceri mancipatus vel apostataverit aliquo crimine perpetrato, in perpetuum sit omni voce privatus nec possit habere officium prioratus vel supprioratus vel lectoratus, nec possit ad predicta vel ad aliquod predictorum restitui nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Et hec habet duo capitula. Et ordinamus, quod predicta medio tempore inviolabiliter observentur.

Declaramus autem, quod carceri mancipati intelliguntur, qui per diffinitivam sentenciam sunt carceri deputati.

Confirmamus hanc: Ut gloriosi martyris beati Petri reverencia populorum cordibus arctius imprimatur, volumus, quod in matutinis et vesperis post memoriam de beato Dominico, patre nostro, fiat memoria de eodem. Et hec habet tria capitula. Et signetur in ordinariis loco suo. Fiat autem memoria de beato Petro et officium de corpore Christi, donec magister ordinaverit de eisdem.

Hee sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum in constitucionibus nostris caveatur sub privacione vocis, quod nullus frater per se vel per alium ordinacionem factam de se vel de alio procuret revocari per personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam, volumus et districte iniungimus prioribus provincialibus ac conventualibus vel eorum vicariis et visitatoribus, quod quicumque contra predictam constitucionem fecerint, denuncient eos voce privatos, volentes et mandantes eisdem, quod super hoc diligenter inquirant ac sub precepto dictam penam faciant inviolabiliter observari.

Insuper, volumus et ordinamus, quod quicumque correctionem de se vel de alio factam vel fiendam per easdem personas procuraverit impedire, cum hoc iudicialiter constiterit, per priorem provincialem vel diffinitores capituli provincialis pena corrigendo debita puniatur.

Item ordinamus, quod nullus fratrum recipiat vicariam generalem, visitacionem, correctiones quascumque, penitenciariam vel officium inquisicionis cum execucione a quocumque prelato extra obedienciam nostri ordinis constituto sine licencia magistri ordinis vel prioris provin-

2) addatur] sic et dicatur sic *add.* F. — confessus] confessatus A2 E. — 3) furto] fractu F. — 5) vel *ante* supprioratus *om.* A2 EF. — 6) possit *om.* A2. — vel] nec E; *om.* F. — ad *post* vel *om.* A2. — 7) vel] et EFG. — et — capitula *om.* F. — 8) ordinamus] declaramus F. — predicta] ista A2. — 9) autem *om.* EF. — 10) deputati] mancipati BF. — 11) confirmamus] item confirmamus F. — hanc] in capitulo *add.* F. — Petri] et *add.* B. — 12) cordibus *om.* B. — arctius *om.* E. — volumus *om.* BEF. — 14) eodem] beato Petro F. — et — capitula *om.* F. — 15) fiat — eisdem *om.* A2 EFG. — 17) hec] iste F. — 18) nostris *om.* F. — 19) nullus] noster F. — per — alium *om.* B. — 20) revocari *om.* A2BFG. — 21) et] ac G. — ac] et A2 EG; *om.* F. — 22) et] ac F; ut A2. — quod *om.* E — 23) eos] omni F. — 24) super] similiter B. — hoc *om.* E. — ac] ut F. — 27) vel fiendam *om.* F. — 32) cum execucione] et execucionem A2F; — et execucionis EG.

cialis. Quicumque autem aliquid predictorum sine predicta licencia acceptaverit et executus fuerit, omni officio habito et habendo per priorem provincialem vel diffinitores capituli provincialis privetur et ulterius secundum exigenciam culpe gravius puniatur.

Eamdem eciam culpam incurrere volumus nunc habentes aliquod de predictis officiis, nisi infra mensem a noticia presentis ordinacionis resignaverint vel licenciam obtinuerint exequendi, adiicientes, quod nullus recipiat commissionem çuiuscumque gracie particularis vel officii ab eisdem sine licencia sui prioris; facientes autem contrarium graviter puniantur.

Item. Cum electiones nostre debeant esse libere, volumus et ordinamus, quod quicumque in aliqua electione vel tractatu directe vel indirecte aliquem induxerit ad aliquem eligendum vel non eligendum, sit per triennium voce privatus.

Item. Cum in aliquibus provinciis instantibus electionibus vel tractatibus in diversis conventibus fratres aliqui sint assignati vel amoti contra ordinaciones capitulorum plurium generalium, prioribus provincialibus et eorum vicariis districte iniungimus, quod de cetero a talibus assignacionibus vel amocionibus abstineant. Quod si contrarium fecerint, provinciales per magistrum ordinis vel capitulum generale, vicarii vero per provinciales gravius puniantur (1).

Item. Cum ex insufficiencia et insolencia aliquorum fratrum missorum ad studia generalia ordo noster interdum paciatur iacturam, inhibemus districte prioribus provincialibus et aliis universis, ad quos mittere pertinebit, ne fratres de criminibus notatos aut insolentes vel insufficientes scienter mittant ad aliquod studium generale. Si qui autem contrarium fecerint, per magistrum ordinis vel capitulum generale gravius puniantur, et nichilominus, si qui in predictis studiis inventi fuerint criminosi aut notabiliter insolentes, per priorem provincialem de consilio et assensu prioris, lectoris, bacalarei et magistri studencium in conventu, cum legitime constiterit, ad suas provincias remittantur, vel si magis ipsis videbitur, ibidem secundum exigenciam culparum puniantur.

1) aliquid *om.* F. — 2) acceptaverit — fuerit *om.* E. — et] vel *ante* executus E. — 3) capituli provincialis *om.* F. — 5) eandem — puniantur *om.* F. — eciam *om.* A2. — culpam] penam A2 EG. — nunc *om.* A2 G. — aliquod *om.* B. — 8) recipiat] accipiat A2 EG. — gracie] cause A2 G. — particularis G. — 12) et ordinamus *om.* F. — quod] ut A2. — vel tractatu *om.* F. — 13) vel non eligendum *om.* F. — 15) in] de F. — 16) vel tractatibus *om.* F. — in diversis] aliquibus F. — 17) ordinaciones] ordinacionem F. — plurium *om.* F. — 18) districte *om.* F. — 19) vel amocionibus *om.* F. — 20) provinciales *om.* F. — vel — puniantur] absolvantur F. — vero *om.* E. — 22) item — extendatur *om.* E. — fratrum *om.* F. — 23) interdum *om.* F. — 24) universis] omnibus A2. — 26) vel insufficientes *om.* F. — 28) et — extendatur *om.* F. — 30) et *om.* G. — 31) vel] quod G. — 32) ibidem *om.* G.

(1) Cf. supra pag. 102 l. 31 sqq.

Volumus eciam et mandamus, quod studentes religiose et quiete se habentes et studio sollicite intendentes, benigne et caritative tractentur et in suis graciis et immunitatibus integraliter conserventur. Et vult magister ordinis, quod dicta ordinacio eciam ad studentes, qui sunt de sua gracia, extendatur.

Item. Cum in constitucionibus nostris caveatur, quod nullus frater, excepto magistro ordinis, qui in communi tolerari possit, habeat locum ad iacendum specialem etc., volumus et districte mandamus prioribus universis et eorum vicariis, quod dictam constitucionem faciant diligencius observari nec cum aliquo dispensent, nisi ex causa legitima et hoc de consilio discretorum; qui autem contrarium fecerint, per priorem provincialem a suis officiis absolvantur.

Item. Cum ex hoc quod nonnulli fratres de medicinalibus se intromittant, pericula et turbaciones frequentes oriantur, inhibemus districte et iniungimus fratribus universis, quod de medicinalibus se nullatenus intromittant nisi de licencia magistri ordinis vel prioris provincialis. Quicumque autem practicaverint vel de medicinalibus se intromiserint, eciamsi licenciam a predictis habuerint, quodcumque emolumentum habuerint, ex nunc pro tunc conventibus deputamus; contrarium autem facientes per priores suos arceantur et graviter puniantur.

Item. Cum ex insufficiencia predicancium et confessiones audiencium ordo noster veniat in contemptum et vergat in periculum animarum et plurium sequatur scandalum prelatorum, volumus et ordinamus, quod fratres ad predicta nullatenus exponantur, nisi secundum formam super hoc in nostris constitucionibus comprehensam. Quod si contrarium actum fuerit, per priorem provincialem tales a dictis actibus penitus amoveantur, et priores vel eorum vicarii tales exponentes vel sustinentes aut dissimulantes in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Cum fratres assignati episcopis vel aliis quibuscumque personis extra ordinem constitutis statuta ordinis servare teneantur, volumus et districte iniungimus, ut dicta statuta et specialiter circa esum

---

2) benigne] benivole A2 G. — 3) graciis et *om.* BEF. — 6) caveatur] habeatur F. — 7) tolerari] non *add.* F. — habeat locum specialem *om.* F. — 8) volumus et *om.* F. — mandamus] iniungimus F. — 9) universis *om.* F. — quod] ut A2 EG; *om.* F. — 10) diligencius *om.* F. — et hoc *om.* E. — 12) a suis officiis *om.* F. — 14) pericula — intromittant *om.* E. — turbaciones *om.* F. — oriantur] oboriantur A2; suboriantur FG. — 15) quod] nullus *add.* F. — 17) quicumque — deputamus *om.* F. — 19) tunc] illis *add.* G. — deputamus] applicamus A2 G. — 20) arceantur] acrius BF. — et graviter] gravius F. — 22) et] ac *post* animarum A2 EG. — et — prelatorum *om.* F. — 25) super hoc *om.* A2 EFG. — quod — et] contrarium autem facientes F. — 25) tales *om.* E. — dictis] talibus E; predictis F. — actibus] officiis arceantur et A2. — 27) amoveantur] removeantur A2 EG. — et priores] per priorem provincialem *add.* F. — vel] et *ante* eorum EG. — vel — penam *om.* F. — aut] *om.* EG. — 28) suis *om.* B; suis] eorum F. — 29) quibuscumque *om.* F. — 31) volumus — observare *om.* F. — statuta] instituta A2. — et *om.* B.

carnium teneantur strictius observare. Quod si contrarium fecerint, per priorem provincialem ad claustra revocentur, nisi forte licenciam habeant summi pontificis, de qua per ipsius patentes literas fidem facere teneantur, nisi forte viva voce regum aut cardinalium hoc constaret. Ad hanc autem ordinacionem non intendimus obligare fratres, qui cum dominis cardinalibus commorantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod ordinaciones capituli Lugdunensis ultimo celebrati (1), de non deponendis pecuniis, libris, iocalibus apud seculares, de apostatis et debitis non contrahendis, et capituli Carcassonensis (2), de criminibus publicis non punitis non revelandis, de sequela scolarum, et quod soli lectores principales socios habeant, de non comedendo extra loca statuta, de non veniendo ad magistrum ordinis sine licencia priorum provincialium vel conventualium, de sequela communitatis per priores et fratres alios diligencius observanda arctius observentur.

Item. Volumus et ordinamus, quod ordinacio capituli Caturcensis de procurando in testamentis et questis magis utilitatem communem quam propriam et de restituendo, quod ad communem utilitatem pervenire debuisset, si persone private fuerit ab aliquo procuratum, inviolabiliter servetur, ita tamen, quod prior cum restituente vel restituere valente valeat dispensare (3).

Item. Cum de canonizacione fr. Thome de Aquino bona spes habeatur, volumus et districte iniungimus prioribus provincialibus, quod tot florenos ad sequens capitulum generale mittere teneantur, quot fratrum conventus in suis provinciis habeantur; quem florenorum numerum per conventus suarum provinciarum condividant, secundum quod eis videbitur expedire.

Item. Ordinamus et districte inhibemus, ne predicatores generales fiant isto anno in illis provinciis, in quibus numerus ipsorum predicatorum generalium numero conventuum sue provincie maior fuerit vel

1) strictius] districte A2; districtius E. — quod — fecerint] contrarium autem facientes A2EFG. — 2) forte] forsan A2; *om.* F. — habeant] habuerint F. — 3) de — constaret *om.* F. — ipsius] summi pontificis *add.* G. — 4) aut] et dominorum A2EG. — 6) commorantur] morentur F. — 7) item *om.* G. — et ordinamus *om.* F. — 8) iocalibus] iocula F. — 9) seculares] et *add.* EF. — et] de *ante* debitis *add.* A2E. — et — observentur *om.* F. — Carcassonensis] Caturcensis EG. — 13) vel] et A2E. — 14) observanda] servanda A2. — 16) item — dispensare *om.* F. — 17) et *om.* E. — 20) servetur] observetur G. — 24) sequens *om.* A2. — fratrum *om.* F. — 25) in] de F. — quem — expedire *om.* F. — per — provinciarum *om.* E. — 28) ordinamus et districte *om.* F. — 29) predicatorum generalium *om.* A2.

(1) Cf. supra pag. 108 l. 7 sqq.
(2) Cf. supra pag. 115 l. 1 sqq.; et pag. 58 l. 20 sqq.
(3) Cf. supra pag. 116 l. 24 sqq.

equalis. Poterunt tamen loco illorum, qui ad capitula convenienter venire non possunt, alii substitui iuxta numerum eorumdem; nec tamen propter hoc illos intelligimus esse absolutos.

Item. Districte iniungimus prioribus universis, ut de falsificantibus literas magistri ordinis diligenter inquirant et quos circa hoc invenerint deliquisse, iuxta tenorem nostrarum constitucionum puniant et superaddant, secundum quod culparum exigencia hoc requiret.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater directe vel indirecte per se vel per alium extra obedienciam nostri ordinis constitutum procuret, quod frater aliquis de provincia vel conventu expellatur vel capiatur. Quicumque autem contrarium fecerit, cum legitime constiterit, per priorem provincialem vel conventualem carceri mancipetur.

Item. Volumus et districte iniungimus prioribus provincialibus universis, quod si aliquis frater inveniatur in eorum provinciis apud principes et prelatos commorans sine licencia ordinis, teneantur ei significare, quod ex privilegio papali possumus eos revocare, quocumque indulto apostolico in contrarium non obstante, et eum sub precepto ad conventum quantocius revocare.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu magistris et bacalareis studiorum Parisiensis, Oxoniensis et Cantabrigiensis, quod apciores tam in sciencia quam in vita de dictis provinciis ad legendum sentencias debeant nominare.

Item. Volumus et ordinamus, quod mare magnum Benedicti pape, Bonifacii vel Clementis in conventibus, ubi habentur, et acta capituli huius anni saltem semel in duobus mensibus in refectorio legantur in mensa vel in capitulo.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, ne frater aliquis cuiuscumque condicionis et status existat, ad Romanam curiam presumat accedere vel ad unam dietam appropinquare sine eiusdem licencia speciali.

Concedit tamen idem magister ordinis singulis provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis multum urgentibus et necessariis ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

1) poterant — absolutos *om.* F. — convenienter] communiter *add.* A2 EG. — 4) universis *om.* F. — 5) et — requiret *om.* F. — 7) requiret] requireret EG. — 8) et ordinamus *om.* A2BF. — 11) quicumque — fecerit] contrarium autem facientes F. — 13) et districte iniungimus *om.* F. — prioribus *om.* EF. — 14) aliquis frater] aliqui fratres EG. — eorum provinciis *om.* F. — 15) commorans] commorantes B. — ei] eis BE. — 16) eos] tales A2. — 17) eum] eos A2BE. — 19) de — assensu *om.* E. — 20) et *post* magistris *om.* E. — 21) Cantabrigiensis] Cantabrie F. — apciores] alciores F. — 23) et ordinamus *om.* F. — magnum] dominorum *add.* A2G; domini *add.* E. — 25) saltem *om.* F. — 26) mensa] refectorio F. — 27) de — assensu *om.* F. — 28) cuiuscumque — existat *om.* F. — et] aut A2. — 29) dietam] dyocesim F. — 30) eiusdem] sua F. — 31) idem *om.* F. — singulis] prioribus *add.* A2. — provincialibus] provinciis EG. — 32) generalibus *om.* E.

Item. Volumus et ordinamus ac districte iniungimus provincialibus universis, qui isto anno ·v· florenos procuratori ordinis non miserunt, quod sub pena duplici de sibi appropriatis ad sequens capitulum mittere teneantur.

Letania more solito dicatur.

Concedimus provincie Anglie duos conventus, unum ponendum apud Vincheleseyam, alium in Herfordia.

Lombardie superiori unum ponendum, ubi videbitur capitulo provinciali.

Provincie regni Sicilie monasterium sororum ponendum in Tharenta.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno, fratrem Hugonem de Vausemain (1).

Committimus reverendo patri magistro ordinis, quantum nostra interest, provisionem bacalarei Parisiensis de provincia interiori, et ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris, bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Vult magister ordinis de consilio et assensu diffinitorum, quod ordinacio, que cavet, quod ille, qui legit sentencias anno precedenti, sit magister studencium in sequenti, in studiis generalibus et sollempnibus inviolabiliter observetur (2).

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus apud Florenciam in Romana provincia et ordinamus, quod diffinitores, qui anno sequenti diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante ·vi· feriam vigilie pentecostes precedentem.

Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerit vel loco capituli cum intencione veniendi appropinquaverit, ex vi presentis ordinacionis sit per biennium omni voce privatus.

---

1) et ordinamus *om.* F. — ac] et A2. — 6) concedimus — melius procurentur *om.* E. — 7) Vincheleseyam] Vinchelesiam B; Bughelleyeso A2. — Herfordia] Elfodia A2. — 8) ponendum — provinciali] conventum fratrum F. — 10) Sicilie] unum *add.* F. — ponendum in Tarenta *om.* F. — 11) Tharenta] Charecha G. — 12) assignamus — expedire *om.* B; assignamus — melius procurentur *om.* A2; assignamus] signamus F. — 13) Vausemain] Bauseman A2; Warcembel F. — Vausemain] de provincia Francie *add.* H. — 14) committimus — observetur *om.* H. — 15) de provincia interiori] provinciis extraneis F. — 16) quod — expedire *om.* F. — 19) vult] item vult F. — de — diffinitorum *om.* F. — 20) que cavet] dicens F. — 23) sentencias iudicum approbamus *om.* B. — 24) generale *om.* F. — in — procurentur] in festo pentecosten ad quod fratres ante vigiliam ingrediantur F. — 25) et — procurentur *om.* BH. — 31) sit.... privatus] sint.... privati A2.

---

(1) De fr. Hugone cf. supra pag. 118 l. 17.

(2) Cf. supra pag. 119 l. 6 sqq.

Item. Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis et socii eorundem in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipiantur et caritative tractentur et pro facultate conventuum melius procurentur.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro summo pontifice quilibet sacerdos quatuor missas et in quolibet conventu ponatur hebdomadarius pro eodem.

Pro collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos duas missas.

Pro venerabili patre domino Ostiensi et Veletrensi (1) quilibet sacerdos unam missam.

Pro venerabili patre domino Nicolao tituli s. Eusebii (2) presbitero cardinali quilibet sacerdos duas missas.

Pro venerabilibus patribus dominis Tusculano (3) Portuensi (4) Albanensi (5) episcopis, domino de Pelagrua, R. de Fabricis domino B. de Garvo (6) diaconibus quilibet sacerdos duas missas.

Pro reverendo domino archiepiscopo quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis abbatibus s. Dyonisii in Francia et s. Germani de Pratis quilibet sacerdos unam missam.

Pro fratre Petro Ferandi et quondam consorte sua, nunc sorore nostra, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino domino Philippo rege Francie et Navarre, domina regina consorte sua ac liberis eorum quilibet sacerdos tres missas.

Pro rege Anglie quilibet sacerdos tres missas.

Pro rege Sicilie etc. quilibet sacerdos unam missam.

Pro domina regina Clemencia quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro papa Clemente (7) quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino Iacobo, nepote suo (8), cardinali quilibet sacerdos unam missam.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXII.

---

4) ista — cardinali quil. sac. unam missam *om.* A2 BEFG.

---

(1) De fr. Nicolao cf. supra pag. 103 l. 29.

(2) De fr. Nicolao tit. s. Eusebii cardinali cf. ibid.

(3) Berengario Fredoli sen. cf. supra pag. 94 l. 27.

(4) Berengario Fredoli iun. ibid. l. 28

(5) Arnaldo de Auxio; cf. supra pag. 95 l. 5.

(6) De A. de Pelagrua, R. de Fabretis, B. da Garvo cf. supra pag. 94 l. 24 sq.

(7) Obiit Clemens papa V. die 14 Aprilis 1314. Cf. Eubel l. c. pag. 13.

(8) Iacobo de Via, Caturcensi tit. ss. Ioh. et Pauli 18 Dec. 1316; † 13 Iunii 1317. Cf. l. c. pag. 14.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS FLORENCIE CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XXI°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus has constituciones: In capitulo de gravi culpa, ubi dicitur: si quis autem, quod deus avertat, in peccatum carnis lapsus fuerit, addatur: aut furtum commiserit, quod sit notabile iudicio discretorum, vel literas magistri ordinis aut priorum provincialium seu sigilla eorum falsificaverit vel falsificatis scienter usus fuerit, aut in prelatum suum manus iniecerit temere violentas, aut quemcumque lethaliter seu graviter et atrociter percusserit, aut infra septa monasterii aut supra se arma invasiva portare presumpserit, aut aliqua predictorum fieri fecerit.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: si quis autem de mala familiaritate etc. se non correxisse fuerit deprehensus, deleatur totum, quod sequitur usque ibi inclusive: provideatur ordinis honestati, et dicatur sic: Precipiatur sibi in virtute sancte obediencie per prelatum coram illis, coram quibus monitus fuerat, si presentes fuerint, vel coram aliis discretis de consilio eorumdem, quod a tali familiaritate desistat. Quod si tale preceptum transgressus fuerit, postquam de hoc legitime constiterit, tanquam reus et convictus de suspecto crimine puniatur.

Item hanc: In capitulo de gravissima culpa in fine, ubi dicitur: secundum discrecionem prelati puniatur, addatur: quicumque autem fuerit carceri sentencialiter et legitime mancipatus, nullo modo, nisi per diffinitores generalis capituli vel provincialis valeat liberari. Que liberacio non fiat ad minus ante annum, nec eciam tunc nisi de vera et perfecta eius penitencia secundum quantitatem et qualitatem delicti prius constiterit emendatus. Quod si aliquis inventus fuerit aliquem indebite carceri mancipare vel in graviori culpa ponere, ad eamdem penam, ad quam nos eum presenti statuto condempnamus, per superiorem suum, quam cito sibi constiterit, compellatur.

---

2) Florencie] apud Florenciam A2FG. — 4) iste] hee A2. — 6) autem *om.* A2F. — 7) aut-ordinis *om.* F. — 8) aut] vel B. — 10) temere *om.* E. — quemcumque] quicumque A2F. — 11) septa] septam B. — aut *om.* A2EFG. — 12) invasiva] indebite *add.* A2EFG. — 13) autem *om.* F. — 14) etc. *om.* F. — se non] semel E. — 15) ibi inclusive *om.* F. — provideatur] provideant BF. — 16) sic] et F. — precipiatur] precipiens B. — coram *om.* A2. — 17) monitus] amonitus F. — fuerat] fuerit B. — 18) discretis] et *add.* A2G. — de *om.* EF. — 19) de *om.* F. — hoc *om.* A2. — 21) in fine *om.* F. — 22) autem *om.* F. — 24) vel] et F. — que] eciam *add.* A2. — 25) eciam] eadem G. — 27) emendatus] evidenter A2G. — aliquem *om.* F. — 28) carceri *om.* FG. — 29) ad quam *om.* EF. — condempnamus] et *add.* EF.

Item hanc: In capitulo, de apostatis, ubi dicitur: Qui vero semel apostataverit vel de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur: aut carceri sentencialiter et legitime mancipatus.

Item. Ibidem, ubi dicitur: nisi per diffinitores capituli generalis vel provincialis fuerit restitutus, deleatur totum usque in finem et dicatur sic: Ordinamus, quod predicta omnia et singula in medio tempore inviolabiliter observentur pro culpis in posterum perpetrandis.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli provincialis et generalis, ubi dicitur: si vero medio tempore etc., deleatur totum usque ibi inclusive: loco ipsius diffinitor habeatur, et dicatur sic: Si vero electum in diffinitorem ante vigiliam pentecostes ad capitulum non venire aut presentem vel mori vel de iure ad diffinicionem impediri contigerit, socius eius, si tunc presens fuerit, ipso iure loco ipsius diffinitor in toto capitulo habeatur. Quod si utrumque ipsorum, tempore quo primum incipit diffinitorum auctoritas, contigerit ad capitulum non venisse, quicumque eorum postea ad capitulum prior venerit, sit simpliciter diffinitor; quod si simul concurrerint, diffinitor socio preferatur.

Item hanc: In capitulo de electione prioris conventualis et institucione subprioris circa finem, ubi dicitur: tres fratres illius conventus, addatur: presentes et usum racionis et vocem in electionibus habentes.

Item. Ibidem, ubi dicitur: eligant, deleatur: eligant, et dicatur: antequam bibant vel comedant, eligere teneantur, renunciacione qualibet non obstante.

Item hanc: Quod in vigilia sancti Iacobi fiat de sanctis Christophoro et Cucufate festum trium lectionum; et magister ordinis providebit de officio. Et hoc in kalendario et ordinario in locis debitis annotetur.

Item hanc: In ordinario in rubrica de festo trinitatis in fine, ubi dicitur: usque ad vesperas sequentis sabbati exclusive, deleatur: sabbati exclusive, et dicatur: ferie ·iiii· exclusive, et addatur: feria ·v· post festum trinitatis fiat festum de corpore Christi totum duplex cum octavis, quibus durantibus de quibuscumque aliis octavis preter diem octave memoria tantum fiat. Si autem istud festum et nativitatis s. Iohannis eadem die concurrant, in observancia eorum nos matrici ecclesie confor-

1) vero *om.* A2. — 3) et] ac B. — mancipatus] fuerit *add.* F. — 4) nisi *om.* E. — 6) et dicatur sic *om.* A2BEG. — sic *om.* F. — 9) vero] in *add.* A2. — 10) ibi *om.* F. — 11) electum] in *add.* E. — 12) vel *ante* mori *om.* A2E. — de *om.* B. — ad diffinicionem] a diffinicione F. — 14) utrumque] unumquemque E. — 15) primum *om.* F. — incipit] ipsorum *add.* A2E. — non *om.* B. — 16) postea *om.* B. — prior] prius F. — 17) quod si simul *om.* F. — concurrerint] concurrant G. — 20) et *ante* usum *om.* BF. — 22) vel] nec A2. — 28) in] et *ante* rubrica A2. — rubrica de *om.* B. — 29) exclusive] et *add.* F. — 32) quibus durantibus *om.* F. — 33) Iohannis] Baptiste *add.* F. — 34) concurrant] occurrerint A2. — observancia] observanciam B. — nos *om.* F.

mamus. Officium autem diurnum et nocturnum fiat, secundum quod per reverendum patrem magistrum ordinis extiterit ordinatum. Et hoc in ordinario in locis debitis annotetur. Ordinat autem reverendus pater magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod interim predictum officium decantetur, et predicta ordinacio observetur.

Ordinat magister ordinis, ex commissione per tria generalia capitula immediate precedencia sibi facta, quod ad memoriam, que fit de beato Petro martyre, per totum annum dicatur antiphona in matutinis: Petrus novus, versus: prevenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Responsorium: posuisti in capite eius coronam de lapide precioso. In vesperis antiphona: ad sancti Petri; versus: desiderium anime eius tribuisti ei, domine. Responsorium: et voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Et hec in ordinario et rubrica de festo ipsius scribantur.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum ex inordinato discursu fratrum diversa quandoque pericula et scandala oriantur, volumus et ordinamus, quod nulli detur licencia eundi extra conventum, nisi prius expressis causis, negociis et personis; que licencia, nisi fuerit causa racionabilis, nullatenus concedatur; et concessa assignetur eidem socius, prout expedit ordinis honestati. Quod si petens licenciam determinatum socium pecierit, eo ipso pro illa vice sit illo socio privatus. Si vero sic licenciatus ad loca vel personas non nominatas declinaverit, in reditu hoc ipsum prelato dicere teneatur, alioquin tanquam suspectus habeatur nec extra conventum licencietur, nisi cum socio sibi ad custodiam deputato. Iniungimus autem prioribus et eorum vicariis, quod sic de combinacionibus provideant, quod saltem altera pars copule sit mature etatis et vite solide ac secure. Et ut istud melius valeat observari, imponimus prioribus provincialibus, quod intiment sub secreto prioribus conventualibus fratres notatos et non securos eis subiectos, ut per se et suos vicarios oculos habeant super ipsos.

Item. Cum ex nostra professione redditus seu possessiones non liceat nos habere, inhibemus districte, ne frater aliquis redditus ad vitam suam emere presumat. Quicumque autem hactenus emerint, infra sequens capitulum generale eosdem bona fide vendant vel penitus alienent, alioquin ius, si quod habeant, et omnis utilitas ipso facto redeant totaliter

1) conformamus] conformemur F. — 2) extiterit] extitit B — 3) ordinario] ordinariis F. — 4) predictum] dictum BG. — 6) ordinat] item ordinat A2. — 9) versus] domine *add.* A2F. — prevenisti — precioso *om.* F. — in benedictionibus dulcedinis *om.* BF. — 10) in — precioso] etc. B. — 11) anime — domine] etc. B; anime — eum *om.* F. — 12) labiorum — eum] etc. B. — 13) et rubrica *om.* E. — et] in G. — festo] festis E. — 15) diversa *om.* E. — 16) volumus et *om.* E. — 20) determinatum] ordinatum E. — pecierit] petit F. — pro] quod F. — 21) vel] ad *add.* F. — 22) in reditu *om.* A2. — prelato *om.* A2. — 26) et ut] ut autem BG; ut *om.* A2. — 27) prioribus — inhibemus *om.* B. — 28) eis] ei F. — 32) emere] quis *add.* F. — 33) vendant] reddant F. — 34) habeant] habent B. — utilitas] libertas A2. — ipso facto *om.* F.

ad conventum illum, ad quem res sue pertinerent, si illo tempore morerentur, cui nos presenti ordinacione duximus applicanda. De elemosynis autem perpetuis, que ex diversis modis diversis conventibus vel fratribus actenus sunt relicte, priores provinciales et diffinitores in suis provincialibus capitulis de modo habendi et retinendi easdem diligencius inquirant; et quidquid pro certo in talibus esse contra formam constitucionis invenerint, omnino resecent et extirpent. Si quid autem dubium repererint, referant ad sequens generale capitulum.

Item. Cum constitucio dicat, quod quilibet frater reddat racionem suis maioribus, si fuerit requisitus, volumus et ordinamus, quod superiores, ad quos spectat talem recipere racionem, ipsam ab inferioribus requirant et audiant cum effectu; imponentes singulis prioribus conventualibus, quod semel in anno per preceptum a quolibet fratre subdito requirant in scriptis, quantum debet et cui, quantum ei debetur et a quo, et quantum habeant et ubi in pecunia et rebus aliis preciosis. Quicumque vero huiusmodi precepti transgressor inventus fuerit, furti iudicio condempnetur, et nichilominus ea, que celaverit, conventui, ad quem pertinet, applicamus. Declaramus autem, quod inquisitores heretice pravitatis de personalibus priori suo conventuali, sed de pertinentibus ad officium priori provinciali racionem reddere teneantur. Prior autem provincialis teneatur racionem reddere suis diffinitoribus non solum de pertinentibus ad provinciam, sed eciam ad personam.

Volumus autem et ordinamus, quod priores provinciales, si quos conventus in suis visitacionibus invenerint in substancialibus victus deficere, de habundancia fratrum potencium, per modum doni vel mutui, tali necessitati studeant subvenire; et ut de conventuum indigencia plenius sibi constet, conventus sue provincie successive curet personaliter visitare.

Item. Cum aliqui fratres in confusionem ordinis et dampnacionem animarum suarum correctionem de se vel de aliis fiendam vel iam factam impedii procurent et gravamina inferri aliis fratribus per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas, volumus et ordinamus, quod quicumque talis inventus fuerit, pene culpe subiaceat gravioris et omnibus graciis ordinis sit privatus, ad quas restitui non valeat nisi per magistrum ordinis ac diffinitores capituli generalis.

---

2) applicanda] apponenda F. — 3) ex *om.* FG. — diversis modis *om.* F. — 4) actenus *om.* BG. — 5) diligencins] diligenter BG. — 6) in] de F. — 7) resecent — repererint *om.* E. — 8) referant] referent B; reservent E. — 15) ubi] et quid habent *add.* E. — et] in *ante* rebus *add.* E; et — condempnentur *om.* F. — 16) quicumque] qui A2. — 17) nichilominus] volumus A2. — 18) applicamus] applicant F. — autem *om.* F. — 20) prior — reddere *om.* F. — 21) teneatur racionem reddere *om.* A2. — 25) potencium] potenter F. — 26) indigencia *om.* B. — 30) fiendam] faciendam A2. — 32) nostri *om.* G. — 35) ac] per *add.* A2E.

Item. Ad subtrahendum fratribus materiam evagandi volumus et ordinamus, quod quicumque frater iverit sine licencia sui prioris provincialis ad magistrum ordinis extra suam provinciam existentem vel ad ipsum magistrum in eadem provincia existentem vel ad priorem provincialem sine licencia sui prioris conventualis, cum ad magistrum vel ad provincialem venerit, ex integro circuletur et sit per triennium voce privatus. Priores autem provinciales vel conventuales ad hanc licenciam dandam non se reddant difficiles, cum ydoneo socio, si manifesta et racionabilis causa eisdem fuerit allegata.

Item. Ad reformacionem ieiunii a festo sancte crucis usque ad festum pasche, quod per inordinatas dispensaciones notabiliter dissipatur, volumus et ordinamus, quod priores et eorum vicarii non dispensent, nec dispensare possint ultra quam semel vel bis ad plus, in eadem ebdomada, cum eodem, nisi cum notabiliter debilibus vel infirmis, exceptis actu legentibus, continuantibus lectiones, et iuvenibus non sacerdotibus, cum quibus prior possit dispensare ordinate, secundum modum in provincia consuetum et exceptis communibus recreacionibus sine carnibus, que solent fieri in quibusdam provinciis ante quadragesimam et adventum. Quicumque autem aliter de facto dispensare presumpserit, si sit prior vel supprior, ab officio in penam absolvatur; vicarii vero priventur, ut non possint preesse per annum. Imponentes visitatoribus, quod super hoc in quolibet conventu sue visitacionis diligenter inquirant, et si aliquem invenerint transgressorem, referant priori provinciali et diffinitoribus capituli provincialis, quibus iniungimus, ut penam predictam effectui studeant mancipare. Illi autem, cum quibus taliter dispensatum fuerit, sic se de cena expediant, quod sint in principio completorii, alioquin dispensacione consimili usque ad mensem integrum sint privati; et nichilominus tam hii, quam quicumque alii a completorio defuerint sine licencia vel post signum, quod fit post completorium, silencium fregerint, bibant in sequenti primo prandio indispensabiliter solam aquam, exceptis hospitibus venientibus de foris prima die. Prior autem, qui accusato coram ipso et convicto vel confesso non imposuerit dictam penitenciam cum effectu, ad similem in sequenti primo prandio teneatur, super quo eius conscienciam oneramus. Non tamen intendimus in hac

---

1) materiam] viam F. — 2) iverit] venerit. EG. — 4) in — magistrum vel ad *om.* F. — vel] seu A2. — 5) ad *post* vel *om.* BG. — 7) hanc *om.* EG. — 8) manifesta] maxima F. — 10) item] cum *add.* BG. — 11) dissipatur] dispensatur G. — 13) semel] in septimana *add.* A2. — 14) cum eodem *om.* E. — 15) legentibus] et *add.* A2F. — 16) ordinate] ordinante BE. — modum] morem A2F. — 17) et *om.* E. — 18) quibusdam] quibus F. — 23) referant] deferant B. — 24) ut] in *add.* EF. — 25) studeant] debeant E. — autem] eciam F. — 27) usque ad] per F. — integrum *om.* F. — 30) solam] solum E. — 31) venientibus de foris *om.* A2. — 32) confesso] professo F. — 33) similem] eciam *add.* F. — primo *om.* A2B. — 34) quo *om.* A2B. — eius] ipsius A2E.

ordinacione includere lectores, magistros et baccalareos in theologia et eos, qui fuerunt priores provinciales vel diffinitores capituli generalis.

Item. Cum esus carnium in nonnullis provinciis et conventibus nimis de facili concedatur, volumus et ordinamus, quod in constitucione de non comedendo carnes nisi causa infirmitatis non possit dispensari, nisi cum evidenter indigentibus de consilio medicine, exceptis notabiliter antiquis et lectoribus actu legentibus et continuantibus lectiones cum quibus possit dispensari per duas quindenas in anno. Lectoribus tamen in studio generali tercia et magistris et bacalareis in theologia quarta poterit superaddi.

Item. Quia primis predicatoribus dictum est: « Nolite vocari rabbi, unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis » (1), inhibemus districte, ne frater aliquis nostri ordinis magister in theologia existens, quandocumque ab alio fratre ex nomine proprio designatur, obmisso nomine fratris, prenominetur: magister, dicendo: magister Petrus aut magister Iohannes, et sic de aliis; que nominacio vana est et secularium vocancium nomina sua in terris suis, sed semper prenominentur fratres, dicendo: frater Petrus aut frater Iohannes, sicut consueverunt fratres alii nominari. Omnes eciam magistri in theologia et baccalarei vel lectores, quandocumque ad aliqua officia in tabula annotantur, nunquam scribantur sub istis nominibus dignitatis, sed illo solo modo, quo fratres simplices scribi solent (2).

Item. Si qui priores provinciales vel eorum vicarii concesserint aliquibus fratribus aliquas gracias quantum ad exempcionem ab observanciis regularibus et laboribus querendi et procurandi pro conventu a tempore capituli Caturcensis, magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu revocat interdicens, ne tales de cetero concedantur, exceptis magistris et bacallareis in theologia et illis, qui fuerunt priores provinciales et diffinitores capituli generalis.

Item. Cum ex insufficiencia et insolencia fratrum aliquorum, missorum ad studia generalia, ordo noster interdum iacturam paciatur, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio

1) lectores *om.* EG. — magistros et *om.* F. — 2) priores *om.* E. — vel] sive et E; et A2. — 8) lectoribus] lectori E. — 11) primis] prius F. — 12) vos *om.* E. — 14) ex *om.* A2E. — proprio *om.* A2. — 16) Iohannes] G. A2. — vana] una F. — 18) prenominentur fratres] preponetur frater F. — aut] vel F. — 19) consueverunt] conservant F. — 20) vel] et A2. — in tabula *om.* F. — annotantur] notantur A2. — 21) numquam] in ea *add.* FG. — dignitatis] dignitatum G. — 22) simplices] simplici A2. — 24) exempcionem] officii *add.* E. — 25) laboribus] ab oris E. — 26) Caturcensis] Caturicensis BF; Caturiensis E. — 28) priores *om.* EF. — 29) et] vel A2G. — 30) ex *om.* A2.

(1) Matth. XXIII, 8.

(2) De eodem argumento cf. MOPH. III. pag. 234 l. 19 sqq.

et assensu prioribus provincialibus et aliis universis, ad quos mittere pertinebit, ne fratres male vitę aut insolentes vel insufficientes in sciencia scienter mittant vel ipsi aut quicumque alii a quocumque mitti procurent ad aliquod studium generale. Si qui autem in predictis studiis inventi fuerint criminosi aut notabiliter insolentes, per priorem provincialem de consilio et assensu prioris, lectoris, bacallarei et magistri studencium in conventu, cum hoc legitime constiterit, ad suas provincias remittantur; et nichilominus, si eis videbitur, secundum culparum exigenciam puniantur. Volumus tamen et mandamus, quod studentes, religiose et quiete se habentes, benevole pertractentur et in suis graciis et immunitatibus, quas habent a magistris et a capitulis generalibus vel a consuetudine studii approbata integraliter conserventur.

Item. Ut studentes possint studio libere intendere, nullus studens extraneus exponatur ad audienciam confessionum secularium personarum nisi de sua nacione aut nisi in casu particulari de consilio discretorum, nisi evidens utilitas appareret.

Item. Volumus et districte inhibemus, ne in uno conventu ponatur nisi unus lector principalis.

Item. Volumus, quod lectores tam principales quam alii ad tardius incipiant lectiones suas in crastino animarum et continuent usque ad festum apostolorum Petri et Pauli. Quicumque autem in sic continuando inventi fuerint notabiliter defecisse, a suis officiis absolvantur et in aliis officiis ac regularibus observanciis sicut fratres simplices occupentur. Lectores eciam principales in lectione de textu biblie sensum literalem primo exponere teneantur.

Item. Nullus de novo ponatur ad legendum theologiam tamquam lector principalis vel bacalareus, nisi habeat testimonium prioris, lectoris, sublectoris et magistri studencium vel saltem maioris partis ipsorum illius studii generalis, in quo fuerint, qui in suis conscienciis fidele testimonium perhibeant de bonitate vite et sufficiencia sciencie eorumdem; super quo ipsorum consciencias volumus onerari.

Item. Nullus rediens de studio generali habens notabilem ydoneitatem ad officium lectorie confirmetur in priorem, nisi prius tribus vel quatuor annis ad minus legerit, nec lector actu legens in priorem confirmetur, nisi confirmans alium lectorem sufficientem habeat, de quo

1) universis *om.* A2. — 2) aut] et F. — 3) ipsi] illi F. — aut] vel A2. — alii] aut *add.* F. — 6) prioris] et *add.* A2. — 9) exigenciam] exigencias A2: *om.* E. — tamen] autem B. — 10) et *om.* F. — habentes] tenentes F. — 11) magistris] magistro A2G. — et] vel BG. — 12) integraliter] approbentur et *add.* E. — conserventur] observentur EF. — 13) libere] liberius FG. — 14) personarum *om.* B. — 15) nisi] ubi F. — 21) autem *om.* EF. — 23) ac] in *add.* A2. — 24) eciam *om.* F. — in *om.* F. — 28) sublectoris *om.* F. — maioris partis] maiorem partem A2B. — 29) fuerint] fuerit G. — 30) eorumdem] eorum EF.

possit eidem conventui providere; quam provisionem infra quindenam facere teneatur.

Item. Ordinaciones factas in capitulo Lugdunensi de magistro studencium et in capitulo Caturcensi de sequela scolarum cum pena ibidem apposita diligencius observentur (1).

Item. Ordinacionem factam de triginta florenis mittendis magistris et bacallareis Parisiensibus revocamus, iniungimus tamen provinciis, quod ipsis provideant secundum facultatem et indigenciam eorumdem.

Item. Volumus et ordinamus, quod provinciales diligenter inquirant de excessibus inquisitorum heretice pravitatis sive in modo procedendi sive in extorsione pecuniarum seu eciam in pompis et victu et vestitu et observancia regulari, et absolvant, quos invenerint notabiliter excedere in predictis vel in aliquo premissorum.

Item. Volumus et ordinamus, quod quelibet provincia teneatur providere, quod omnia privilegia generaliter ordini nostro concessa in unoquoque conventu vel saltem intra provinciam habeantur. Et imponimus procuratori ordinis, quod singulis provinciis cum earum expensis privilegia eis deficiencia procuret, quam cito fuerit a dictis provinciis requisitus.

Item. Vult et ordinat magister ordinis de diffinitorum consilio, quod in quolibet monasterio sororum missa conventualis de die quolibet habeatur, et vult, quod provinciales vel eorum vicarii ordinent de aliquibus fratribus, qui missam illam dicere teneantur, si commode potest fieri hoc per fratres; sin autem provideant de alio capellano honesto et maturo. Interdicit autem dictus magister ordinis omnibus sororibus, quod nullum capellanum extra obedienciam nostri ordinis ad predictam missam admittant, nisi illum, de quo provincialis eis duxerit providendum.

Imponit eciam provincialibus, quod ordinent, quod sorores provideant conventui fratrum pro fratribus facientibus eis ebdomadariam et aliis in earum serviciis occupatis secundum monasterii facultatem.

Item. Cum ex ingressu ad monasteria sororum multa pericula invenerimus subsecuta, iniungit districte magister ordinis de diffinitorum

---

3) Lugdunensi] Londonensi G. — 4) scolarum] scolari F. — 6) factam *om.* F. — 8) secundum suam *add.* F. G. — 10) modo] modis F. — 11) seu] sive E. — et] in *ante* victu *add.* F. — et] in *ante* vestitu *add.* F. — 14) et ordinamus *om.* BF. — 16) unoquoque] uno BEF. — intra] infra G. — intra provinciam] in sua provincia EF. — et *om.* E. — 17) cum] ad A2E. — expensis] expensas A2E. — 18) cito] cicius F. — 21) sororum] nostrarum *add.* F. — 22) aliquibus] dictis F. — 23) qui] quod F. — commode] quomodo A2. — 26) nostri *om.* G. — 28) eciam] autem E. — quod] ut *post* ordinent A2FG. — ordinent quod *om.* E. — 29) ebdomadariam] ebdomadam F. — 30) in] aliis *add.* F. — secundum monasterii facultatem *om.* F.

---

(1) Cf. supra pag. 111 l. 7 sqq. et pag. 115 l. 10 sqq.

consilio prioribus provincialibus, quod circa restrictionem dicti ingressus invigilent diligenter.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis fratrum nostri ordinis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere sine licencia eiusdem magistri speciali. Concedit autem magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis necessariis ordinis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et beato Dominico in quolibet conventu in aliqua vacante feria singulis septimanis, et de beato Petro martyre ad minus semel in quindena sollempniter celebretur.

Letania more solito dicatur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialem provincie Tholosane (1), quia mittimus eum Parisius ad legendum sentencias isto anno, et instituimus vicarium in eadem provincia fratrem Guillielmum Dulcini, priorem Burdigalensem.

Item. Absolvimus priores conventuales Pisanum, Reatinum, Narniensem, Mevaniensem, sancte Sabine, Tudertinum, Anagniensem et Cortonensem; et volumus, quod priores in isto capitulo absoluti in eisdem provinciis vel conventibus non possint resumi ad eadem officia isto anno.

Iste sunt penitencie.

Fratres Nicolaum Mor et Wenser de Argentina de provincia Theotonie, qui priorem provincialem suum verberaverunt, ad terram prostraverunt, ceperunt et violenter in carcerali custodia detinuerunt ac interficere voluerunt et socium eius et famulum vulneraverunt, perpetuo carceri adiudicamus et volumus, quod non ministretur eis nisi panis et aqua nisi in solo casu, in quo ad vitandum mortis periculum aliud fieri oporteret; nec volumus, quod aliquis in hoc valeat dispensare, nisi capitulum generale.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre et domino nostro domino Iohanne summo pontifice ac bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·iiii· mis-

1) de diffinitorum consilio *om.* B. — 6) eiusdem] ipsius E. — autem] tamen BG. — 11) in quolibet conventu *om.* E. — 14) iste — XVIII iunii *om.* E. — 17) Dulcini] Dulcori A2; Dilercitu (?) F. — 20) Narniensem *om.* A2. — Mevaniensem] Menuatensem A2: Mevanatensem F. — Anagniensem] Magninum F; Veronanensem *add.* A2. — 22) provinciis] officiis F. — 23) iste — generale *om.* F. — 24) Mor] Moe A2 G. — Wenser] Venser A2. — 29) nisi] preterquam A2. — in quo *om.* A2. — 32) ista — missas etc. *om.* A2. — 33) Iohanne *om.* F.

(1) Hugonem de Marciaco; de eo cf. DENIFLE *Chartularium* l. c. pagg. 242, 274, 275, 303; DENIFLE *Archiv* etc. II. pag. 217.

sas et quilibet conventus assignet ei unum ebdomadarium in qualibet septimana etc.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro venerabili patre domino Nicholao Ostiensi et Velletrensi episcopo (1) quilibet sacerdos ·iii· missas etc.

Concedimus provincie Francie unam domum ponendam in Argentonio.

Item. Provincie Tholosane duas: in locis de Bellovidere et de Marsiaco.

Item. Provincie regni Sicilie unam ponendam in Abrucio.

Item. Provincie Romane unam, provincie Ungarie unam et provincie Theutonie unam ponendas, ubi priores provinciales et diffinitores capituli provincialis dictarum provinciarum ordinaverint, dummodo dicte provincie habeant a summo pontifice, antequam dicta loca recipiant, super hoc licenciam specialem.

Quantum nostra interest, providemus de fratre Petro de Palma (2) de provincia Francie, quod legat sentencias Parisius anno futuro.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et baccalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus apud Viennam in provincia Theotonie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas veniant ascensionis.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam ·vi^am^· vigiliam pentecostes immediate precedentem.

Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel loco capituli cum intencione veniendi appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis et socii eorumdem cum pueris in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipiantur, caritative tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

---

2) etc. *om.* F. — 3) ista - defunctis *om.* F. — 4) domino — XVIII iunii *om.* F. — 6) concedimus] item concedimus A2. — Argentonio] Argentolio A2. — 7) duas] unam ponendam *add.* A2. — locis] loco A2. — Bellovidere] Bellovisu A2. — et] aliam in loco *add.* A2. — 9) Abrucio] Abrucoio A2. — 13) dicta] ipsa A2. — hoc *om.* A2. — 16) de provincia Francie *om.* A2. — 19) et] ac A2. — 23) et — precedentem *om.* A2. — 28) vero] autem A2. — 31) volumus - procurentur *om.* A2.

---

(1) De fr. Nicolao cf. supra pag. 126 l. 8.

(2) De fr. Petro de Palma cf. SSOP. I. pag. 614, Denifle *Chartularium* indicem.

Noverint universi presentes literas inspecturi, quod nos frater Herveus, magister ordinis fratrum predicatorum, Petrus de Palude, magister in theologia, diffinitor Francie, Recuperus de Guardavalle Senensis, diffinitor provincie Romane, Stephanus diffinitor Polonie, Benedictus de Pesculo, inquisitor, diffinitor regni Sicilie, Philippus de Cumis diffinitor Lombardie superioris, Gulielmus de Ebruton, magister in theologia, diffinitor Anglie, Bernardus de Pino diffinitor Aragonie, Henricus de Grunic diffinitor Theutonie, Benedictus de Vaccia diffinitor Hungarie, Rogerius de Marcia diffinitor Lombardie inferioris, Gienisius de Bruna diffinitor Bohemie, Gulielmus Dulcini de monte Albano diffinitor provincie Tholosane, Corradus de Albersthat diffinitor Saxonie, Laurencius Tyllingensis de conventu Sictuniensi diffinitor Dacie, Nicholaus de Creta diffinitor Grecie, et Petrus Lamberti lector Montispessulani diffinitor provincie Provincie, auditis et eciam receptis in scriptis delacionibus contra fratres aliquos de Romana provincia, qui spirituales ab aliquibus vocabantur, diligenti prius inquisicione premissa, examinando delatos per sentenciam excommunicacionis et per preceptum et eciam iuramentum, non invenimus in predictis esse probatum contra eos aliquid contra fidem seu eciam bonos mores, nec eciam in eis invenimus singularitatem vite fundatam in aliqua heresi vel errore. Volentes igitur finem ponere in predictis et quos non invenimus nocentes per aliquod contra eos probatum, seu eciam confessatum, salvare et excusare, ut de iure tenemur, ac in posterum precavere, ne in nostro ordine et maxime in Romana provincia de predictis et circa predicta aliqua scandala oriantur, fecimus, que sequuntur:

Primo determinamus omnes nemine discrepante et ex consciencia et de iure nichil esse probatum contra eos, qui spirituales vocantur, seu confessatum per eos contra fidem et bonos mores et contra singularitatem vite in aliquo errore seu secta fundatam.

Secundo publice inhibemus et districtius, ne aliquis frater singularitatem habeat in modo vivendi, que de se induceret in scandalum vel errorem, et nullus frater singularis in oracionibus sive abstinenciis et modo vivendi quantumcumque eciam virtuoso alios pro secta et colligacione fienda ad se trahere audeat quoquomodo, et penas imponimus contrarium facientibus valde graves.

Tercio prohibemus districte sub penis determinatis et gravibus, ne aliquis ex proposito vel deliberacione et ex certa sciencia fratrem aliquem

---

4) Stephanus diffinitor Polonie *om.* H. — 5) inquisitor *om.* H. — 9) Gienisius] Genesius H. — 11) Albersthat] Albastrat G. — 12) Tyllingensis] Sylingensis H. — Sictuniensi] Sihtumensi GH. — 26) determinamus] determinavimus G. — 30) inhibemus] inibuimus H. — districtius] districte G. — 33) eciam *om.* H. — 34) imponimus] imposuimus H. — 36) prohibemus] prohibuimus H.

vel aliquos in communi spirituales vel de spiritu seu eciam spigolistas vel quovis nomine significante sectam vel colliganciam singularem appellare presumat (1).

In horum autem omnium firmitatem et robur ego frater Herveus, magister ordinis, presentes literas sigilli nostri et sigillorum omnium predictorum diffinitorum feci munimine roborari.

Datum Florencie post capitulum generale anno domini ·m°·ccc°·xxi°· die ·xviii^{a}· iunii.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXIII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD VIENNAM CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°·CCC°·XXII°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: Si vero medio tempore etc., deleatur totum usque ibi inclusive: loco ipsius diffinitor habeatur, et dicatur sic: Si vero dictum diffinitorem ad capitulum non venire aut presentem impediri contigerit, socius eius, si tunc presens fuerit, ipso iure loco ipsius diffinitor habeatur, nisi tunc superveniat diffinitor, qui non obstante diffinicione incepta per socium ipse diffiniat illa vice et socius illi cedat.

Item hanc: Cum ordo noster debeat se sancte Romane ecclesie, in quantum possibile est, in divino officio conformare et in eo precipue, quod per ordinem nostrum de mandato apostolico est confectum, volumus, quod officium de corpore Christi, per venerabilem doctorem fratrem Thomam de Aquino editum, ut asseritur, per totum ordinem fiat ·v^{a}· feria post festum trinitatis usque ad octavas inclusive, et dictum officium in ordinario in locis debitis annotetur.

18) dictum] electum A2FG. — presentem] mori vel *add.* A2FG. — 26) fratrem] sanctum F. — 27) ut asseritur *abraditur in* E. — 28) octavas] octavam A2F. —

(1) De variis huius temporis conatibus reformandi ordinem fusius disseremus in prolegomenis. In prioribus reformatoribus numeres eos, qui hic « spirituales » « de spiritu » « spigolistae » nuncupantur. De eodem argumento interim cf. MASETTI *Monumenta* etc. I. pag. 277 sqq.; de spiritualibus omnino legas EHRLE *Die Spiritualen* in *Archiv* etc. III. pag. 553 sqq. et praesertim pag. 611 sqq., quibus in paginis cl. autor de nostro ordine tractat.

Item hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: qui vero semel apostataverit vel de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur: aut carceri legitime et sentencialiter mancipatus fuerit, ad vocem non possit restitui sine licencia magistri ordinis speciali. Que restitucio per eumdem non fiat ante sex annos.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: Si quis autem, quod deus avertat, in peccatum carnis lapsus fuerit, addatur: aut furtum commiserit, quod sit notabile iudicio discretorum, vel literas magistri ordinis vel priorum provincialium seu sigilla eorum falsificaverit, vel falsificatis scienter usus fuerit, aut in prelatum suum manus iniecerit temere violentas aut quemcumque letaliter seu graviter et atrociter percusserit, aut infra septa monasterii supra se arma invasiva indebite portare presumpserit, aut aliquid predictorum fieri fecerit.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: Si quis autem de mala familiaritate etc. se non correxisse deprehensus fuerit, deleatur totum, quod dicitur usque ibi: provideatur ordinis honestati, et dicatur sic: precipiatur ei in virtute sancte obediencie per prelatum coram illis, coram quibus monitus fuit, si presentes fuerint, vel coram aliis discretis de consilio eorumdem, ut a tali familiaritate desistat. Quod si tale preceptum transgressus fuerit, postquam de hoc legitime constiterit, tanquam reus et convictus de suspecto crimine habeatur.

Item hanc: In capitulo de electione prioris conventualis et institucione subprioris, circa finem, ubi dicitur: tres fratres illius conventus, addatur: presentes et vocem in electionibus habentes.

Item et ibidem, ubi dicitur: eligant, deleatur: eligant, et dicatur: antequam comedant vel bibant, eligere teneantur, renunciacione qualibet non obstante.

Item hanc: In ordinario et rubrica de festo trinitatis, ubi dicitur: usque ad vesperas sequentis sabbati exclusive, deleatur: sabbati exclusive, et dicatur: ferie quarte exclusive, et addatur: feria ·v^a^· post festum trinitatis fiat de corpore Christi festum totum duplex cum octavis, quibus durantibus de quibuscumque aliis octavis preter diem octavam memoria tantum fiat. Si autem istud festum et nativitatis sancti Iohannis eadem die evenerit, in observancia eorum nos matrici ecclesie conformemus. Et hoc in ordinario in locis debitis annotetur.

Et volumus et ordinamus, quod omnes et singule supradicte inchoaciones et approbaciones medio tempore inviolabiliter observentur.

---

3) et] aut A2. — fuerit *om.* BG. — possit] posse F. — 8) deus *om.* F. — 9) vel] aut A2. — 12) seu] mortaliter *add.* E. — 17) ibi] inclusive A2. — 18) ei] sibi A2E. — 22) habeatur] puniatur A2. — 26) et] eciam E. — 27) vel] et EFG. — 34) sancti *om.* E. — Iohannis] Baptiste *add.* E. — 37) et *ante* volumus *om.* B. — 38) inchoaciones] ordinaciones E.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Ut excessus insolencium fratrum et eorum pena nullatenus occultentur, volumus et ordinamus, quod in singulis provinciis fiat unus liber per priorem provincialem, ubi excessus fratrum et eorum penitencie conscribantur et diligentissime conservetur. Quod si provincialem mori contigerit vel absolvi, volumus dictum librum in communi deposito sub certis sigillis conservari, quousque prior provincialis sit in provincia confirmatus, qui solus predictum librum recipiat et utatur eo, prout sua discrecio iudicabit.

Item. Ad tollendam fratribus omnem materiam turbacionis et scandali et precipue periculum animarum, volumus et ordinamus, quod omnes fratres et singuli servent districtissime interdictum in terris suppositis interdicto. Quod si aliqui inventi fuerint contrarium facientes, per eorum provinciales omnibus graciis ordinis sine dilacione priventur, nisi tale fuerit interdictum, quod secundum consilia peritorum ad ipsius observanciam fratres nostri nullatenus tenerentur.

Item. Cum ex institucione vicariorum cum plenitudine potestatis in diversis provinciis turbaciones quamplurime sint exorte, volumus et ordinamus, quod nullus provincialis presens in eadem provincia vicarium talem instituat, qui priorem ac lectorem mutandi habeat potestatem, nisi esset ita publicum dampnum conventus et scandalum per aliquem predictorum commissum, propter quod ipse prior provincialis, si presens esset, ab eorum officiis absolveret supradictos; nec supradicti vicarii nisi ex evidenti causa fratres amoveant de conventu. Istorum autem vicariorum auctoritas non duret nisi per decem dies in quolibet conventu ab ingressu.

Item. Ne fratrum insolencium excessus remaneant seu transeant impuniti, volumus et ordinamus, quod nulli apostate per provinciales et eorum vicarios ad alium ordinem transeundi licencia concedatur, nisi ipse apostata primo recipiatur ad carcerem inibi per duos annos continuos macerandus. Quod si aliquis provincialis vel eius vicarius secus fecerit, per magistrum ordinis acrius puniatur. Intelligimus autem de illo apostata, qui ante recessum suum fuit habitus criminosus.

Item. Ut demus materiam fratribus bona procurata per ipsos pro communi utilitate servandi, volumus et ordinamus, quod priores conventuales vel eorum vicarii de vestibus ipsis fratribus studeant providere. Quod si aliqui priores inventi fuerint contrarium facientes, per eorum provinciales in penam a suis officiis absolvantur.

2) nullatenus] ullatenus A2. — 10) tollendam] a *add.* F. — 13) contrarium] contra vim F. — 16) tenerentur] teneantur A2F. — 17) ex *om.* F. — 19) eadem] eius FG. — 20) ac] et B; vel A2F. — 23) nec] vel BEG. — 24) de] a A2FG. — 31) continuos *om.* E. — 33) autem de illo *om.* F. — 34) procurata] procreata F. — 36) conventuales] provinciales A2.

Item. Volumus, quod ordinaciones facte in capitulo Florentino immediate transacto, quod nulli detur licencia eundi extra conventum, de impedientibus correctionem de se vel aliis faciendam vel factam, de non eundo ad magistrum ordinis sine licencia sui provincialis, nec ad provincialem sine licencia sui prioris, inviolabiliter observentur (1).

Item. Ad reformandum ieiunium sancte crucis usque ad festum pasce, quod in quibusdam partibus ordinis dicitur non servari, volumus et ordinamus, quod priores vel eorum vicarii absque racionabili et evidenti causa in dicto ieiunio cum fratribus non dispensent. Quod si aliqui priores presentis ordinacionis fuerint transgressores, per priores provinciales, antequam legantur acta capituli provincialis, in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Ordinaciones in precedenti capitulo Florentino de non comedendo carnes, de studentibus mittendis ad studia generalia, de revocacione graciarum, de studentibus extraneis non exponendis ad confessionum audienciam secularium personarum, volumus inviolabiliter observari (2).

Item. Cum quilibet frater iuxta graciam sibi a domino datam debeat pro ordine laborare, volumus et ordinamus, quod lectores, qui non exponuntur officio lectionum aut suas lectiones non continuant, sicut debent, aliis officiis ordinis et in questis per priores vel eorum vicarios occupentur.

Item. Ordinaciones precedenti anno in generali capitulo factas de lectoribus non confirmandis in priores, de inquisitoribus heretice pravitatis, quod non extorqueant pecuniam, et quod sorores nostri ordinis habeant missam cum nota, et de ingressu ad monasterium sororum, et de magistro studencium in studiis generalibus, volumus inviolabiliter observari (3).

Item. Volumus et ordinamus, quod penitenciarii et socii prelatorum et principum, exceptis sociis cardinalium, fratres ordinis nostri dieta ordinis sint contenti, nec utantur carnibus ullo modo, nisi in casu, in quo per constituciones nostras usus carnium est concessus. Quod si aliqui predictorum inventi fuerint contrarium facientes, per eorum priores provinciales durissime puniantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod in provinciis, in quibus predi-

2) conventum] et *add.* A2EF. — 3) vel] et EF. — faciendam] fiendam A2G. — 6) ieiunium] a festo *add.* G. — 7) non] nunc F. — 13) precedenti] predicto E. — 17) item — observari *om.* BEF. — 19) continuant] continuent BE. — 24) ordinis] die qualibet *add.* A2G. — 30) in *post* nisi *om.* B. — 31) constituciones nostras] ordinem E.

(1) Cf. supra pag. 129 l. 15 sqq.; 130 l. 29 sqq.
(2) Cf. supra pag. 132 l. 3 sqq.; ibid. l. 30 sqq.
(3) Cf. supra pag. 133 l. 31 sqq.

catores generales adequant numerum conventuum potentes venire ad capitula, non fiant hoc anno predicatores generales.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis frater nostri ordinis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere sine ipsius magistri licencia speciali. Et vult prefatus magister, quod omnes fratres ad sequens generale capitulum accedentes supradicto astringantur precepto, exceptis fratribus illis, quibus per Romanam curiam ad eundum ad dictum capitulum directus esset accessus. Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro necessariis negociis ordinis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania more solito dicatur.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et beato Dominico in quolibet conventu in aliqua vacante feria singulis septimanis dicatur, et de beato Petro martyre ad minus semel infra quindenam sollempniter celebretur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Romane provincie, Ungarie, Polonie.

Item. Absolvimus priores conventuales Basiliensem, Augustensem, Bernensem, Sleztatensem, Ratisponensem, Cremensem, Rotwilensem, Nove civitatis, Eystetensem, Gamundiensem, Banbergensem. Et volumus et ordinamus, quod predicti absoluti in eisdem conventibus et provinciis ad eadem officia isto anno nullatenus assumantur.

Numerus missarum pro vivis ascendit usque ad ·lviii· missas.

Numerus missarum pro defunctis ascendit usque ad ·xxii·

Item. Concedimus provincie Ungarie unum conventum in Sabes (1).

Item. Provincie Tholosane duo monasteria sororum.

Item. Provincie Lombardie inferioris unum monasteriorum sororum.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Petrum de Palma de provincia Francie (2).

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et

---

3) item] preceptum E. — 9) tamen] tunc F. — 12) dictam *om.* F. — 13) letania] item letania A2. — 14) et] de *add.* E. — 18) iste — procurentur *om.* A2E. — 19) Ungarie] et *add.* G. — 21) Sleztatensem] Slestat H. — Cremensem, Rotwilensem, Nove civitatis *om.* F. — Rotwilensem] Rotwilrensem F. — 22) Banbergensem] Babinbergensem F. — 25) numerus — procurentur *om.* F; — numerus — ·XXII· ista sunt suffragia etc. G. — 27) item *om.* G. — Sabes] Soes G. — 28) Tholosane] Theutonie G. — 30) assignamus] misimus G. — isto anno *om.* G. — 31) de provincia Francie *om.* B. — 32) committimus — procurentur *om.* G.

---

(1) « Sabes » forsitan « Soybiniensis »; cf. FERRARIUS *De rebus Hungaricae provinciae Ord. Praed.* Viennae Austriae MDCXXXVII, pag. 529.

(2) De fr. Petro de Palma cf. supra pag. 136 l. 15.

aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, ut generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus in Barchillona in provincia Aragonie; et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam ·vi^am^· pentecosten immediate precedentem.

Quicumque contrarium fecerit, ex vi presentis ordinacionis, sit per biennium omni voce privatus.

Volumus, quod diffinitores anni presentis et socii eorumdem in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipiantur et caritative tractentur et secundum facultatem conventuum commodius procurentur.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXIV.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD BARCHINONAM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XXIII°.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: quilibet vero prior provincialis potestatem habeat mittendi duos fratres ydoneos ad studendum, deleatur totum, quod sequitur usque ibi: quod si aliqua dictarum provinciarum etc.

Item hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: condignam agat penitenciam, addatur sic: si quis vero peccatum contra naturam commiserit, pro qua deberet convictus in seculo pena mortis merito condempnari, carcerali custodie perpetuo recludatur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: si vero, medio tempore, deleatur totum usque ibi inclusive: loco ipsius diffinitor habeatur, et dicatur sic: si vero dictum diffinitorem ad capitulum non venire aut presentem mori, aut impediri contigerit, socius eius, si tunc presens fuerit, ipso iure loco

17) in — amen *om.* A2. — 18) hec sunt *om.* A2F. — 19) apud Barchinonam] Barchinone E. — 23) vero *om.* BF. — 24) quod sequitur *om.* F. — si] in *add.* F. — 26) condignam] dignam A2. — 27) agat] agant B. — 32) ubi dicitur *om.* B. — 33) et dicatur sic *om.* A2. — 34) aut] impediri A2B. — 35) eius *om.* F.

ipsius diffinitor habeatur, nisi tunc supervenerit diffinitor, qui non obstante incepta diffinicione per socium ipse, diffiniat illa vice, et socius illi cedat.

Item hanc: Cum ordo noster debeat se sancte Romane ecclesie, in quantum est possibile, in divino officio conformare, et in eo precipue, quod per nostrum ordinem de mandato apostolico est confectum, volumus, quod officium de corpore Christi per venerabilem doctorem fratrem Thomam de Aquino editum, ut asseritur, per totum ordinem fiat ·v^a^· feria post festum trinitatis usque ad octavas inclusive, et dictum officium in ordinario in locis debitis annotetur.

Item. In capitulo de apostatis, ubi dicitur: qui vero semel apostataverit vel de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur: aut carceri legitime et sentencialiter mancipatus, ad vocem restitui non possit, sine licencia magistri ordinis speciali; que restitucio non fiat per eundem ante sex annos.

Et volumus et ordinamus, quod omnes et singule inchoaciones supradicte et approbaciones medio tempore inviolabiliter observentur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: si quis autem, quod deus avertat, in peccatum carnis lapsus fuerit, addatur sic: aut furtum commiserit, quod sit notabile iudicio discretorum, vel literas magistri ordinis vel priorum provincialium seu eorum sigilla falsificaverit vel falsificatis usus fuerit scienter aut in prelatum suum manus temere violentas iniecerit aut quemcumque letaliter seu graviter et atrociter percusserit aut infra septa monasterii arma supra se invasiva indebite portare presumpserit aut aliquid predictorum fieri fecerit.

Item hanc: In eodem capitulo ubi dicitur: si quis autem de mala familiaritate etc. se non correxisse deprehensus fuerit, deleatur totum, quod sequitur usque ibi: provideatur ordinis honestati, et dicatur sic: precipiatur ei in virtute sancte obediencie per prelatum coram illis, coram quibus monitus fuerat, si presentes fuerint, vel coram aliis discretis de consilio eorumdem, ut a tali familiaritate desistat. Quod si tale preceptum transgressus fuerit, postquam de hoc legitime constiterit, tanquam reus et convictus de suspecto crimine habeatur.

---

1) loco ipsius *om* B. — supervenerit] superveniat A2. — 2) illa] ipsa B. — 4) hanc *om.* B. — 5) possibile] eciam *add.* B. — 9) festum] octavas E. — 12) manifeste *om.* A2. — addatur *om.* A2. — aut *om.* E. — 13) mancipatus] fuerit *add.* A2E. — possit] valeat B. — 14) sine] nisi de B. — ordinis *om.* E. — 15) eundem] eum A2. — 16) singule *om.* B. — 17) supradicte *om.* A2FG. — 20) addatur *om.* A2. — 21) sic *om.* BG. — aut] vel BF. — notabile] de *add.* A2E. — indicio] consilio A2. — 22) vel] aut E. — 23) aut] vel B. — 24) letaliter] letanter B. — 25) septa] septam B. — 29) quod sequitur *om.* A2. — provideatur] provideat A2BFG. — ordinis honestati] de ordinis honestate A2. — 30) ei] sibi A2. — coram *om.* A2.

Item hanc: In capitulo de electione prioris conventualis et institucione supprioris, ubi dicitur circa finem: tres fratres illius conventus, addatur: presentes et vocem in electionibus habentes.

Item. Et in eodem capitulo, ubi dicitur: eligant, deleatur: eligant, et dicatur: antequam comedant et bibant, eligere teneantur renunciacione qualibet non obstante.

Item hanc: In ordinario et rubrica de festo trinitatis, ubi dicitur: usque ad vesperas sabbati sequentis exclusive, deleatur: sabbati exclusive, et dicatur: feria ·iiii^{a}· exclusive, et addatur: feria ·v^{a}· post festum trinitatis fiat officium de corpore Christi totum duplex cum octavis; quibus durantibus de quibuscumque aliis octavis, preter diem octavam memoria tantum fiat; si autem istud festum et nativitatis sancti Iohannis eadem die evenerit, in observancia eorum nos matrici ecclesie conformemus. Et hoc in ordinario in locis debitis annotetur.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: quod nullus recipiatur infra decem et octo annos, de fratribus conversis dumtaxat recipiendis intelligatur.

Item. Declaramus, quod ad priorem non spectat ordinare vel ullatenus se intromittere de die instituendo vel tempore eorum, que ad tractatum capituli sunt agenda.

Item. Declaramus, quod si quis predicator generalis existens voce privetur, non propter hoc intelligitur privatus fore officii potestate, sed usu sigilli dumtaxat eo tempore, quo voce privatur. Si vero omnibus graciis ordinis privetur simpliciter, eiusdem eciam officii potestate et usu simpliciter est privatus.

Insuper declaramus, quod predicatores generales, quando instituendi sunt, debeant in actis capituli promulgari et non per literas fieri; et si qui hactenus per literas facti sunt, pro non factis habeantur.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum in multis conventibus invenerimus constituciones nostras corruptas esse vel simpliciter non haberi, imponimus prioribus et supprioribus universis, quatenus dictas constituciones infra annum a recepcione presencium in suis conventibus habeant integras et correctas. Si qui vero inventi fuerint hoc neglexisse, volumus et mandamus, quod in penam

2) circa finem *om.* F. — 3) presentes et *om.* B. — electionibus] electione B. — 4) in eodem capitulo] ibidem A2E; eciam ibidem FG. — 5) et] vel *ante* bibant A2. — 9) dicatur] addatur A2. — quarta] quinta F. — 10) officium] festum F. — 11) preter diem] infra dictam E. — 12) nativitatis] nativitas A2B. — Iohannis] Baptiste *add.* A2. — 16) quod *om.* F. — 19) quod — ullatenus *om.* G. — spectat] expectat A2. — 20) eorum] ad ea B. — 23) privetur] privatur FG. — propter hoc intelligitur *om.* A2. — 25) simpliciter] similiter E. — eciam *om.* A2. — 27) insuper] item eciam E. — 28) debeant] debent G. — 29) hactenus *om.* A2. — sunt *om.* F. — 33) quatenus] quod EF. — 34) suis *om.* A2. — 35) neglexisse] et *add.* A2. — mandamus] ordinamus B.

a suis officiis absolvantur et nichilominus de bonis appropriatis ipsorum constituciones prefate de bona litera ibi fiant integre et correcte.

Item. Cum ieiunium sancte crucis propter indiscretas dispensaciones in multis conventibus notabiliter sit çollapsum, volumus et mandamus, quod inviolabiliter ab omnibus observetur, nec priores seu eorum vicarii secum vel cum aliis audeant dispensare, nisi causa evidens et racionabilis hoc exposcat; et insuper cum iuvenibus non sacerdotibus dispensetur, prout et quando, qui preest indicaverit convenire; et imponimus visitatoribus universis, quod de huiusmodi transgressione diligenter inquirant; et si quos invenerint notabiliter excessisse, tales in penam ante lectionem actorum in sequenti provinciali capitulo absolvantur.

Item. Quoniam multa religionis dissipacio sequitur, cum priores a sequela communitatis notabiliter se absentant, volumus et ordinamus, quod priores, qui quantum ad chorum, refectorium et dormitorium communia non sequuntur, per priores provinciales in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Quia exigit iusticie rectitudo, ut integraliter creditoribus restituatur pecunia mutuata, volumus et ordinamus, quod si quis per se vel per alium mutuum contraxerit, quod statuto tempore solvere non possit, pena graviori culpe debita puniatur, quam ad minus per unum mensem facere teneatur.

Item. Quia libri sunt profectui studencium singulariter opportuni, volumus et ordinamus, quod libri in catenis vel armario communi usui deputati per priores vel eorum vicarios sive per conventum impignorari, vendi, commodari vel quomodolibet alienari non possint; si qui vero contrarium fecerint, cogantur per priores provinciales de bonis sibi appropriatis valorem libri seu librorum pro communi armario deputare.

Item. Volumus et ordinamus, quod ordinacio capituli Rothomagi de fratribus, quod se de medicinalibus nullatenus intromittant (1), et ordinaciones in precedenti capitulo Viennensi facte de interdictu servando cum penis ibi positis penitus observentur (2).

---

4) collapsum] obnexum A2. — mandamus] ordinamus A2B. — 5) seu] vel A2B. — 6) et] vel E. — 7) et racionabilis *om.* G. — hoc exposcat] sit B. — et *om.* B. — non sacerdotibus *om.* BF. — 9) huiusmodi] eiusmodi EFG. — 11) provinciali *om.* A2. — 12) quoniam] quia F. — 13) communitatis] communi B; communium F. — notabliter *om.* G. — 15) communia] commune A2E. — 17) integraliter] propriis *add.* G. — 18) et ordinamus *om.* G; ordinamus] mandamus F. — per se *om.* F. — 20) debita] debite A2G. — 21) facere *om.* G. — 23) vel] et in B. — armario] et *add.* A2. — 24) sive per] vel A2. — 25) vendi] ac *add.* EF. — 28) volumus et ordinamus *om.* E. — ordinacio — et *om.* B. — Rothomagi] Rotomagensis F. — 29) medicinalibus] medicina A2. — et] item quod A2F. — 30) precedenti *om.* A2. — facte *om.* A2G. — 31) ibi] ibidem B. — penitus observentur *om.* B.

---

(1) Cf. supra pag. 122 l. 13 sqq.

(2) Cf. supra pag. 140 l. 10 sqq.

Item. Quod ordinacio facta in capitulo Caturcensi contra infamatores et detractores cum penis ibidem adiectis immobiliter observentur (1).

Item. Cum ars, que alchimia vocatur, sit in pluribus capitulis generalibus districte et sub gravioribus penis prohibita, et adhuc ex hoc in diversis locis ordinis pericula scandalosa surrexerint, precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu in virtute spiritus sancti et sub pena excommunicacionis late sentencie, fratribus universis, quod nullus in dicta arte studeat vel discat, operetur vel faciat operari, et scripta de ea, si que habet, nulla teneat, sed infra octo dierum spacium a noticia presencium ea destruat et comburat; in secus autem facientes sentenciam excommunicacionis incurrant, quam magister ordinis in capitulo tulit publice in scriptis et eos nichilominus, de quibus legitime constiterit, ex tunc adiudicat custodie carcerali. Si qui tamen tales aliquos sciverint operari et prelatis suis non manifestaverint, pene gravioris culpe debita subiacebunt.

Item. Quia in quibusdam provinciis invenimus fratres conversos colorem in parvis scapularibus non servare, qui in nostris constitucionibus edocetur, quapropter a fratribus clericis in colore minime vel modicum distinguuntur, ordinamus et inhibemus districte, quatenus parva scapularia ita patentis grisei coloris deferant, quod a scapularibus clericorum clarissime distinguantur. Qui vero post mensem a noticia presencium contrarium fecerint, ex tunc teneantur in pane et aqua diebus singulis ieiunare, quousque plenam correctionem fecerint de predictis. Insuper volumus et mandamus, quod priores eorum, nisi in predictis correxerint delinquentes, eandem penam teneantur et debeant adimplere. Eamdem eciam penam imponimus quantum ad conversos formam constitucionis in maioribus scapularibus non tenentes et quantum ad priores, qui iuxta modum predictum et tempus taxatum eos non coegerint ad servandum.

Item. Cum fratres aliqui in confusionem ordinis et dampnacionem animarum suarum correctionem de se vel de aliis fiendam vel iam factam procurent impedire et gravamina inferri aliis fratribus per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas, volumus et ordinamus, quod

1) item quod] et B; quod *om.* F. — facta *om.* B. — 4) generalibus *om.* A2. — gravioribus] gravibus F. — 5) locis] partibus B. — pericula scandalosa] periculosa scandala E. — 6) assensu] consensu A2. — spiritus sancti] sancte obediencie A2. — 7) fratribus universis *om.* A2E. — 8) discat] addiscat E. — operetur vel faciat *om.* F. — 9) ea] eadem F. — 11) incurrant quam *om.* A2 BG. — 12) capitulo] precedenti *add.* F. — 13) tamen] autem A2F. — 14) aliquos *om.* A2EF. — sciverint operari] fuerint operati A2. — 17) in parvis *om.* G. — 18) edocetur] edocentur B. — in colore *om.* A2. — 20) patentis] patencia A2. — coloris] coloricio F. — deferant] portent G. — 21) clarissime] latissime F. — 26) imponimus] quibus *add.* G. — 29) aliqui *om.* F. — dampnacionem] dampnum A2B. — 30) aliis] alio F. — 31) per personas] et personis F. — 32) nostri *om.* A2E. — constitutas] constitutis F. — ordinamus] mandamus B.

(1) Cf. supra pag. 115 l. 1 sqq.

quicumque talis inventus fuerit, pene culpe subiaceat gravioris et omnibus graciis ordinis sit privatus, ad quas restitui non valeat nisi per magistrum ordinis ac diffinitores capituli generalis.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus mittat vel mitti procuret aliquem fratrem ad studium generale, quem scit aut verisimiliter credit insufficientem et ineptum ad scienciam vel malum in vita.

Insuper mandamus et inhibemus districte arctando consciencias singulorum, quod nullus ad lectoriam principalem vel lectionem sentenciarum in quocumque conventu promoveatur vel promoveri per aliquem procuretur, nisi prius de aptitudine et sufficiencia ad actus prefatos et de laudabili vita in moribus, qui promovere habuerint, per veritatis testimonium informentur.

Item. Quoniam multi ambicione detestabili elati sibi indebite honores querunt et importune a personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis, unde turbacio et scandala sepius sunt exorta, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, quod nullus procuret per se vel per alium, verbo vel scripto, officium, statum, gradum vel promocionem aliquam pro se sive pro alio in ordine vel extra ordinem impetrandam.

Insuper eodem precepto astringit illos, qui quantum ad premissa procuraverint aliquem impediri vel ab adeptis ullatenus amoveri. Qui vero contrarium fecerint, sentenciam excommunicacionis late sentencie ipso facto se noverint incurrisse, quam sentenciam prefatus magister iuridice protulit in publico capitulo Barchinone de diffinitorum consilio et assensu (1). Volumus autem et districte mandamus prioribus provincialibus universis, quatenus de predictis diligenter inquirant, et si quos inveniant preterito tempore deliquisse, iuxta constitucionis nostre tenorem denuncient eos voce privatos et nichilominus eos deferri faciant ad sequens capitulum generale.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis fratrum nostri ordinis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat acce-

3) ac] et BG. — 5) vel] sive A2G. — 7) vel] et A2. — 10) per aliquem *om.* B. — 11) procuretur] procuret A2. — 12) in] et F. — per veritatis *om.* G. — 14) multi] plurimi A2FG. — detestabili] detestanda A2F. — 15) importune] procurant A2. — 16) exorta] aborta F. — 18) nullus *om.* F. — per *ante* alium *om.* B. — 19) aliquam *om.* F. — 20) sive] vel A2B. — impetrandam *om.* A2. — 22) adeptis] habitis E. — amoveri] impediri B. — 24) prefatus *om.* F. — magister] ordinis *add.* EF. — 25) Barchinone *om.* A2BF. — 26) mandamus] imponimus A2. — 27) quatenus] quod EG. — diligenter *om.* A2. — 29) eos *om.* B. — 31) in virtute sancte obediencie *om.* B. — 32) fratrum *om.* B. — 33) aut] et B; vel A2. — presumat] audeat A2.

(1) Cf. supra pag. 114 l. 21 sqq.; loco « Barchinonae » legas « Caturci ».

dere, neque de suo conventu iter assumere cum intencione ad eamdem curiam Romanam accedendi sine eiusdem magistri licencia speciali, concedit tamen magister singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania more solito dicatur.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et de beato Dominico in quolibet conventu in aliqua vacante feria singulis septimanis et de beato Petro martyre ad minus semel in quindena sollempniter celebretur.

Item. Volumus et mandamus, quod illud verbum, quod sic in martyrologio ponitur: ·xiiii· kalendas aprilis apud Vezelliacum translacio sancte Marie Magdalene, inde penitus deleatur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Theutonie, regni Sicilie et provincie Provincie.

Item. Absolvimus priores conventuales Maioricensem, Sagocensem, Pampilonensem, quos in penam absolvimus, quia a sequela communitatis se notabiliter abstraxerunt.

Item. Cesaraugustanum, quem eciam in penam absolvimus, quia instante tractatu de socii electione fratres aliquos denunciavit voce privatos, cum tamen causa privacionis debita non subesset, sicut per magistrum ordinis et diffinitores in capitulo publice extitit declaratum.

Item. Tarraconensem. Et volumus, quod priores in isto capitulo absoluti non possint resumi in eisdem provinciis vel conventibus ad eadem officia isto anno.

Iste sunt penitencie.

Quoniam fratres Iacobus de Buscho, prior Coloniensis de provincia Theutonie, priorem provincialem Dacie redeuntem de capitulo preterito Viennensi male recepit et irreverenter tractavit, eum a suo officio in penam absolvimus.

Item. Fratrem Simonem, vicarium provincie Ungarie, quia diem electionis prioris provincialis instituit, in quo impossibile erat diffinitori capituli generalis eiusdem provincie et socio ipsius interesse, nisi ob-

---

2) Romanam *om.* BF. — magistri] ordinis *add.* A2FG. — 3) tamen] predictus *add.* EF. — 11) quod sic *om.* B. — 12) ponitur *om.* B. — aprilis *om.* G. — aprilis] quod dicit *add.* A2EFG. — Vezelliacum] Verselayum A2; Vocelaicum E; Vicceliaseum G. — 13) sancte] beate A2B. — inde *om.* E. — 14) iste — melius procurentur *om.* E; iste — anno *om.* B. — 17) Sagocensem] Sangonensem A2; Sangocensem F. — 19) communitatis] communium F; communi G. — abstraxerunt] subtraxerunt FG. — 21) denunciavit] denunciamus fore F. — 22) debita *om.* G. — 24) capitulo] anno G. — 28) prior] supprior A2FG. — 29) de provincia Theutonie *om.* G. — Dacie *om.* A2. — 30) et irreverenter *om.* G. — irreverenter *om.* A2. — suo] superioratus A2F; prioratus G. — 31) in penam *om.* A2. — 32) Simonem] Amonem F.

misso itinere ad capitulum generale, in penam absolvimus a dicto officio vicarie.

Notum facimus fratribus universis, quod fratres Pomenum, Blasium, Eliam et Iohannem de provincia Boemie, qui fuerunt in capitulo generali Lugdunensi puniti et de sua provincia remoti et graciis omnibus privati (1) et fratres Casimirum, Huslanum, Littaldum, Ciborium et Noylaum, qui voce privati fuerunt in capitulo generali Florencie celebrato, restituimus ad vocem et ad gracias ordinis supradictas, necnon et emissos ad ipsam provinciam Boemie revocamus.

Assignamus ad legendum Parisius sentencias fratrem Iohannem Fortem de provincia Aragonie.

Damus in vicarium provincie Provincie fratrem Bernardum Lombardi, priorem Avinionensem (2).

Summa missarum pro vivis quinquaginta due misse.

Summa missarum pro defunctis viginti due misse.

Pro qualibet missa superius posita clericus non sacerdos septem psalmos cum letania, et quilibet conversus centum pater noster cum totidem Ave Maria dicat.

Concedimus provincie Aragonie unam domum, ubi provinciali cum diffinitoribus visum fuerit expedire.

Item. Provincie Ungarie concedimus duas domos: unam in Braso, aliam in Gaza ponendas.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et baccalareis et lectoribus biblie disponat, prout communi utilitati ordinis viderit expedire.

Sequens capitulum generale assignamus apud Burdigalam in provincia Tolosana; et ordinamus, quod diffinitores, qui ibi diffinient, veniant die dominica infra octavas ascensionis domini.

Nullus, quamvis habeat licenciam ad capitulum veniendi, intret locum capituli nisi feria sexta ante festum pentecostes.

---

1) dicto *om.* F. — 3) fratribus *om.* F. — 5) et *ante* de *om.* G. — sua] eorum A2. — et] ac A2. — 6) Casimirum] Baciminum A2; Rathimirum G. — Huslanum] Boscalaum A2: Bollanum F: Huanum H. — Littaldum] Suspoldum A2; Liccolaum F; Billandum H. — Ciborium] Stibarium A2. — 7) et Noyllaum *om.* F. — Noylaum] Nelaum A2. — 10) assignamus — Aragonie *om.* A2 G. — 12) damus — viderit expedire *om.* B. — 14) summa — dicat *om.* A2 F. — 21) item *om.* FG. — unam — ponendas *om.* A2. — in — ponendas] ponendam in Braso aliam in Gara FG. — 23) committimus — expedire *om.* A2. — 26) apud Burdigalam] Burdegale A2. — 27) et — procurentur *om.* B. — ibi] anno futuro G. — diffinient] illuc *add.* G. — 29) quamvis] autem alius eciamsi F. — ad capitulum veniendi *om.* A2. — 30) nisi — privatos] ante feriam sextam vigiliam pentecostes immediate precedentem. Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel loco capituli cum intencione veniendi appropinguaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium voce privati FG.

---

(1) Cf. supra pag. 111 l. 31 sqq.

(2) De fr. Bernardo Lombardi cf. SSOP. I. pag. 560.

Quicumque autem loco capituli appropinquaverint vel de conventu suo cum intencione veniendi ad capitulum recesserint sine licencia, ex vi presentis ordinacionis sciant se per biennium voce privatos.

Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis cum pueris eorumdem in redeundo de capitulo generali bene recipiantur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXV.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD BURDIGALAM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XXIIII°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus, quod de sancto Thoma de Aquino, venerabili doctore, fiat per totum ordinem septima die marcii totum duplex et in letania immediate post beatum Dominicum nominetur; et illud officium per totum ordinem uniformiter habeatur, de quo magister ordinis providebit, cui ex nunc committimus de predicto officio providendum; et hoc tam de festo quam de officio suis locis in kalendario et ordinario annotetur. Volumus autem et ordinamus, quod interim de eo sicut de uno confessore officium per totum ordinem celebretur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: quilibet prior provincialis potestatem habeat mittendi duos fratres ad studium, deleatur totum, quod sequitur, et dicatur: quod si in aliqua dictarum provinciarum etc.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: Scilicet quod officium corporis Christi per venerabilem doctorem fratrem Thomam de Aquino editum, ut asseritur, per totum ordinem fiat feria ·v^a^· post festum trinitatis usque ad octavas inclusive, et dictum officium in ordinario in locis debitis annotetur.

---

4) volumus — procurentur *om.* A2. — 5) bene] et curialiter *add.* F. — 8) In isto capitulo fuit electus in magistrum ordinis reverendus pater frater Barnabas Lombardus, erat autem tunc prior provincialis Lombardie superioris; in hoc eciam capitulo fuerunt novem magistri videlicet fr. Matheus de Ursinis provincialis Romanus postmodum factus cardinalis per dominum Iohannem papam in ieiuniis ·IIII^or^· temporum adventus anno dom. ·m°· ccc°· xx°· vii°·, fr. Hugo de Vausamann provincialis Francie, fr.... provincialis Anglie, fr. Io. de Neapolim (!) elector, fr. P. de Parma elector, fr. Benedictus de Cumis, fr. Iohannes de Pratis gallicus et inquisitor Carcassonensis, fr. Ugo de Marciaco Albiensis et fr...... *add. in marg.* A2. — In quo capitulo fuit electus in magistrum ordinis fr. Barnabas Vercellensis Lombardie superioris actu provincialis *add. in marg.* E. — 9) hec sunt *om.* A2F. — 16) uniformiter *om.* E. — 20) officium *om.* A2E. — 24) dictarum *om.* E. — 27) corporis] de corpore A2. — 28) fratrem] sanctum BE; *om.* A2F. — de Aquino *om.* F.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: si quis tale quid extra monasterium commiserit, ad lapsum carnis iuxta constitucionis seriem tantummodo referatur.

Item hanc, ubi dicitur: Volumus, quod de corpore Christi officium editum per beatum Thomam de Aquino, ut asseritur, per totum ordinem fiat, illud officium a beato Thoma editum dicimus, quod a capitulo Barchinonensi ad omnes provincias fuit missum.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum electiones nostre maxime libere esse debeant et omni nota coactionis carere et inveniremus, quod notabiles excessus circa assignaciones fratrum ad conventus et mutaciones ab eisdem, imminentibus electionibus, in quibusdam provinciis sint commissi, districte iniungimus prioribus provincialibus et quibuscumque vicariis, quod infra mensem ante electiones quascumque novas assignaciones et mutaciones fratrum non faciant in conventibus, ubi huiusmodi electiones fuerint celebrande, nisi pro officio lectorie vel pro gravi scandalo evitando vel nisi in capitulo provinciali in loco ipsius provincialis capituli, sicut in aliquibus provinciis fieri est consuetum. Quod si contrarium factum fuerit, huiusmodi assignaciones seu mutaciones quoad vocem suum non sorciantur effectum. Suppriores autem imminentibus electionibus et tractatibus a suis officiis nullatenus absolvantur.

Item. Cum invenerimus in quibusdam provinciis multos conventus carere lectoribus contra nostri ordinis instituta, volumus ac districte iniungimus prioribus provincialibus universis, quod singulis conventibus suarum provinciarum, postposita quacumque excusacione, provideant de lectore; ubi autem fratres ad hoc ydoneos esse contigerit in aliis officiis occupatos, volumus, quod a suis officiis absolvantur, si de lectoribus non posset aliter provideri; adiicientes, quod studentes redeuntes de studio generali non fiant priores vel suppriores usque post tres annos. Et ut predicta valeant melius observari, volumus et ordinamus, quod studentes in facultate quacumque teneantur continue sequi scolas, disputaciones, collaciones in ·vi· feriis, repeticiones eciam lectionum ante prandium quoque, quando actu non legitur, in studio seu collacione scientifica se occupent, quantum possunt. Qui autem circa hoc inventi fuerint negligentes, a studiis absolvantur. Ceteri autem fratres non studen-

1) iste sunt declaraciones *om.* A2. — 6) de Aquino *om.* G. — 7) illud — editum *om.* A2. — 8) omnes *om.* G. — 10) nostre *om.* A2E. — 13) districte *om.* A2: districte iniungimus] quibuslibet inhibemus B. — 14) quibuscumque] quibuslibet B. — 16) ubi] in quibus A2. — 18) ipsius *om.* G. — sicut] sint A2G. — 19) fieri *om.* F. — 22) a suis officiis *om.* A2. — 24) ac] et A2F. — 27) fratres *om.* A2. — 30) studio generali] studiis generalibus A2. — vel] et E. — post] ad B. — 31) predicta] omnia *add.* F. — 33) sextis feriis] sexta feria B. — 34) quoque quando] quandocumque G. — 35) hoc] hec G.

tes per penas graves sequi scolas continue et studio vacare a suis prioribus compellantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod fratres iuniores non mittantur ad studia arcium nec ad sacros ordines promoveantur, nisi sint in divino officio et grammaticalibus sufficienter instructi.

Item. Cum ad exaltacionem catholice fidei inquisitores heretice pravitatis omni nota cupiditatis aut nimie sumptuositatis mundos esse deceat et immunes, districtione, qua possumus, imponimus inquisitoribus universis, quod singulis annis, semel de receptis et expensis pro inquisicionis officio suis provincialibus racionem reddant claram et integram et perfectam. Et volumus, quod provinciales eorum racionem ab eis exigant, eciam per preceptum. Quicumque autem inventi fuerint in pecuniarum recepcionibus vel in immoderatis expensis notabiliter excessisse, a suis officiis absolvantur.

Item. Cum plurimi fratres ambicione detestanda elati sibi indebite honores querant et importune procurent per personas extra obedienciam ordinis constitutas, unde scandala et turbaciones sepius sunt exorta, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencię de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, quod nullus procuret per se vel per alium verbo vel scripto officium, gradum, statum vel promocionem aliquam pro se sive pro alio in ordine obtinendam. Insuper, eodem precepto astringit illos, qui procuraverint aliquem impediri quantum ad premissa vel ab adeptis ullatenus amoveri. Qui vero in aliquo predictorum contrarium fecerint, sentenciam excommunicacionis late sentencie ipso facto se noverint incurrisse; quam sentenciam prefatus magister coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu.

Item. Omnes gracias a reverendo patre magistro Herveo, quondam magistro ordinis, per litteras patentes concessas fratribus quibuscumque magister ordinis approbat et confirmat.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis frater nostri ordinis, cuiuscumque status aut condicionis existat, ad Romanam curiam presumat accedere neque de suo conventu iter assumat cum intencione ad eamdem Romanam [curiam] accedendi sine eiusdem magistri licencia speciali. Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

7) nimie] minime F. — 10) et *om.* A2. — 11) et volumus — preceptum *om.* E. — 12) eciam *om.* BE. — 13) in *om.* BE. — 19) vel] nec *ante* per F. — 20) vel *post* statum *om.* F. — 22) aliquem] alium A2. — quantum — vel *om.* E. — 23) ab *om.* A2E. — 24) contrarium *om.* F. — 26) ipsorum] dictorum B; *om.* F. — 28) magistro] nostro fratre F. — 29) quibuscumque] reverendus *add.* A2FG.

Letania more solito dicatur.

Item. Ordinamus, quod missa de beata virgine et de beato Dominico in quolibet conventu, in aliqua vacante feria singulis septimanis, ac de beato Petro martyre ad minus semel in quindena sollempniter celebretur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: provincie Tholosane, Provincie.

Absolvimus priores conventuales: Tholosanum, Carcassonensem, Rivenensem, Albiensem, Bellividere, Petragoricensem, sancti Severini, Marciaci; et volumus, quod priores in isto capitulo absoluti non possint restitui in eisdem provinciis vel conventibus ad eadem officia isto anno.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre et domino nostro domino Iohanne dei gracia summo pontifice quilibet sacerdos ·iiii· missas.

Numerus missarum pro vivis quinquaginta quatuor.

Pro defunctis viginti.

Notum facimus fratribus universis, quod frater Andreas diffinitor pro provincia regni Sicilie, rediens de capitulo generali Barcinone celebrato, mortuus fuit in via.

Item. Notum facimus, quod diffinitor pro provincia Dacie, veniens Burdigalam ad capitulum generale, mortuus est in via.

Assignamus Parisius ad legendum sentencias isto anno fr. Guillielmum de Costa de provincia Francie.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et bachalariis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire. Ordinacionem vero de bachalariis et magistris studencium in generalibus studiis volumus inviolabiliter observari (1).

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus apud Herfordiam in provincia Saxonie; et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

4) ac] et A2BG. — 6) iste — missas *om.* G. — iste — procurentur *om.* BE. — 7) provinciales] provincialem A2. — Provincie *om.* A2. — 9) Bellividere] Bellividensem F. — 11) restitui] resumi A2. — 12) ista — viginti *om.* FH. — 15) numerus — viginti] etc. A2. — quinquaginta quatuor] quadraginta G; numerus missarum *add.* G. — 17) notum — via *om.* G. — 20) item — via *om.* G. — pro provincia *om.* A2. — 30) Que assignacio capituli non fuit sortita suum effectum, set de voluntate domini Iohannis summi pontificis fuit revocatum et conventui Veneciano assignatum in provincia Lombardie superioris *add. in marg.* A2. — apud *om.* A2. — 31) et — procurentur *om.* H. — qui] hoc *add.* F.

(1) Cf. supra pag. 125 l. 19 sqq.

Nullus autem alius frater, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante ·vi^am^· feriam vigiliam penthecostes immediate precedentem. Quicumque vero sine licencia ad capitulum venerint vel loco capituli cum intencione veniendi appropinquaverint, ex vi presentis ordinacionis sint per biennium omni voce privati.

Volumus et ordinamus, quod diffinitores anni presentis et socii eorumdem cum pueris in redeundo de capitulo generali bene et curialiter recipiantur et caritative tractentur et secundum facultatem conventuum melius procurentur.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXVI.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD VENECIAS CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XXV°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: hoc excepto, quod eos includi sicut in electione magistri non oportet, addatur sic: quod si magister ordinis aliquem fratrem illius provincie vicarium instituerit in eadem, volumus ipsum vicarium in electione predicta habere vocem.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: quos instituendi nullus vicarius eciam cum diffinitoribus, addatur: nec diffinitores sine consensu prioris provincialis habeant potestatem; volumus autem hoc medio tempore inviolabiliter observari.

Item hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: si quis autem peccaverit et socio suo confiteri voluerit, deleatur totum usque ibi: si quis autem de mala familiaritate.

Item hanc: In capitulo de domibus concedendis et construendis, ubi dicitur: loco illius alius assignetur, addatur sic: ille vero conventus, qui pro illo tempore dictum duodenarium numerum non habebit, ad ea, que tractanda sunt in capitulo provinciali sive in electione provincialis, quoad priorem et socium et electores provincialis nullatenus admittatur, nisi forte illo anno per fratrum obitum dictus numerus fuerit diminutus, provinciis Ierosolymitane et Grecie dumtaxat exceptis.

---

1) frater *om.* A2. — 6) anni presentis *om.* A2. — 7) eorumdem] eorum F. — curialiter] sollempniter F. — 9) procurentur] expliciunt acta capituli generalis etc. *add.* F. — 12) hec sunt *om.* A2. — 13) apud Venecias] Veneciis A2. — 16) prioris *om.* A2. — 17) hoc *om.* A2. — 19) instituerit] constituerit F. — 20) predicta *om.* A2 E. — 22) instituendi] instituens A2. — 24) inviolabiliter *om.* A2. — 25) in capitulo *om.* F. — 26) et *om.* G. — 31) sive] vel A2. — 32) et] inter *ante* electores A2.

Item hanc, quod provincia Ierosolymitana post provinciam Saxonie et provincia Grecie post provinciam superioris Lombardie teneat locum suum. Et hunc ordinem in constitucionibus quibuscumque, ubi provincie numerantur, volumus annotari.

Item hanc: In rubrica de concomitancia festivitatum, ubi dicitur: si festum simplex vel maius post festum duplex etc., post illud: excipitur festum beati Petri martyris et festum translacionis beati Dominici, quando aliquod eorum in vigilia ascensionis occurrerit, addatur sic: item festum translacionis beati Dominici, quando sequenti die festum de corpore Christi fuerit celebrandum.

Item. In rubrica festi de corpore Christi, ubi dicitur: si autem istud festum et nativitatis sancti Iohannis etc., post illud: nos matrici ecclesie conformemus, addatur: si vero in festo sancti Barnabe vel translacionis sancti Dominici aut cuiuscumque alterius sancti ipsum festum de corpore Christi occurrerit celebrandum, quodcumque festum huiusmodi in precedentem ·iv^{am}· feriam transferatur et festum de corpore Christi celebrabitur suo die.

Item. In rubrica de credo in missa post illud: in die pentecostes et per ebdomadam cotidie ipsius, addatur: et in festo de corpore Christi.

Item. In rubrica de prefacionibus, ubi dicitur: a nativitate domini usque ad purificacionem etc., post illud: et in festo purificacionis, addatur: et in festo de corpore Christi.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc, quod de sancto Thoma de Aquino, venerabili doctore, fiat per totum ordinem septima die marcii festum totum duplex et in letania immediate post beatum Dominicum nominetur, et illud officium per totum ordinem uniformiter habeatur, de quo magister ordinis providebit, cui ex nunc committimus de predicto officio providendum; et hec tam de festo quam de officio suis locis in kalendario et ordinario annotentur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: quilibet prior provincialis potestatem habeat mittendi fratres duos ydoneos ad studendum, deleatur totum, quod sequitur, usque ibi: quod si aliqua dictarum provinciarum.

---

4) numerantur] nominantur B. — 6) simplex] duplex A2EG. — 7) festum *post* et *om.* A2. — 8) aliquod eorum *om.* A2E. — sic *om.* A2G. — 9) die] post *add.* B. — 12) et nativitatis] in nativitate A2. — 14) sancti] beati *ante* Dominici A2F. — 17) suo] ipso F. — 18) illud] istud F. — die *om.* F. — 19) et] item post addatur G. — 24) quod — letania] ut s. Thomas de Aquino A2. — 25) festum *om.* F. — 28) ordinis *om.* F. — 30) et ordinario *om.* F. — 32) quilibet] quod F. — 33) mittendi] ad studium *add.* A2BEF. — 34) ad studendum *om.* A2. — si] in *add.* BG.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris conventualis et institucione supprioris, ubi dicitur: vota eligencium recipiantur per supriorem vel eius vicarium in absencia supprioris, vicarius ille intelligitur, qui est vicarius in conventu, a quocumque fuerit institutus.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: prior conventualis de consilio fratrum instituat suppriorem, intelligitur, quod huiusmodi consilium debeat habere in proprio conventu et cum fratribus, qui ad suum conventum pertinere noscuntur.

Item hanc: quod in primis vesperis de córpore Christi debent dici psalmi Laudate etc., sicut in aliis totis duplicibus fieri communiter consuevit, cum hoc in capitulo generali Barchinone celebrato fuerit ordinatum in diffinitorio.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum sanctissimus pater et dominus noster dominus summus pontifex ad presens generale capitulum literas direxerit graciosas, specialem curam gerens tanquam pater et promotor ordinis nostri precipuus, ipse nos ad multa salutaria et ordini necessaria dulciter exhortando, volumus et ordinamus, quod predicte litere eiusdem sanctissimi patris in singulis conventibus et provincialibus capitulis publice legantur fratribus universis; propter enim literarum papalium reverenciam et sufficienciam magister ordinis a consueta literarum missione per ordinem destitit isto anno. Districte autem imponimus, quod contenta in eisdem literis diligencius observentur et specialiter de reverencia ad prelatos, et summe cavenda eorum offensa; nec fratres dent eis materiam scandali et turbacionis ullo modo. Si qua tamen gravamina manifesta fratribus inferantur, curent sub manu publica vel alio testimonio fide digno magistro ordinis vel procuratori intimare.

Item. Cum illi, qui habent in capitulis generalibus et provincialibus alios corrigere et regulare, debeant maturitate pollere et discrecione vigere, volumus et ordinamus, quod in capitulis provincialibus fiant diffinitores fratres maturi et etate provecti nec ad diffiniciones notabiliter iuvenes eligantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus mittatur ad studium generale, nisi ad lectoriam ydoneum reputetur, et nisi prius fuerit duobus

---

3) recipiantur] accipiantur BF. — 4) supprioris] et *add.* F. — 7) consilio] discretorum *add.* FG. — 9) noscuntur] dinqscuntur A2. — 10) quod *om.* F. — debent] debeant A2. — 11) Laudate *om.* A2E: per *add.* F. — 12) celebrato *om.* E. — 15) dominus *ante* noster *om.* F. — noster *om.* A2. — 17) nostri *om.* FG. — 18) et *om.* A2. — necessaria] manifesta A2. — 20) et] causas *add.* A2. — publice *om.* A2. — 21) enim *om.* A2E; enim] autem F. — 23) autem] nichilominus A2. — eisdem] dictis EG. — 24) et *ante* specialiter *om.* A2. — 26) si — intimare *om.* A2. — 34) quod *om.* A2. — nullus] studens *add.* A2F. — 35) reputetur] iudicetur A2.

annis in particulari studio theologie eruditus; nec aliquis ad studium theologie assignetur, nisi saltem duobus annis naturalia audierit, nec assignetur studio naturarum, nisi prius audierit loycalia tribus annis; nec aliquis ponatur ad legendum naturalia, nisi saltem theologiam audierit duobus annis; nec ad legendum loycalia nisi duobus annis in naturalibus studuerit cum profectu. Et districte iniungimus prioribus provincialibus et conventualibus universis, quod curam habeant de iuvenibus instruendis in religione et in cantu, et quod nullus notabiliter iuvenis mittatur ad studia arcium ante tercium annum ab ingressu.

Item. Significamus prioribus provincialibus et conventualibus ac eorum vicariis universis, quod privilegium a domino nostro summo pontifice emanavit, quod apostate ordinis nostri non possint licenciari per quemcumque ad monachos nigros, sed solum licencia huiusmodi magistro ordinis reservatur. Adiicimus tamen et districte imponimus, cum apostate unius provincie sive fratres quicumque, qui fugiunt ordinis disciplinam, ad aliam provinciam transeant evagando, quod priores provinciales et conventuales, in quorum provinciis vel terminis fuerint, ad capiendum huiusmodi teneantur dare consilium, auxilium et favorem, quando per provinciales eorum fuerint requisiti, ne ex eorum discursu dampnoso ordo noster possit pati scandalum vel iacturam.

Item. Cum fratres plurimi graciis eis concessis notabiliter abutantur, revocamus omnes exempciones concessas per quoscumque magistros ordinis sive per priores provinciales. In ista vero revocacione non includimus magistros in theologia et bacalareos nec illos, qui fuerunt priores provinciales sive diffinitores capituli generalis. Et rogamus magistrum ordinis, quod tales exempciones faciliter non concedat, imponentes prioribus provincialibus universis, quod non sint faciles ad huiusmodi exempciones concedendas.

Item. Ordinacionem factam de inquisitoribus heretice pravitatis super racione reddenda suis provincialibus et ordinacionem factam de honoribus seu gradibus pro se vel pro aliis procurandis seu ab aliis auferendis cum suis privacionibus et penis volumus in suo robore permanere, sicut extitit ordinatum in proximo capitulo generali apud Burdigalam celebrato, et volumus, quod ordinacio de magistro studencium in studiis generalibus inviolabiliter observetur (1).

1) aliquis] quis G. — 2) audierit] studuerit F. — 3) loycalia] loycam F. — 6) in naturalibus] naturalia F. — iniungimus] imponimus A2. — 8) religione] religionibus E. — in *om.* A2. — 12) emanavit *om.* A2. — 14) imponimus] quod *add.* A2B; ut *add.* F. — cum *om.* A2. — 15) quicumque *om.* B. — 16) transeant] transiverint FG. — 17) vel] seu BG. — 22) exempciones] eis *add.* A2. — concessas] sive *add.* FG. — 23) per *om.* A2. — vero *om.* B. — 24) et] vel A2. — nec] vel A2. — priores *om.* A2. — 25) sive] nec A2. — 29) factam *om.* A2. — 31) seu *ante* gradibus *om.* B. — 33) apud Burdigalam] in Burdegala A2.

(1) Cf. supra pag. 153 l. 6 sqq. et pag. 154 l. 26 sq.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne aliquis frater, cuiuscumque condicionis vel status existat, ad Romanam curiam presumat accedere nec de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri licencia speciali. Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Item. Volumus et ordinamus, quod quilibet provincialis teneatur mittere procuratori ordinis pro expensis, que facte sunt in curia pro bullis impetratis, et que fient in posterum, circa festum resurrectionis domini proximum venturum, secundum taxacionem infra annotatam: Provincia Hispanie ·x· florenos, Francie ·xv· florenos, provincia Tholosana ·x· florenos, provincia Lombardie inferioris ·x· florenos, provincia regni Sicilie ·viii· florenos, provincia Anglie ·xii· florenos, provincia Theutonie ·xx· florenos, provincia Ungarie ·viii· florenos, provincia Lombardie superioris ·v· florenos, provincia Aragonie ·x· florenos, provincia Polonie ·iiii· florenos, provincia Dacie ·iiii· florenos, provincia Boemie ·iiii· florenos, provincia Saxonie ·x· florenos, provincia Terre sancte ·x· florenos, provincia Grecie ·vi· florenos.

Letania more solito dicatur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Terre sancte, Ungarie, Saxonie, inferioris Lombardie.

Item priores conventuales Bononiensem, Trevisinum, sancti Dominici de Veneciis, Urbinatensem, Firmanum, Fabrianensem et Clugiensem, Tridentinum, Bolsanensem. Et volumus, quod priores absoluti non possint in eisdem provinciis et conventibus reassumi ad eadem officia isto anno.

Iste sunt penitencie.

Imponimus fratribus omnibus, qui ad presens generale capitulum venerint sine licencia speciali, ·viii· dies in pane et aqua et totidem disciplinas. Et districte iniungimus fratribus universis, quod nullus quocumque pretextu vadat ad capitulum generale futurum. Qui autem sine licencia venerint, sint ipso facto voce privati; nec intendit magister or-

---

1) in — obediencie *om.* E. — de — universis *om.* A2. — 3) vel] aut F: et G. — 4) ad — accedendi] eundi A2. — 7) necessariis] generalibus A2. — 9) item *om.* F. — item — florenos *ante* letania *om.* BEG — 10) facte *om.* F. — 11) domini *om.* A2. — 13) Francie] Florencie F. — provincia *ante nomina provinciarum om.* A2. — 22) iste — immediate precedentem *om.* BE. — 23) Saxonie] et *add.* G. — 25) priores *om.* A2. — Bononiensem] Bononie A2. — Trevisinum] Tarentinum A2. — 26) Urbinatensem] Voniante (!) A2: Urbinatum G. — et *om.* A2. — Clugiensem] Sigulanum *add.* A2. — 27) Bolsanensem] Bozanensem G. — 33) futurum *om.* G. — futurum — privati *om.* A2. — 34) facto] per biennium *add.* G.

dinis per hoc, quod habent licenciam accedendi ad ipsum, quod sub pretextu talis licencie accedere valeant ad locum capituli generalis.

Item. Fratrem Heinricum priorem Ratisponensem de provincia Theuthonie, quia negligens fuerit in publicacione processuum domini pape, quos magister sibi misit, absolvimus ab officio prioratus et provincie Saxonie assignamus in penam preter alias penas eidem debite imponendas (1).

Item. Studentes in theologia in conventu Argentinensi, qui hoc anno propter ordinaciones honestas per priorem in conventu factas per maliciosam concordiam fuerint colligati contra priorem et utilitatem communem ordinis et conventus, privamus studio isto anno et eos remittimus ad suas provincias et conventus; et denunciamus eos incidisse in constitucionem gravioris culpe, que incipit: si quis per conspiracionem etc. et rogamus magistrum ordinis, quod illos, quos minus repererit culpabiles, de dicta pena minuat, secundum quod ei videbitur expedire. Nomina autem eorum sunt hec: Frater Iohannes de Lindaugia, Hermannus de Traiecto, Iohannes de Winsberch, Fredericus de Ratispona, Henricus de Hallis, Henricus de Stella, Henricus Barsteler, Iacobus de Lozana, Willelmus de Sirch (2), Iohannes Bohemus, Gerlacus de Isenaco, Iacobus de Miswaen, Iohannes de Duren, Tristanus de Egilstein (3), Iohannes de Friburgo, Willelmus de Agnovia, Iohannes Wolmari, Wernherus de Surch Coradus de Ederim, Richardus magister studencium, Chuno de Kaneke (4).

Damus vicarium generalem Terre sancte fratrem Anselmum de Silvano provincie Lombardie superioris, donec provincialis electus et confirmatus et presens in provincia extiterit.

Item. Cum ad nos gravis et notabilis querimonia pervenerit et racionabilis, quod fratres quidam provincie Theutonie circa processus sanctissimi patris et domini nostri pape publicandos et servandos fuerint notabiliter negligentes, cum tamen super hoc tam apostolicum quam magistri ordinis habuerint preceptum expressum, et notificatum eciam nobis fuerit fide digna relacione multorum, quod in ipsa provincia per

3) item — Kaneke *om.* A2. — 11) in *om.* FH. — 15) nomina — Kaneke *om.* F. — Lindaugia] Hudangia H. — 19) Miswaen] Miseraen G. — Egilstein] Egilstern G. — 20) Agnovia] Hanovia H. — Wolmari] Volmach H. — 21) de Ederim] Delderim H. — Chuno] Chimo H. — 22) generalem] provincie *add.* G. — 25) et notabilis *om.* A2. — pervenerit] venerit A2. — 26) et racionabilis *om.* FG. — provincie] de provincia A2. — 27) sanctissimi — nostri *om.* A2. — et servandos *om.* FG. — 29) ordinis *om.* A2. — et *om.* G.

(1) Quas partes fratres nostri provinciae Teutoniae secuti sint, litigantibus inter se Ioanne XXII et Ludovico Bavaro, alibi exponemus. Cf. infra l. 25 sqq.

(2) « Sirch » « Surch » intelligas « Zurch=Turegum ».

(3) « Egilstein » « Edilstein » legendum esse puto.

(4) « Kaneke » forsitan error librarii pro « Taneke ».

fratres quosdam in predicacione vulgari quedam personis vulgaribus ac rudibus in sermonibus proponuntur, que possint auditores faciliter deducere in errorem, idcirco damus vicarium super istis diligencius inquirendis et censura debita puniendis ac coercendis fratrem Gervasium, priorem Andegavensem, de provincia Francie (1).

Item. Damus vicarium generalem in provincia Ungarie priorem provincialem Boemie, donec prior provincialis alius sit electus et confirmatus.

Item. Ponimus vicarium in Dalmacia et Duracio fratrem Bartholomeum Regiqñ, priorem conventus Regini provincie Lombardie inferioris.

Item. Cum super hiis, que gesta sunt nuper in capitulo Burdigale celebrato, magister ordinis quosdam fratres de Ybernia de provincia Anglie ad capitulum generale vocaverit, ut per eos posset de predictis verius informari, nec aliquis ex vocatis comparuerit, et sic informati sufficienter non simus, formam fratrum de Ybernia approbamus, donec de ea aliter fuerit ordinatum et priorem conventus, in quo debet hoc anno eorum capitulum celebrari, iuxta tenorem predicte forme, in tota Ybernia facimus nostrum vicarium generalem, a vicaria quemcumque alium absolventes.

Committimus autem priori provinciali et diffinitoribus capituli provincialis Anglie, quod servata predicta forma de vicariis et conventibus disponant, sicut eorum discrecioni videbitur expedire.

Concedimus unam domum provincie Lombardie superioris.

Item. Aliam provincie Francie ponendam in s. Ademaro.

Item. Aliam provincie Dacie.

Item. Aliam provincie Anglie ponendam in Ybernia.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Petrum de Pireto de provincia Tholosana (2).

Item. Pro anno sequenti, quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias Parisius fratrem Guillelmum de Castro Reginaldi de provincia Francie (3).

---

1) ac] et A2. — 4) et] ac A2. — 7) alius] illius provincie A2 G. — 10) Bartholomeum] Bartholinum G. — Regiqñ *om.* G. — provincie] de provincia A2. — 11) nuper *om.* A2. — Burdigale] Hybernie FG. — 12) magister — quosdam] quod A2. — de — Anglie *om.* FG. — 16) aliter] aliud A2. — 20) priori *om.* A2. — 21) servata] observata A2. — 24) aliam] domum *add.* A2. G. — Ademaro] Edomaro G; Edemare F. — 25) item — Dacie *om.* F. — 27) assignamus — Parisius *om.* A2. — 30) Reginaldi] Reinaldi BEF.

(1) Ex documentis adhuc notis erui non potest, utrum magister Eckardus in his praedicatoribus numerandus sit necne. Cf. DENIFLE *Archiv* II. pag. 625.

(2) De fr. Petro de Pireto cf. DENIFLE *Chartularium* pag. 283, 290, 600.

(3) De fr. Guilelmo de Castro Reginaldi cf. DENIFLE l. c. p. 283, 292, 429.

Committimus magistro ordinis ordinaciones studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis iudicaverit expedire.

Numerus missarum pro vivis ascendit usque ad ·xl· missas.

Numerus missarum pro defunctis usque ad ·xiiii· missas ascendit.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus Parisius in provincia Francie et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante ·vi^{am}· feriam vigiliam pentecostes immediate precedentem.

Actis additae sunt litterae Ioannis XXII; cf. BO. II p. 167 n. XLVI.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT
ACTA CAPITULI GENERALIS APUD PARISIUS CELEBRATI
ANNO DOMINI · M°· CCC°· XXVI°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: vel magister ordinis, addatur: vel capitulum generale.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: hoc excepto, quod eos includi sicut in electione magistri non opportet, addatur sic: quod si magister ordinis vel capitulum generale aliquem fratrem illius provincie vicarium instituerit in eadem, volumus ipsum vicarium in electione predicta vocem habere.

Item hanc: In capitulo de suffragiis, ubi dicitur: si aliquem eorum in via mori, addatur: vel in ipso capitulo contigerit.

Item hanc, quod in festo beati Michaelis fiat festum totum duplex.

Item hanc: In capitulo de ieiuniis, ubi dicitur: ac nativitatis beate virginis, addatur: et annunciacionis dominice, quando eam tempore pascali evenire contigerit.

1) ordinaciones] ordinacionem A2. — 4) iudicaverit] viderit A2. — 5) numerus — missas ascendit *om.* A2FH. — 7) sentencias — precedentem *om.* GH. — 9) futuro] sequenti A2. — 11) alius] aliorum A2. — habeat] habuerit A2. — 12) vigiliam] vigilie *add.* F. — 13) precedentem] Statutum in hoc capitulo ut pro bullis impetratis vel impetrandis mitteretur procuratori ordinis a qualibet provincia summa certa pecuniarum. Hispania et Tholosana solverunt decem florenos *etc. ut supra p. 159 l. 13 add.* H. — 16) hec sunt *om.* A2. — 17) apud *om.* F. — 19) iste] hee G. — 20) prioris *om.* A2B. — 21) vel] aut FG; vel — generale *om.* E. — 25) in eadem *om.* B. — 27) eorum] illorum EG. — 28) mori] contigerit *add.* EG. — 29) beati] beatissimi archangeli G. — 30) item — observetur *om.* E. — ac] et F. — 31) eam *om.* A2.

Item hanc: In rubrica de memoriis faciendis, ubi dicitur: nisi in invencione ipsius et in festis totis duplicibus, addatur: et duplicibus; quod eciam interim observetur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: quos instituendos nullus vicarius eciam cum diffinitoribus, addatur: nec diffinitores sine consensu provincialis. Volumus autem hoc medio tempore observari inviolabiliter. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: si quis autem peccaverit et confiteri suo socio voluerit, deleatur totum usque ibi: si quis autem de mala familiaritate. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc: In capitulo de domibus concedendis et construendis, ubi dicitur: loco illius alius assignetur, addatur sic: ille vero conventus, qui pro dicto tempore dictum duodenarium numerum non habebit, ad ea, que tractanda sunt in capitulo provinciali sive in electione provincialis quo ad priorem et socium et electores provincialis nullatenus admittatur, nisi forte illo anno per fratris obitum dictus numerus fuerit diminutus, provinciis Ierosolymitana et Grecie dumtaxat exceptis. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc, quod provincia Ierosolimitana post provinciam Saxonie et provincia Grecie post provinciam superioris Lombardie teneat locum suum. Et hunc ordinem in constitucionibus quibuscumque, ubi provincie numerantur, volumus annotari.

Item hanc: In rubrica de concomitancia festivitatum, ubi dicitur: si festum simplex vel maius post duplex etc., post illud: excipitur festum beati Petri martyris et festum translacionis beati Dominici, quando aliquod eorum in vigilia ascensionis evenerit, addatur: item festum translacionis beati Dominici, quando sequenti die festum de corpore Christi fuerit celebrandum.

Item. In rubrica festi de corpore Christi, ubi dicitur: si autem istud festum et nativitatis sancti Iohannis etc., post illud: nos matrici ecclesie conformemus, addatur: si vero in festo sancti Barnabe vel translacionis beati Dominici aut cuiuscumque alterius sancti, ipsum festum de corpore Christi occurrerit celebrandum, quodcumque festum huiusmodi in

1) nisi in *om.* A2. — 4) iste sunt approbaciones *om.* A2. — 6) quos instituendos] quod instituendi A2BF. — nec] *om.* A2. — 7) provincialis] habeant potestatem *add.* E. — 8) et — capitula *om.* EF. — 9) quis] aliquis A2. — 11) et — capitula *om.* E. — 14) dicto] illo A2FG. — tempore *om.* A2. — 16) et electores] ad electionem A2. — 17) fratris] fratrum A2E. — 19) et — capitula *om.* E. — 20) item — annotari *om.* A2BFG. — 26) festum *om.* A2. — quando — eorum] ante A2. — 27) evenerit] occurrerit A2E. — 28) quando] in *add.* E. — sequenti die *om.* F. — 30) festi *om.* A2; festi] de festo G. — de corpore] corporis BF. — istud *om.* E. — 31) et nativitatis] in nativitate A2. — sancti] beati A2. — 33) sancti] beati A2. — 34) de corpore] corporis EG.

precedentem quartam feriam transferatur, et festum de corpore Christi celebrabitur suo die.

Item. In rubrica de credo in missa, post illud: in die pentecostes et cotidie per octavas ipsius, addatur: et in festo de corpore Christi.

Item. In rubrica de prefacionibus, ubi dicitur: a nativitate domini usque ad purificacionem etc., post illud: et in festo purificacionis, addatur: et in festo de corpore Christi. Et hec omnia de rubricis habent ·ii· capitula.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc, quod de sancto Thoma de Aquino, venerabili doctore, fiat per totum ordinem septima die marcii totum duplex, et in letania immediate post beatum Dominicum nominetur; et illud officium uniformiter per totum ordinem habeatur, de quo magister ordinis providebit, cui committimus de predicto officio providendum. Et hoc tam de festo quam de officio suis locis in ordinario et kalendario annotetur. Et hec habet tria capitula.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum in ludo taxillorum et alearum nomen Christi et beate virginis matris sue profanis christianorum labiis pro dolor iugiter blasphemetur, de voluntate ac mandato sanctissimi patris et domini nostri Iohannis divina providencia summi pontificis, ordinamus et omnibus fratribus verbum dei tam clero quam populo nunciantibus districte mandamus, quod in suis predicacionibus per sanctas exhortaciones et fervidas a ludo taxillorum et alearum predicto, eos, quibus predicabunt, conentur retrahere ipsisque graves dei offensas exprimere, que ludum huiusmodi committantur, ac nichilominus illis exponere, qualiter secundum iura ea, que in tali ludo lucrantur, restituere tenentur; et qualiter qui de sic lucrato, quod iura diffiniunt, non adimplent, periculo sue anime se exponunt.

Item. Cum in quibusdam provinciis de fratribus notabilis sit defectus, volumus et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales de recipiendis noviciis bonis et utilibus sollicitam curam gerant et in qualibet visitacione certi conventus de melioribus per provinciale capitulum assignentur, ad quos omnes novicii recepti de illa visitacione sub diligenti custodia nutriendi mittantur. Noviter autem professi, ne nimia libertate vagentur, sub cura fratris religiosi per biennium saltem nutrian-

3) credo] in deum *add.* E. — 4) octavas] octavam EG. — 7) et in] item B; et] item G. — et hec — capitula *om.* E. — 11) per totum ordinem *om.* A2F. — 14) cui] ex nunc *add.* E. — 16) et hec — capitula *om.* E. — 17) iste — precedentem *i. e. usque in finem capituli om.* E; *repetit tamen E declarationes capituli praecedentis usque ad* mittere duos fratres. — et *om.* F. — 20) ac] *om.* A2. — et F. — nostri] domini *add.* A2G. — 21) divina] digna dei G. — 25) huiusmodi] hunc A2. — 26) illis — qualiter] contrahere F. — 28) diffiniunt] diffinirunt A2. — 29) de fratribus] fratrum F. — 31) noviciis *om.* A2. — 32) certi] tres A2. — 33) de] in A2. — 34) noviter autem] et ne noviter A2.

tur, donec sufficientes sint in sciencia et in vita, ut ad studia transmittantur.

Item. Districte inhibemus, ne quando aliquem prelatum vel eius vicarium nostri ordinis contigerit accusari quacunque de causa vel deferri, pendente superioris iudicio, frater aliquis prelato huiusmodi vel vicario eius subiectus ab ipsius correctione discedat vel ipsum quacumque occasione quesita a sua communione suspendat. Lex enim ecclesiastica statuit, prelatum ab aliis accusatum, priusquam sub lite obiecta constiterint, non relinqui.

Item. Cum ex fratrum infamacionibus deus graviter offendatur et ordini turbacionis et scandali multiplex materia ministretur, volumus ac districte imponimus, quod quicumque crimen aliquod fratri alicui imposuerit vel aliis quibuscumque revelaverit, nisi forte suis superioribus deferendo, per priorem vel eius vicarium, postquam legitime constiterit, pena criminoso debita puniatur.

Item. Ordinaciones de studentibus gradatim ad studia mittendis factas in preterito capitulo Veneciis celebrato (1) et illam de studentibus a studiis generalibus redeuntibus usque ad biennium non promovendis ad officia prioratus, factam in capitulo generali Florencie celebrato (2), et ordinacionem de non eundo ad magistrum ordinis sine licencia prioris provincialis vel ad priorem provincialem sine licencia sui prioris conventualis, cum penis adiunctis factam in capitulo generali Florencie celebrato (3), innovamus. Volumus autem, ut fratres redeuntes de studiis generalibus, qui contra ordinacionem predictam fuerint in priores confirmati, infra mensem per priores provinciales vel eorum vicarios a prioratus officio absolvantur, et si sint apti, ad lectoratus officium reponantur.

Item. Districte inhibemus, ne camere passim fratribus concedantur, nisi forte fratribus insignibus, quibus convenienter negari non possint. In ipsis autem cameris nullus frater comedat, nisi forte actu esset decumbens.

---

2) transmittantur] mittantur A2. — 6) ipsius] eius G. — 8) statuit *om.* F. — lite] luce A2. — 9) relinqui] relinquit F. — 10) ex *om.* A2. — infamacionibus] diffamacionibus A2. — 11) multiplex *om.* A2. — ac] et A2. — 13) imposuerit *om.* A2. — aliis quibuscumque] alii cuicumque A2. — 14) deferendo] referendo A2. — 16) gradatim *om.* A2. — 17) factas] factam FG. — Veneciis] Viennis A2 G: Venecia F. — 19) generali *om.* A2 F. — 20) ordinacionem] ordinaciones A2. — eundo] veniendo A2. — licencia] sui *add.* G. — 21) vel] et A2. — priorem *om.* A2. — 23) volumus autem] et volumus A2. — ut] si BG; quod F. — 25) priores provinciales] priorem provincialem A2. — eorum] eius A2. — vicarios] vicarium A2. — a] de F. — 26) officium] promoveantur vel *add.* A2. — 27) fratribus *om.* F. — 28) forte *om.* A2. — fratribus *om.* F. — convenienter] communiter F. — possint] posset G. — 29) actu *om.* A2.

---

(1) Cf. supra pag. 157 l. 34 sqq.
(2) Cf. supra pag. 133 l. 32 sqq.
(3) Cf. supra pag. 135 l. 3 sqq.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne aliquis frater, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere nec de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri licencia speciali et expressa. Quicumque vero contrarium fecerit, preter transgressionem precepti voce et omnibus graciis ordinis sit privatus.

Concedit tamen magister prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania more solito dicatur, et addatur post oracionem beati Petri oracio beati Thome: Deus, qui ecclesiam tuam, cum versu: Declaracio sermonum tuorum illuminat. Responsorium: Et intellectum dat parvulis.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialem Theutonie.

Item. Priores conventuales Gracianopolitanum, Montis Miliani, Sanctonensem, Altisiodorensem, Compendiensem et Pictaviensem. Et volumus, quod priores absoluti, non possint in eisdem conventibus vel provinciis resumi ad eadem officia isto anno.

Ista sunt suffragia.

Denunciamus fratribus universis, quod frater Petrus de Felaca, diffinitor Lombardie superioris, mortuus est in via, unde fratres ei ad suffragia tenentur (1).

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno, fratrem Guillelmum de Castro Reginaldi de provincia Francie (2).

Item. Pro anno sequenti, quantum nostra interest, fratrem Bernardum Lombardi priorem provincialem provincie Provincie (3).

Assignamus lectorem conventui Bononiensi fratrem Benedictum de Cumis, magistrum in theologia (4).

---

3) presumat] audeat A2. — 4) assumat] assumere F. — Romanam *om.* A2. — 5) eiusdem *om.* A2. — magistri] ordinis *add.* G. — 8) magister] ordinis *add.* G. — 9) eorumdem] eorum A2. — et *om.* F. — 11) Petri] Dominici A2: vel memoriam *add.* A2. — 12) beati] sancti G. — cum *om.* A2 G. — 13) tuorum — parvulis] etc. A2. — illuminat] et *add.* G. — 14) iste — approbamus *om.* B. — 16) priores *om.* A2 F. — 17) Altisiodorensem] Autisiodorensem FG. — 20) ista sunt suffragia *om.* F; ista — tenentur] numerus missarum pro vivis quinquaginta una misse. Numerus pro defunctis ·XVIII· misse. Et omnes fratres tenentur ad suffragia fratri Petri Falacha de Janua, diffinitori Lombardie superioris, qui mortuus est in via G. — suffragia] etc. *add.* A2. — 21) Felaca] Falsado F. — 26) interest] assignamus ad legendum sentencias Parisius *add.* G. — 27) provincie *om.* G. — 28) conventui] in conventu FG.

---

(1) De fr. Petro Felaca cf. SSOP I pag. 559.
(2) De fr. Guilelmn cf. supra pag. 161 l. 30.
(3) De fr. Bernardo Lombardi cf. supra pag. 150 l. 12.
(4) De fr. Benedicto de Cumis cf. supra pag. 118 l. 16.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studiï Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie provideat et disponat, prout communi utilitati iudicaverit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Perpiniani in provincia Provincie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat, veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante ·iii·^{am} feriam festum pentecostes immediate precedentem.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXVII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD PERPINIANUM CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°· CCC°· XXVII°·

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione provincialis, ubi dicitur: vel magister ordinis, addatur: vel capitulum generale. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: hoc excepto, quod eos includi sicut in electione magistri non opportet, addatur sic: quod si magister ordinis aut capitulum generale aliquem fratrem illius provincie vicarium constituerit in eadem, volumus ipsum vicarium in electione predicta vocem habere. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: In capitulo de suffragiis, ubi dicitur: si aliquem illorum mori in via, addatur sic: vel in ipso capitulo contigerit. Et hec habet duo capitula.

Item hanc, quod in festo beatissimi Michaelis archangeli fiat festum totum duplex. Et hec habet duo capitula.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: Si quis autem peccaverit et confiteri voluerit socio suo, deleatur totum usque ibi: si quis autem de mala familiaritate. Et hec habet tria capitula.

---

1) Parisiensis] Parisius A2. — 3) iudicaverit] viderit FG. — 5) sentencias iudicum approbamus *om.* G. — 7) et — precedentem *om.* G. — 9) alius] fratres *add.* F. — 14) hec sunt *om.* A2. — 17) iste] hee E. — 23) aut] vel A2. — 24) constituerit] instituerit BF. — 29) beatissimi] beati A2; sancti. E. — archangeli *om.* A2. — festum *om.* BF.

Item hanc: In capitulo de domibus concedendis et construendis, ubi dicitur: loco illius alius assignetur, addatur sic: ille vero conventus, qui pro illo tempore duodenarium dictum numerum non habebit, ad ea, que tractanda sunt in capitulo provinciali sive in electione provincialis, quoad priorem et socium et electorem provincialis, nullatenus admittatur, nisi forte illo anno per fratris obitum dictus numerus fuerit diminutus, provinciis Ierosolymitana et Grecie duntaxat exceptis. Et hec habet tria capitula.

Item hanc: In rubrica de concommitancia festivitatum, ubi dicitur: si festum simplex vel maius post duplex etc., post illud: excipitur festum beati Petri martyris et festum translacionis beati Dominici, quando aliquod eorum in vigilia ascensionis evenerit, addatur: Item festum translacionis beati Dominici, quando sequenti die festum de corpore Christi fuerit celebrandum.

Item. In rubrica festi de corpore Christi, ubi dicitur: si autem festum istud et nativitatis beati Iohannis etc., post illud: nos matrici ecclesie conformemus, addatur: si vero in festo sancti Barnabe vel translacionis sancti Dominici aut cuiuscumque alterius sancti ipsum festum de corpore Christi occurrerit celebrandum, quodcumque festum huiusmodi in quartam feriam precedentem transferatur et festum de corpore Christi celebrabitur suo die.

Item. In rubrica de credo in missa, post illud: in die pentecostes et cotidie per octavas ipsius, addatur: et in festo de corpore Christi.

Item hanc: In rubrica de prefacionibus, ubi dicitur: a nativitate domini etc. usque ad purificacionem, post illud: et in festo purificacionis, addatur: item in festo de corpore Christi. Et hec omnia de rubricis habent tria capitula.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Quicumque in publica predicacione vel in communi coram secularium multitudine ullo tempore summum pontificem diffamaverit vel ipsius processus vel facta vel irreverenciam notabilem fecerit, carcerali custodie mancipetur, nec inde liberetur nisi per capitulum generale et cogatur, si commode fieri poterit, in publico revocare. Qui autem in privato, postquam per testes legitimos constiterit vel iudicialiter confessus fuerit, pena gravioris culpe puniatur, et nisi per provinciale capitulum vel per

---

3) illo] dicto E. — habebit] habuerit E. — 5) et] per *post* socium A2. — 6) fratris] fratrum A2. — 10) post] festum *add.* A2. — etc.] et *add.* E. — 11) festum *om.* A2. — 12) addatur] sic *add.* A2. — 15) festi *om.* B. — festi de corpore] de festo corporis FG. — autem *om.* E. — 16) beati] sancti A2G. — 17) addatur] sic *add.* EG. — sancti] beati B. — 19) occurrerit] fuerit E. — 22) die *om.* E. — 25) usque — purificacionem *om.* E. — 26) item] et A2. — de corpore] corporis G. — de rubricis] rubrice E. — 33) poterit] possit A2E. — 34) per testes legitimos] legitime G. — 35) et] non *add.* F. — nisi *om.* E.

priorem provincialem de maturo consilio discretorum cum eo minime dispensetur. Idem fiat de falso accusatore vel teste legitime convicto vel iudicialiter confessato in materia supradicta; prelati vero, qui in corrigendo huiusmodi transgressores inventi fuerint negligentes, per generale vel provinciale capitulum in penam a suis officiis absolvantur et preter hoc penis aliis gravius puniantur.

Item. Quicumque in nostro ordine inventi fuerint singularem vitam quocumque modo viciosam ducentes et contra communem modum vivendi diu ab ordine approbatum, primo admoneantur, et si admoniti correcti non fuerint, separentur et in diversis conventibus ponantur; et si in eodem persistant, per priorem provincialem vel provinciale capitulum carcerali custodie mancipentur.

Item. Quicumque crimen commiserit, pro quo in seculo pena mortis plecti deberet, in carcerem recludatur, penis aliis macerandus ibidem plus vel minus secundum delicti et persone qualitatem et circumstancias alias allevиantes vel eciam aggravantes, et nisi per capitulum generale non possit ab ipso carcere liberari. Quod si secundo recidivaverit, carceri perpetuo mancipetur.

Item. Quod ordinacio capituli Burdigalensis, de mutacionibus fratrum servetur, que est infrascripti tenoris: Cum electiones nostre maxime libere esse debeant et omni nota coactionis carere, districte iniungimus prioribus provincialibus et quibuscumque vicariis generalibus, quod infra mensem ante electionem quascumque novas assignaciones et mutaciones fratrum non faciant in conventibus, in quibus electiones huiusmodi fuerint celebrande, nisi pro officio lectorie vel pro gravi scandalo evitando vel nisi in provinciali capitulo et in loco ipsius provincialis capituli, sicut est in aliquibus provinciis consuetum. Quod si contrarium factum fuerit, huiusmodi mutaciones seu assignaciones quoad privacionem vocis in conventu, de quo fiunt iste mutaciones, et quoad ipsam vocem in conventu, in quo fiunt assignaciones huiusmodi suum non sorciantur effectum. Provinciales vero, qui in hoc inventi fuerint excessisse, per magistrum ordinis vel diffinitores generalis capituli, cum legitime constiterit, a suis officiis absolvantur; vicarii autem omni officio ordinis usque ad tres annos sint privati, nec fratres possint privari vocibus eodem tempore, nisi ob causas in capitulo de graviori culpa contentas.

Item. Ordinamus et districte inhibemus, ne fiat aliquis predicator generalis nisi maturus et discretus et sufficientis literature et qui conve-

1) priorem *om.* A2 EF. — 9) admoneantur] moneantur BF. — admoniti] moniti A2 E. — 11) persistant] persistunt E. — 14) recludatur] detrudatur A2 E: — retrudatur G. — 17) non *om.* E. — 21) coactionis *om.* A2. — carere *om.* E. — 22) quibuscumque] eorum A2. — generalibus *om.* BF. — 25) evitando *om.* F. — 26) et] vel A2 E. — 28) huiusmodi] ipse B. — seu] et B. — 29) iste] ipse BF. — quoad] ad *add.* E. — 34) vocibus] voce E. — eodem] illo A2 E. — 37) sufficientis] sufficiens E.

nienter sciat proponere verbum dei et sit ydoneus ad negocia ordinis pertractanda. Nec numerum conventuum provinciarum excedant, et non fiant aliqui in aliqua provincia habente numerum excessivum, donec ad dictum numerum sint redacti, illis duntaxat exceptis, qui racione antiquitatis vel infirmitatis ad capitula provincialia venire non possunt.

Item. Quod arceantur priores, qui male combinant fratres, quod saltem una pars copule sit clare fame et sufficientis etatis, et quod saltem unus ipsorum sit de lingua patrie, ubi hoc commode poterit observari.

Item. Quod, quando fratres recedunt de capitulis, per superiores combinentur, ne vagando discurrant, sed directe ad suos conventus vadant.

Sciant omnes fratres ordinis nostri, quod omnes ordinaciones predicte vim constitucionum nostrarum habent, auctoritate domini nostri summi pontificis, non obstante, quod non habent, nisi presens capitulum generale et omnes in fine libri constitucionum nostrarum integre conscribantur.

Item. Cum in constitucionibus sororum nostrarum sit arctius ad eas determinatus ingressus, volumus constitucionem illam per adiectionem precepti, quantum ad omnes articulos arctius observari. Quod preceptum teneatur quilibet prior provincialis fratribus et sororibus intimare; quantum autem ad alia monasteria mandamus districtione, qua possumus, omnibus prioribus provincialibus, quatenus ingressum fratrum ad monasteria arceant, quantum est possibile observari.

Item. Volumus, quod constitucio prohibens ingressum mulierum infra conventus fratrum cum diligencia observetur. Priores autem vel eorum vicarii, qui in hoc inventi fuerint excessisse, a suis officiis absolvantur in penam et preter hoc penis aliis arcius puniantur.

Item. Declaramus, volumus et mandamus, diligencius observari, quod fratres incarcerati non sint rebus suis ipso facto privati, sed sequestrentur et serventur, ut eis possint suo tempore restitui, si hoc visum fuerit suis suprioribus expedire.

Item. Renovamus ordinacionem factam in precedenti immediate capitulo generali de non vitandis prioribus vel eorum vicariis, pendente superiorum iudicio (1); et ordinacionem factam de diffamatoribus et de

9) fratres] et *add.* G. — 10) capitulis] capitulo A2. — superiores] superiorem A2. — 17) arctius] artus G. — 18) volumus] et *add.* E. — adiectionem] arctacionem E. — 20) intimare] nunciare B. — 24) quod *om.* A2. — 25) cum] omni *add.* G. — 26) in hoc *om.* E. — 27) arcius *om.* B. — 28) declaramus] et *add.* E. — 29) ipso] de E. — 30) serventur] reserventur A2; conserventur B. — 33) vitandis] suis *add.* E. — 34) superiorum] in *add.* A2.

(1) Cf. supra pag. 165 l. 3 sqq.

pena adiecta ibidem (1); et ordinacionem factam in capitulo generali Florencie celebrato, de non eundo ad magistrum ordinis sine sui prioris provincialis nec ad priorem provincialem sine sui prioris conventualis licencia cum penis ibidem adiectis (2).

Item. Declaramus, volumus et ordinamus, quod loca de Pera et de Chio simpliciter ad provinciam Grecie pertineant; et provincialis et diffinitores capituli provincialis Grecie ponant ibi conventus, quando eis videbitur expedire, qui numerum duodenarium non excedunt. Fratres autem pro Christo peregrinantes in eisdem recipiantur conventibus et teneantur et inde mittantur et revocentur ad loca inter naciones gencium situata, ut fructum ferant et faciant, quem intendunt, secundum quod vicarii magistri ordinis dictorum fratrum peregrinancium discrecio iudicabit (3).

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne aliquis frater, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere nec de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri speciali licencia et expressa. Quicumque vero contrarium fecerit, preter transgressionem precepti voce et omnibus graciis ordinis sit privatus.

Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam mittere valeant duos fratres.

Letania more solito dicatur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Anglie, Polonie et Dacie.

Item. Conventuales Valentinensem, Massiliensem, Albenacii, Claramontensem, Niciensem, Carpentoratensem, Cistaricensem, Alestensem, Marologii et Pirpiniani.

Item. Absolvimus suppriorem Montispessulani in penam, quia male recepit diffinitores ad capitulum venientes. Et volumus, quod priores

3) priorem *om.* A2. — provincialem] generalem A2. — 4) licencia] speciali *add.* A2. — 5) loca *om.* F. — 6) Chio] Uyo A2; Chyoc F. — simpliciter *om.* BG. — 7) ibi] ibidem EF. — 9) conventibus] vel locis *add.* E. — 10) et teneantur *om.* E. — mittantur] mutentur B. — gencium] *om.* B. — 11) quem obedienciam quam A2. — 13) iudicabit] iudicaverit B. — 17) nec] vel A2. — 18) Romanam curiam] eandem A2. — speciali *om.* E. — 22) generalibus *om.* B. — 23) dictam] Romanam *add.* EF. — 25) iste — conventualis extitit *om.* E. — iste — fuerit in eadem *om.* B. — 27) Valentinensem] Valentinum A2G. — 31) ad capitulum venientes *om.* F.

(1) Cf. supra pag. 165 l. 3.

(2) Cf. supra pag. 131 l. 1.

(3) De societate fratrum peregrinantium propter Christum cf. MASETTI l. c. pag. 457 sqq.

absoluti in eisdem conventibus vel provinciis resumi non possint ad eadem officia isto anno.

Damus vicarium generalem provincie Polonie fratrem Iacobum, priorem Viennensem de provincia Theutonie, donec prior provincialis electus et confirmatus fuerit et presens extiterit in eadem.

Item. Ponimus vicarium generalem in provincia Dacie fratrem Iohannem Album, lectorem Roscildensem, donec provincialis electus et confirmatus et presens fuerit in eadem.

Item. Absolvimus omnes predicatores generales provincie Lombardie inferioris, exceptis illis, qui fuerunt vel sunt priores provinciales vel diffinitores capitulorum generalium vel provincialium vel qui fuerunt vel sunt inquisitores vel priores aut lectores principales in conventibus Bononiensi, Veneto vel Paduano.

Summa missarum pro vivis est quadraginta duarum missarum.

Summa missarum pro defunctis est missarum ·xvii·

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Bernardum Lombardi de provincia Provincie (1).

Item. Pro anno sequenti, quantum nostra interest, fratrem Garinum de Giaco de provincia Francie (2).

Concedimus provincie Ispanie duas domos ponendas, ubi prior provincialis et diffinitores capituli provincialis iudicaverint expedire.

Item. Provincie Romane tres domos ponendas eodem modo.

Item. Provincie Terre sancte unam ponendam in Rhodo et aliam in Armenia; quas domos concedimus suposita licencia summi pontificis et non ante.

Assignamus lectorem principalem in Tholosa fratrem Hugonem de Marciaco, magistrum in theologia (3).

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, quod ipse de magistris, bachallariis et lectoribus biblie ordinet, sicut generali utilitati viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

4) provincialis] in dicta provincia *add.* G. — 6) generalem *om.* F. — 7) Roscildensem] Rescaldenancensem. A2. — donec] quousque G. — provincialis] in dicta provincia Dacie *add.* G. — 9) item *om.* A2. G. — 14) summa – XVII *om.* A2. BF. — 16) assignamus — Francie *om.* B. — assignamus — approbamus *om.* F. — 18) interest] assignamus ad legendum sentencias Parisius *add.* G. — Garinum] Gherinum G. — 22) tres] duas A2. — 26) assignamus — expedire *om.* B. — principalem *om.* A2. G. — Tholosa] conventu Tholosano G. — 29) magistris] et *add.* G.

(1) De fr. Bernardo Lombardi cf. supra pag. 166 l. 27.

(2) De fr. Garino de Giaco cf. SSOP. I. pag. 619; Denifle *Chartularium* indicem; Chapotin *Les Dominicains d'Auxerre.* Paris 1892 pag. 84 sqq. et indicem.

(3) De fr. Hugone cf. supra pag. 135 l. 15.

Sequens generale capitulum assignamus Tholose in provincia Tholosana, et ordinamus, quod priores provinciales, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante ·vi^{tam}· feriam immediate festum precedentem penthecostes.

Quicumque autem sine licencia ad capitulum venerit vel loco capituli appropinquaverit cum intencione ad capitulum veniendi, sit ipso facto per triennium omni voce privatus.

Declaracio quorumdam dubiorum facta in capitulo generali Perpiniani celebrato anno domini ·m^o· ccc^o· xxvii^o·

Anno domini ·m^o· ccc^o· xxvii^o· in diffinitorio ordinis Perpiniani celebrato fuerunt per reverendum patrem fratrem Barnabam, magistrum ordinis, et diffinitores capituli infra dicta declarata.

Primo fuit quesitum, quis dicatur inter electores primam vocem habere, propter id, quod dicitur in electione prioris conventualis: Ille, qui primam vocem habuit inter electores, surgens dicat: Ego N. etc.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod ille censendus est inter electores primam vocem habere, qui primo in ipsa publicacione scrutinii pronunciatus fuerit elegisse. Unde ista prioritas neque dignitatem persone neque ordinem scrutinii, in quo vota eligencium requiruntur et scribuntur ad partem, sed solum prioritatem publicacionis et pronunciacionis respicit antedicte.

Secundo fuit quesitum, utrum studens extraneus generali studio assignatus possit ante terminum sibi assignatum de studio ipso recedere, propria voluntate, non revocatus, eidem studio renunciare.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod studens potest studio generali renunciare ante termini complementum, cum quilibet valeat renunciare gracie sibi facte, quando voluerit.

Tercio quesitum fuit, que sit pena transgressionis precepti, et ubi in constitucionibus caventur.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod pena transgressionis precepti est pena, que taxatur illi, qui per manifestam rebellionem inobediens prelato suo extiterit, quia manifestam rebellionem constitucio ibi intelligit transgressionem precepti, ab eo, qui preest, expresse facti. Et hec pena est pena gravioris culpe, que in capitulo gravioris culpe ponitur et cavetur.

---

3) illuc] ibi A2. — veniant] sint A2. — 10) declaracio — conventualis extitit *om.* A2EFGH.

Quarto quesitum fuit, que sint pene privative carceralem sentenciam consequentes.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod nulle pene privative neque positive carceralem sentenciam racione incarceracionis eiusmodi consequuntur, sed racione cause sive culpe, propter quam quis fuerit carceri mancipatus. Ac quam causam seu culpam eciam sine incarceracione pene consequuntur predicte, prout in ipsis constitucionibus pro culpis talibus infliguntur.

Quinto, utrum vicarius generalis et ordinarius provincie possit absque nova commissione de monasteriis sororum se intromittere, que intra provinciam suam continentur, visitando, inquirendo et puniendo et alia exercendo, que prior provincialis in illis poterit exerceri.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod vicarius provincialis non potest se intromittere de monasteriis sororum, nisi quantum ei per priorem provincialem concessum fuerit et in litteris vicarie expressum, prout in actis [capituli] Argentine celebrati anno domini ·m°· ccc°· vii°· extitit declaratum (1); sed vicarius ordinarius potest, sicut et prior provincialis poterat, cuius ex vi constitucionum plenam in omnibus obtinet potestatem.

Sexto, utrum auctoritas vicarii provincie, qui vicarius est, eo quod sit prior in conventu illo, ubi immediate provinciale capitulum extitit celebratum, statim cum prior conventus, in quo sequens provinciale capitulum fuerit celebrandum, fuerit electus et confirmatus, ipso facto expiret, et ad ipsum priorem confirmatum vicariatus auctoritas devolvatur.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod nullum dubium est quin, confirmato priore illius conventus, ubi sequens capitulum fuerit celebrandum, illius statim prioris auctoritas expirabit, in cuius conventu precedens capitulum extitit celebratum.

Septimo, utrum vicarii provincie valeant absque expressa commissione et singulari et ipsius vicariatus auctoritate, apostatis nostris licenciam dare ad alios ordines transeundi.

Ad quod dictum fuit et declaratum, quod vicarii possunt apostatis licenciam dare ad alios ordines transeundi, de quibus ordinibus a sede apostolica est indultum, nisi quantum eisdem vicariis fuerit singulariter interdictum.

Octavo, utrum fratres per magistrum ordinis societati peregrinancium assignati sint de provinciis illis nec non et conventibus, ubi erant conventuales ante assignacionem predictam, et si vocem habent in electionibus quibuscumque.

(1) Cf. supra pag. 24 l. 28 sqq.

Ad quod dictum fuit, quod habent vocem et conventuales existant in illis provinciis et conventibus, ubi erant conventualiter commorantes, quando fuerint societati peregrinancium assignati (1).

Nono, utrum studens intraneus in studio generali, completo termino trium annorum, qui eidem studio in constitucionibus est taxatus, in ipso conventu, in quo studens fuit, an in illo, in quo erat, quando fuit primo eidem studio assignatus, conventualis existat, si de eo nichil aliud extiterit ordinatum.

Ad quod dictum fuit, quod studens intraneus conventualis remanet in conventu, in quo studens fuit, sed extraneus in conventu sue provincie, ubi conventualis erat, quando primo fuit assignatus, nisi de eis extiterit aliter ordinatum, ut in articulo continetur.

Decimo, utrum non obstante illa constitucione, que dicit: si quis in apostasia ordinatus fuerit vel post excommunicacionem divina celebrare presumpserit in ea, execucione officii perpetuo careat, nisi forte postea ita religiose conversatus fuerit, ut cum eo auctoritate sedis apostolice dispensetur, valeat cum tali per prelatos ordinis dispensari auctoritate concessa in mari magno.

Ad quod dictum fuit, quod, illa constitucione non obstante, ex indulto privilegii potest eis per prelatos ordinis absolucionis beneficium erogari.

Declaratum eciam extitit in eodem, quod illegitime natus non potest iurisdictionem aliquam obtinere neque ordinariam neque delegatam, puta prioratum nec supprioratum nec vicariatum nec visitacionis officium neque curam aliquam animarum, nisi quantum cum eo fuerit dispensatum, potest tamen in rebus temporalibus curam temporalis administracionis habere.

Item. Cum eo fuerit dispensatum, quod possit habere curam animarum, videlicet quod possit iurisdictionem obtinere ordinariam vel delegatam, non tamen posset esse prioris provincialis vicarius generalis, quia quamvis posset esse prior et supprior et vicarius eorumdem, non tamen usque ad provincialatum vel vicariatus generalis officium est huiusmodi dispensacio extendenda, nisi in dispensacionis tenore vel forma singularis de hoc concessio haberetur, licet forte posset esse vicarius provincie generalis et ordinarius, prout in nostris constitucionibus continetur, si contigerit eum esse priorem in conventu, ubi esset immediate futurum capitulum celebrandum, vel aliter secundum tenorem constitucionum, vicariatus provincie racione prioratus ad ipsum contigeret devenire.

Quesivit bone memorie Bononie frater Iohannes de Puppio in quodam consilio, ubi erant fratres Beneventus prior Bononiensis, Andalo

(1) De societate peregrinantium propter Christum cf. supra pag. 171 l. 9 sqq.

supprior, magister Thomas Anglicus, lector ibidem, Lambertus de Cingulo, inquisitor Bononiensis, Pax inquisitor, Thomasinus Mutinensis et Ubertinus Mutinensis, et posuit sic: supposito, quod unus frater sit conventualis in uno conventu, postea de illo conventu removeatur a priore provinciali vel vicario eius, et alteri conventui assignetur per litteram, sed littera assignacionis, licet facta fuerit, non tamen ad ipsum pervenit, quia ante pervencionem littere de medio subtractus fuit per mortem, queritur: Utrum frater ille censendus sit conventualis illius conventus, ubi primo erat, an illius, ubi per litteram fuit assignatus, licet littera non pervenerit ad eumdem, et per consequens ad quem illorum conventuum res et bona dicti fratris pertinere noscuntur?

Et responsum fuit finaliter, quod si in littera remocionis exprimatur sic: ex nunc prout ex tunc sitis tali conventui assignatus vel consimiliter vel quod coram aliquibus ille, qui assignat eum, coram aliquibus ex tunc conventualem assignet, talis frater licet neque littera neque verbum ad eum pervenerit, ad eum conventum pertinet, cui sic assignatum extitit, et non ad illum, in quo primo erat conventualis, et consimiliter res ipsius ad illum et non ad istum conventum pertinere noscuntur. Si vero fuit secundum communem formam remotus et conventui alteri assignatus, videlicet tali conventui vos deputo per presentes, vel tali conventui auctoritate presencium vos deputo et assigno, tunc non dicitur esse amotus nec alteri conventui per consequens assignatus, nisi litera pervenerit ad eumdem: et ideo si morte preventus fuit, quare nec littera ad eum pervenit, ad primum conventum, in quo primo erat conventualis, non ad secundum, res ipsius, quia ibidem, ubi primo erat, conventualis existit.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis cf. app. n. LXXVIII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT
ACTA CAPITULI GENERALIS APUD THOLOSAM CELEBRATI
ANNO DOMINI · M°· CCC°· XXVIII°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: vel de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur: vel carceri sentencialiter et legitime fuerit mancipatus.

29) hec sunt *om.* A2. — 30) apud Tholosam] Tholose G. — 35) fuerit *om.* F.

Item hanc: In capitulo de electione prioris provincialis in fine, ubi dicitur: si vero in provincialatu decesserint, deleatur totum, quod sequitur usque ad finem capituli et dicatur sic: si vero in provincialatu decesserint, libri et alia, que habuerint per provisionem ordinis a provincia vel a conventu aliquo, antequam essent provinciales, vel in ipso provincialatus officio, ad provinciam vel conventum, unde habuerunt, simpliciter pertinebunt; alia vero omnia, que habuerunt, sint illorum conventuum, de quibus assumpti fuerunt.

Item hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: maioris partis eorum consilio et assensu, deleatur totum, quod sequitur, usque ibi: et in aliis illi, ad quos mittuntur, et dicatur sic: si vero aliquem missorum studencium infra sex menses a tempore celebrati capituli mori vel legitime impediri contigerit, prior provincialis possit loco illius alium subrogare.

Item hanc, quod fiat memoria de beato Thoma de Aquino per octavas in laudibus per antiphonam: O Thoma laus et gloria; in vesperis per antiphonam: Collaudetur Christus rex glorie, cum versiculis de communi. Et hec in locis suis in ordinario annotentur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: magister ordinis, addatur: vel capitulum generale. Et hec habet tria capitula.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: hoc excepto, quod eos includi sicut in electione magistri ordinis non oportet, addatur sic: quod si magister ordinis sive capitulum generale aliquem fratrem illius provincie vicarium instituerit in eadem, volumus ipsum vicarium in predicta electione vocem habere. Et hec habet tria capitula.

Item hanc: In capitulo de suffragiis, ubi dicitur: si aliquem illorum mori in via contigerit, addatur: vel in ipso capitulo. Et hec habet tria capitula.

Item hanc: Quod in festo beatissimi archangeli Michaelis fiat festum totum duplex. Et hec habet tria capitula.

Declaramus, quod in recepcione fratris conversi ad professionem requirantur due partes conventus cum consensu prioris, sicut in recepcione ad eius probacionem.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

---

2) decesserint] decedat A2. — deleatur — decesserint *om.* E. — 3) capituli *om.* G. — 5) a *post* vel *om.* A2. — 7) alia] omnia A2. — omnia *om.* A2. — 8) de quibus] unde EG. — 11) illi] illis E. — 15) beato] sancto A2. — 17) per *om.* A2. — 18) annotentur] et medio tempore observentur *add.* A2G. — 23) eodem *om.* EF. — 24) sicut] sic A2. — 25) sive] vel A2. — 31) beatissimi] beati E. — archangeli *om.* A2. — 33) declaramus] hanc *add.* E.

Cum sanctissimus pater et dominus noster summus pontifex magistro ordinis ac diffinitoribus capituli generalis apud Tholosam nuper celebrati, litteras exhortatorias miserit pro fratribus sufficientibus, ad gentes convertendas ad fidem Christi mittendis, cum plena indulgencia, que solet dari transeuntibus in subsidium Terre sancte, significamus fratribus universis, quod reverendus pater magister ordinis commisit singulis prioribus provincialibus, quod assignare possint fratres de suis provinciis, quos ad hoc repererint voluntarios, non nimis iuvenes nec nimis antiquos, bene religiosos, discretos et sufficienter literatos societati peregrinancium propter Christum. Qui sic assignati ad suas non possint revocari provincias, quousque ibidem experti fuerint, quem fructum per eos inter infideles fecerit Ihesus Christus. Ipsi quoque provinciales studeant quam tocius magistro ordinis intimare, quot, quos et quales fratres de suis provinciis invenerint ad hoc opus. Tenorem autem dicte littere sanctissimi domini nostri mittit magister ordinis loco sue littere per totum ordinem in actis capituli generalis insertum.

Item. Volumus et ordinamus, quod pro bono ac tranquillo statu sancte ac universalis ecclesie fiat singulis diebus oracio in quolibet conventu, dum missa conventualis dicitur, immediate terminato pater noster per psalmum: letatus sum, postea sequitur: kyrie eleison et pater noster, quo finito, sacerdos, qui dicit missam, dicat: Et ne nos, et conventus stans prostratus super formas respondeat: sed libera nos; et sacerdos subiungat versum: exsurgat deus etc. et chorus respondeat: et fugiant, qui oderunt eum etc. Item versum: fiat pax in virtute etc., et sacerdos subiungat: dominus vobiscum, cum oracionibus: ecclesie tue etc., et: largire, quesumus, domine, fidelibus tuis indulgenciam placatus et pacem etc.

Item. Cum ex eo, quod illi, qui debent esse ceterorum exemplaria in actibus virtuosis exorbitent ab illius itinere, quem dominus ducem et principem aliorum in tota universali ecclesia instituit, sequatur in grege dominico perniciosus error, scandalosa imitacio ac dampnatum precipicium plurimorum, mandamus et omni districtione, qua possumus, imponimus fratribus universis, nec non et magister ordinis, in virtute spiritus sancti et sancte obediencie, precipit fratribus universis, de diffinitorum consilio et assensu, quod Ludovicum quondam ducem Bavarie,

2) ac] et A2. B — 3) miserit] commiserit A2. — 5) Terre sancte] ad Terram sanctam A2. — 7) prioribus *om.* A2. — 12) inter] interim A2. — 14) opus] aptos *add.* E. — 15) nostri] que *add.* E. — 16) insertum] scriptum A2. — 17) item — placatus *om.* E. — 18) ac] et A2. — oracio *om.* A2BEF. — 20) per psalmum] dicatur psalmus A2. — sequitur] sequatur A2. — 21) nos] etc. *add.* A2. — stans *om.* A2. — 22) nos] etc. *add.* A2. — 23) versum — subiungat *om.* A2. — et — virtute etc. *post* etc. *om.* A2BE. — 25) oracionibus] oracione A2. — etc. *om.* G. — 26) indulgenciam — pacem *om.* A2. — 27) debent] deberent A2E. — ceterorum] aliorum A2. — 28) illius] illis A2; vero *add.* G. — et] ac A2. — 30) dampnatum] dampnativum E. — 31) precipicium] principium A2. — 32) ordinis *om.* E. — 33) spiritus sancti et *om.* A2E. — sancte *om.* BF. — universis] omnibus A2G.

hostem et persecutorem sacrosancte Romane ecclesie ac per eamdem tanquam hereticum condempnatum nec non et omnes alios fautores eiusdem tanquam hereticos condempnatos vitent, ac interdictum occasione dicti perfidi Bavari per sanctam Romanam ecclesiam positum inviolabiliter servent, nec eidem Bavaro vel suis predictis fautoribus quocumque modo prebeant consilium, auxilium vel favorem. Si qui autem contrarium inventi fuerint facientes, pena carceris, ad quam ex nunc pro tunc eos adiudicamus, inviolabiliter puniri volumus, et mandamus eisdem mandatis et imposicionibus, quibus supra iniungentes, quod fratres in suis predicacionibus iuxta formam mandati apostolici processus noviter factos contra dictum Bavarum cum omni diligencia studeant publicare.

Item. Volentes vitare notam et scandala, que apud graves personas non immerito oriuntur ex inordinacione nostri habitus in qualitate et quantitate, imponimus, quod provinciales in suis provinciis et conventuales in suis conventibus cum omni diligencia studeant reducere fratres per preceptum eciam, si oporteat, ut in habitu nostri ordinis nichil habeant, quod paupertatem nostram valeat deformare; quinimo fratres omnes compellant portare habitum in brevitate caparum et capuciorum ac resecacione omnium curiositatum et superfluitatum inconformem nostri ordinis institutis. Et hec taliter exequantur, quod sequens capitulum generale certificari valeat, quod hec omnia per totum ordinem sint correcta.

Item. Cum ex nimio studii lapsu probabiliter sit timendum, ne ordo noster veniat in contemptum, mandamus cum omni districtione, qua possumus, quod nullus ad aliquem sacrum ordinem promoveatur nec ad studium logyce mittatur, nisi in grammaticalibus, nec ad studium naturalium, nisi in logycalibus sit convenienter instructus. Ad studium vero theologie nullus mittatur, nisi predicta diligenter audierit et sufficienter profecerit in eisdem. Lectoribus autem et sublectoribus universis districte imponimus, quod lectiones suas continuent, ceteri vero fratres cuiuscumque condicionis aut status existant, sequi scolas cogantur. Qui vero a scolis defuerint absque speciali licencia et expressa, ipsa die, sine omni dispensacione vino et omni pitancia sint privati; fratres eciam per priores et eorum vicarios ante terciam a locutoriis penis gravioribus arceantur.

---

1) et] ac EF. — 2) et *om.* G. — omnes *om.* E. — 6) modo *om.* B. — 7) ex *om.* A2. — 8) eos *om.* E. — 11) Bavarum] Ludovicum E. — 13) et] in *add.* G. — 14) imponimus] prioribus provincialibus *add.* A2. — provinciales] ipsi A2. — et] priores *add.* A2. — 16) oporteat] oportuerit A2. — 17) habeant] appareat E. — 18) compellant] compellantur A2. — 19) curiositatum] curialitatum A2. — inconformem] conforment A2; conformem G. — 22) cum *om.* A2BG. — 24) possumus] possimus B. — 25) logyce] loycale BFG. — mittatur *om.* A2. — 26) naturalium] naturarum A2. — sit] fuerit E. — 28) sufficienter] eciam *add.* E. — universis *om.* A2. — 30) aut] vel A2. E. — 31) speciali *om.* E. — sine] absque A2. — 33) et] vel G. — gravioribus] rei *add.* A2.

Item. Cum ex eo quod aliqui in predicacionibus ad populum conantur tractare quedam subtilia, que non solum ad mores non proficiunt, quinimo facilius ducunt populum in errorem, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus de cetero presumat talia in suis sermonibus pertractare; contrarium vero facientes ex nunc pro tunc adiudicamus pene gravioris culpe, imponentes eorum prioribus, quod absque dispensacione compellant ipsos facere penitenciam supradictam, et nichilominus nomina talium et ea, que sic predicaverint temerarie, magistro ordinis denuncient absque mora. Caveant eciam lectores, ne in suis questionibus vel lectionibus talia periculosa vel que male possint sapere, doceant vel colorent, alias, postquam legitime quemcumque oppositum fecisse constiterit, per provincialem ab omni lectione et studio in penam deponantur, et nichilominus ceteris graciis ordinis priventur, secundum quod plus vel minus inventi fuerint excessisse.

Item. Volumus et mandamus, quod cum apostate unius provincie sive alii fratres, qui fugiunt ordinis disciplinam, ad aliam provinciam transiverint evagando, (quod) priores provinciales et conventuales, in quorum provinciis seu terminis fuerint, ad capiendum huiusmodi teneantur dare auxilium, consilium et favorem, quando per provinciales eorum fuerint requisiti, ne ex eorum discursu dampnoso ordo noster pati possit scandalum vel iacturam.

Item. Cum Christi milites non debeant iuxta apostoli sentenciam se negociis secularibus implicare et maxime in talibus, que possunt cedere in periculum vel odium cuiuscumque, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater de cetero quocumque modo, verbo vel scripto, se de negociis secularibus ex se odiosis et litigiosis aliquatenus intromittat, nisi in casu aliquo multum utili et necessario eius priori provinciali vel conventuali, communicato super hoc plurium discretorum consilio, aliud videretur. Nullusque cuiuscumque condicionis aut status existat, sub eodem tenore precepti de guerris aut guerrarum negociis directe vel indirecte se presumat intromittere, alioquin ex vi presentis statuti ad penam carceris se reputet condempnatum.

Item. Precepit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater pecuniam quantamcumque sive quecumque alia bona

2) non *post* mores *om.* B. — 3) quinimo] ymo A2. — ducunt] inducunt E. — 5) sermonibus] predicacionibus A2. — 6) vero *om.* E. — 8) ipsos] eos A2; illos G. — nichilominus] rei *add.* A2. — 12) colorent] tollerent E. — alias — deponantur *om.* A2F. — 13) constiterit] contigerit A2. — provincialem] provinciales BG. — 14) ceteris] aliis A2. — vel] et F. — 17) alii *om.* BFG. — 18) transiverint] transeunt A2. — 25) vel odium A2. — 27) quocumque modo *om.* A2. — negociis] novis E. — 29) necessario *om.* A2. — eius] ei B. — 30) aliud *om.* B. — 31) nullusque] nullus A2. — status] auctoritas BF. — 32) aut] ac B. — 36) quantamcumque] quamcumque A2G.

in auro vel argento et lapidibus preciosis extra commune depositum conventus teneat sine sui prioris provincialis vel conventualis licencia speciali. Eodem tenore precepti inhibemus fratribus universis, ne mutua concedant vel debita contrahant cum personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis, sine suorum priorum provincialium vel conventualium licencia petita et optenta. Omnes autem gracias quibuscumque fratribus ordinis concessas sub quacumque forma verborum a magistro ordinis seu a quocumque prelato ordinis inferiori, ordinacioni presenti et preceptis contrarias revocat magister ordinis et per presentes denunciat revocatas. Insuper abusionem illam detestabilem ac paupertati nostre contrariam, qua quidam fratres nostri ordinis in usu vasorum aureorum et argenteorum abutuntur pocius quam utantur, abhorrentes, omni districtione, qua possumus, inhibemus, ne frater aliquis de cetero presumat uti talibus, quinimo ex nunc pro tunc sic utentem eisdem vasis privamus et ipsa suo conventui applicamus.

Item. Cum ex importuna mendicacione apud graves personas preces fratrum pauperum veniant in contemptum, prohibemus districte, ne fratres, in quorum provinciis et conventibus capitulum generale deinceps contigerit assignari, extra terminos sue provincie pro petendis elemosynis a quibuscumque personis exeant sine magistri ordinis licencia speciali.

Item. Significamus fratribus universis, quod privilegium olim datum magistro ordinis et prioribus provincialibus et conventualibus super potestate licenciandi fratres nostri ordinis ad monachos nigros, ad instanciam ipsius magistri ordinis est a domino nostro summo pontifice totaliter revocatum.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater procuret se vel alium mitti ad studium Parisiense per aliquam personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam.

Item. Declaracionem et ordinacionem factam in precedenti generali capitulo de loco de Pera simpliciter revocamus (1).

Item. Precipit magister ordinis in virtute sante obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne frater aliquis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat

1) vel] an G. — 2) conventus *om.* AE. — 4) nostri *om.* A2BG. — 7) sub *om.* B. — 8) a *om.* BF. — inferiori *om.* E. — 9) et per — revocatas *om.* E. — 10) ac] et A2. — 13) qua possumus *om.* A. — aliquis de cetero *om.* A2. — 16) cum] ne A2. — 21) olim *om.* A2. — 22) et] ac *ante* conventualibus BG. — 25) totaliter *om.* B. — 27) se vel alium *om.* E. — 30) item *om.* A2. — factam *om.* A2. — 31) de loco *om.* A2. — 32) in — obediencie *om.* BF. — de — universis *om.* A2. — 33) fratribus universis *om.* E. — 34) aut] vel A2.

(1) Cf. supra pag. 171 l. 5 sqq.

accedere, nec de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri licencia speciali et expressa. Quicumque vero contrarium fecerint, preter transgressionem precepti voce et omnibus graciis ordinis sint privati. Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et eorumdem vicariis generalibus, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Declaramus autem, quod procurator ordinis potestatem non habeat vocandi fratres ad curiam vel licenciandi fratres ad eamdem seu retinendi in eadem, nisi pro negociis ordinis directe tangentibus officium suum exequendis.

Letania more solito dicatur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores s. Emiliani, s[i.] Gaudencii, Morlanensem, Orthesiensem, Agennensem, Condomiensem, Ruthenensem, Marciaci, Bellividere et Burdigalensem. Et isti non resumantur ad eadem officia in eisdem conventibus isto anno.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre et domino nostro summo pontifice quilibet sacerdos sex missas; et ordinamus, quod in quolibet conventu sit ebdomadarius pro eodem.

Pro venerabili patre et domino domino Guillelmo Sabinensi episcopo cardinali (1) quilibet sacerdos ·iiii· missas et quilibet conventus unam missam de sancto Thoma de Aquino.

Item. Pro venerabili patre domino Matheo de Ursinis, tituli sanctorum Iohannis et Pauli presbytero cardinali (2), quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabilibus patribus dominis Gauselino, penitenciario maiori (3), Bertrando Tusculano episcopo (4), Bertrando de Monte Fa-

1) nec] aut A2. — 2) Romanam] eandem A2. — magistri] ordinis *add.* BF. — et expressa *om.* A2. — 3) quicumque] qui E. — 4) sint privati] sit privatus A2 G. — ordinis *om.* B. — 5) singulis *om.* BG. — eorumdem] eorum A2. — 6) necessariis *om.* A2. — 7) ire et *om.* A2. — 8) autem *om.* A2. — habeat] habet A2 G. — 9) seu] vel A2. — 10) ordinis *om.* BF. — 11) exequendis *om.* E. — 15) Orthesiensem] Orosiensem E. — Agennensem] Agiensis E. — Condomiensem] Condomiensis E. — 16) et isti — omni voce privatus *om.* E. — 18) ista — ave Maria dicant *om.* A2FH; ista — Maria dicant] numerus missarum pro vivis sexaginta misse. Numerus pro defunctis ·XXIIII· misse G.

(1) De fr. Guilelmo Petro Godin cf. supra pag. 103 l. 30.

(2) De fr. Matthaeo de Ursinis cf. SSOP. I pag. 596; Denifle l. c. pag. 172, 173, 275, 441; Eubel l. c. pag. 15.

(3) Gaucelino Iohannis Deuza, Caturcensi, vicecancellario, tit. ss. Marcellini et Petri, postea (a. 1330) ep. Albanen. † 3 Aug. 1348; cf. ibid. l. c. pag. 14.

(4) Bertrando de Turre O. Min.; cf. ibid. pag. 15.

ventio (1), domino Napoleone (2), domino Luca (3), domino Arnaldo de Pelegruga, domino Raymundo de Fabricis (4) et pro toto venerabili collegio cardinalium quilibet sacerdos ·iii· missas.

Pro venerabili patre domino Petro cardinali episcopo Penestrino ac vicecancellario (5) quilibet sacerdos unam missam.

Pro venerabili patre domino Hostiensi, apostolice sedis legato (6), quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Iohanne Gagetano, apostolice sedis legato (7), quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Compostellano (8) quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Tholosano quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Tholetano quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro archiepiscopo Nichosiensi (9) quil. sacerdos unam missam.

Item. Pro domino patriarcha Ierosolomytano (10) et domino archiepiscopo Atheniensi (11) et Thebano (12), et dominis episcopis Lodovensi (13), Baionensi (14) et Apamiensi (15), archiepiscopo Lugdunensi quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino episcopo Aquensi (16), nepote domini Sabinensis, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino episcopo Mirapiscensi (17) quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) Bertrando de Monte Faventio, diac. s. Mariae in Aquiro; ibid. pag. 14.

(2) Napoleone Ursino, diac. s. Adriani; ibid. p. 11 et supra pag. 95 l. 1.

(3) De D. Luca cf. supra l. c. l. 3.

(4) De DD. Arnaldo et Raymundo cf. l. c. pag. 126 l. 13.

(5) Petro de Prato (Després) Caturcensi, aep. Aquen. tit. s. Pudentianae, postea (25 Maii 1323) ep. Praenestin. † 1361 Sept. 30; cf. Eubel l. c. pag. 15.

(6) Bertrando de Poitto (Poyet), Caturcen.; ibid. p. 14.

(7) Ioanne Caietani de Ursinis; ibid.

(8) Berengario de Landorra O. Praed.; ibid. pag. 207.

(9) Ioanne O. Praed. aep. Pisan.; ibid. pag. 382.

(10) Petro de Palude O. Praed.; ibid. pag. 287 et supra pag.

(11) Stephano Mangiatero O. Praed.; cf. Eubel l. c. pag. 116.

(12) Isnardo Tacconi O. Praed., olim. patr. Antioch.; ibid. pag. 508.

(13) Bernardo de la Guionie O. Praed.; ibid. pag. 323.

(14) Petro de s. Jean O. Praed.; ibid. pag. 128.

(15) Dominico Grenier O. Praed.; ibid. pag. 95.

(16) Iacobo de Concoz O. Praed.; ibid. pag. 96.

(17) Petro de Laperaiweda (Piret) O. Praed.; ibid. pag. 360.

Item. Pro domino archiepiscopo Auxitano et dominis Carcassonensi, Calaguritano, Agatensi, Lascurensi, Albiensi, Parisiensi, Condomiensi, Rhutenensi et pro collegio dominorum canonicorum Auxitano de sancto Licerio, Oxomensi et Mimatensi quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino episcopo Godoronensi (1) quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino episcopo Ebroycensi (2) et inquisitore Tholosano ac domino abbate s. Germani Autisiodorensi quil. sacerdos unam missam.

Item. Pro serenissimo principe domino Philippo rege Francie et regina consorte sua et nobili prole sua quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro domino Edoardo rege Anglie et domina regina consorte sua, et domina regina matre eius, quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro domino rege Aragonie et tota domo sua quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina regina Clemencia quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina regina Iohanna relicta domini Karoli quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino rege Roberto et domina regina consorte sua et fratribus suis ac filio, et uxoribus et liberis eorum, et domino rege Castelle quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino rege Ungarie ac domina regina consorte sua et domino rege Boemie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina comitissa Atrabatensi, domina comitissa de Rosiaco et domicella Felicitate de Luceborc quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Roberto de Atrabato, uxore et liberis eius quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Iohanne Emanuelis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabili patre magistro ordinis quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro domina comitissa Fuccensi et domino comite filio suo, uxore sua, ac ceteris liberis, comite Armaniacensi et domina comitissa consorte sua et domino Rogerio episcopo Vaurensi, avunculo suo, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro priorissa de Pisiaco et monasterio ac sororibus Maria de Claramonte, Isabella de Valesio, Isabella de Atrabato quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro sorore (beata) Beatrice de Cayota quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) « Godoronensi » legendum esse puto « Cotronensi » (Cotrone in Italia infer.).
(2) Ioanne de Prato O. Praed.; cf. EUBEL l. c. p. 243.

Item. Pro domina Philippa vicecomitissa de Marentino quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro nobilibus viris Ugone de Palacio, Roberto de Castronovo quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro universitate cleri Tholosani quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro capitulo Tholosano et bono statu civitatis quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro priorissa et monasterio Pruliani et sorore Ermina et priorissa de Ambresius quilibet sacerdos unam missam.

Item. [Pro] domina Margarita principissa Antiochie et domina Iohanna de Lara de Yspania, domina de Monteforti, domina Katerina de Villavech, domina Auta de Burlaco, domina Uga, sorore summi pontificis, domina Constancia de Mirapice, domina Condrosue Marestangno quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominis infantibus Petro et Raymundo Berengarii, fratribus regis Aragonie, domino comite Convenarum, uxore sua, domino Rugerio de Convenis, domino Philippo comite Brunensi, domino Franchisco de Mirapice, domino Petro de Castro Verduno, domino Arnaldo de Vilario, domino Raymundo Bernardi de Dureфforti, domino Iohanne de Basvuilla, domino Petro Raymundi de Rapistangno, domino et domina de Pinchino de Theutonia, et dominis canonicis de sancto Felice, domino Laurencio Nonscon, uxore et liberis et ceteris, qui benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro hiis, qui receperunt fratres venientes ad capitulum generale et recipient redeuntes, et pro hiis, qui habent literas de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro fratribus et sororibus nostri ordinis et fratribus minoribus quilibet sacerdos ·ii· missas.

Ista sunt suffragia pro mortuis.

Pro illustrissimo principe domino Karulo quondam rege Franchie et Navarre quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. [Pro] illustrissimis principibus quondam regibus Francie, domino Philippo patre, Ludovico, Philippo et liberis eorumdem quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Edoardo quondam rege Anglie quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro domino rege Aragonum quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro domina Blancha de Britania quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro domino Karulo, comite quondam Valesii, et dominabus comitissa et imperatrice et domino Philippo Atrabatensi et comite Ebroycensi et domina consorte eius et domino Alphonso de Yspania, et do-

mino Guastone quondam comite Fuccensi et Margarita filia eius, et domina regina, comitissa quondam Armanyaci, et Adelayde de Marestangno quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Sancio, quondam rege Maioricarum, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina marchesia, quondam comitissa Enpamarum, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Guillelmo Segnini milite, domino Karulo de Flisco, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Roco de Mangono, quondam preposito canonico Petri Papiensis et domino Iohanne fratre eius et patre et matre eorumdem quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina Veredina de Vivaldes quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabili patre fratre Aymerico, quondam magistro ordinis, quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro domina de s. Albino et domina Maria de Vaucem quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabili patre fratre Herveo, quondam magistro ordinis et pro fratribus et sororibus nostris defunctis, et pro hiis, qui habebant litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos ·iii· missas.

Pro qualibet missa superius posita quilibet frater clericus non sacerdos ·vii· psalmos cum letania et quilibet conversus centum pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Garinum de Giacho de provincia Francie (1).

Item. Pro anno sequenti, quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias Parisius fratrem Lupum de provincia Yspanie (2).

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bachelaris et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Cistaricum in provincia Provincie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

---

26) Garinum] Guerinum H. — Giacho] Giaco A2 G. — 27) assignamus — Parisius *om.* A2. — 30) ut] quod A2; et F. — 31) viderit] iudicaverit A2. — 35) illuc *om.* G.

---

(1) De fr. Garino cf. supra p. 172 l. 18.

(2) De fr. Lupo Alphonsi de S. Iuliano cf. Denifle l. c. pag. 312, 330, 339, 354.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante ·vi· feriam penthecosten immediate precedentem.

Quicumque autem sine licencia ad capitulum venerit vel loco capituli appropinquaverit cum intencione veniendi ad capitulum, sit ipso facto per triennium omni voce privatus.

Declaracio quorumdam dubiorum facta in capitulo generali celebrati Tholose anno domini ·m°· ccc°· xxviii°·

Tercio, quod presidentes ordinis possunt dispensare cum illis apostatis, qui in apostasia divina celebrarunt, et hoc auctoritate illius privilegii, quo committitur prelatis ordinis, ut subditos suos possint absolvere ab omni sentencia excommunicacionis late generaliter a iudice vel a iure; et videtur intelligendum de iudice, qui sit vel non sit de ordine.

Quarto, quod apostate ordinis ad ordines approbatos licenciati per priores provinciales, qui morari non possunt in monasteriis, in quibus recipiuntur, possunt ab eisdem absolvi a sentencia excommunicacionis, quam ex constitucione ordinis incurrerunt apostatando. Idem intelligitur de sentencia lata a iudice pro quibuscumque causis et eciam magnis; et ita utuntur penitenciarii domini pape.

Quinto, quod prior potest instituere vicarium in conventu suo priorem vel fratrem alterius conventus, sed non debet facere nisi in necessitatis articulo; et racio est, quia secundum iura ordinarius non potest committere vices suas alteri alterius diecesis.

Sexto, quod quando prior instituit vicarium, iste institutus non potest alium instituere, nisi sibi committatur per priorem; unde prior in tali institucione debet dicere: Ego te instituo vicarium et illum vel illos, quem, quosve duxeritis instituendos.

Septimo, quod prior potest committere subdito suo, quod confiteatur priori vel subdito alterius conventus, sed non alterius religionis vel secularibus clericis.

Octavo, quod in constitucione de lapsu carnis convicti incurrunt aliquas penas, declaratum est, quod licet convictus proprie dicatur, qui per testes convincitur in iudicio; convictus proprie dicitur in hoc casu, qui peccatum suum prelato suo fatetur coactus per aliquam excommunicacionem vel inclusionem aut arctam penitenciam, sive alias per censuram ecclesiasticam: unde talis convictus sic illas easdem penas consti-

---

2 penthecosten] festum penthecostes A2 G. — 7) *declarationes dubiorum desumuntur ex codice* AIII *in tabulario generali ordinis asservato; duo priora dubia ibi desunt.*

tucionis incurrit; si vero dicatur, quod cum confesso micius sit agendum: sic videtur, quod tales pene ad penitenciam gravioris culpe pertineant; et tales pene alie sunt privative, scilicet quando tales privantur voce vel graciis ordinis ex ipso statuto; unde in penis privativis tales penitencie sibi remitti non possunt, quia sunt canonis late sentencie, sed cum eo potest pocius dispensari; sed in positivis micius potest agi cum eo et precipue, si sponte peccatum suum [est confessus] et non coactus, aliter vero si coactus.

Nono, quod si aliquis nobilis laicus simpliciter sine litteris ad habitum clericalem recipiatur, propter eius nobilitatem non teneatur [ad] dicendum officium clericorum et alia clericorum officia facienda.

Decimo, quod frater clericus, exigente culpa, potest per prelatum suum privari habitu et graciis ordinis clericorum, et sic fieri conversus, dummodo non fuerit promotus ad sacros ordines.

Undecimo, quod prior provincialis potest committere vicario suo generali, ut instituat vicarios particularium nacionum.

Duodecimo, ad intelligenciam illius clausule in capitulo de gravi culpa, ubi dicitur: quod talis, quamdiu fuerit in penitencia, non communicet etc. ante plenariam satisfactionem, dicendum, quod ad satisfactionem plenariam requiritur unum duorum, scilicet debita solucio ex parte illius, qui tenetur, aut relaxacio ex parte illius, qui relaxare potest, sicut videmus aliquem satisfacere dicitur de debito duobus modis, scilicet solvendo debitum ex parte sui, vel relaxato ex parte eius, cui tenetur, qui debitum relaxare potest. Eodem modo in proposito, si aliquis recipit penitenciam faciendam usque ad decem dies vel ad alium terminum, et eam fecerit, plenarie satisfacit; item si prelatus relaxat, satisfacere dicitur.

Terciodecimo, quod nullus prior potest concedere rem pertinentem simpliciter ad conventum sine consensu eiusdem conventus.

Quartodecimo, quod in qua provincia, in qua nostri conventus non excedunt numerum predicatorum generalium, si fiant de facto aliqui predicatores generales, illi secundum veritatem non sunt censendi predicatores generales, cum non sint nec debeant admitti ad ea, que tractantur in capitulo provinciali vel mittenda [sunt] ad capitulum generale.

Decimoquinto, quod dispensacio facta cum apostatis ante terminum et si fiat de facto, nullo modo valet.

Actis additae sunt litterae Ioannis XXII; cf. BO. tom. XXII p. 178 n. LXII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD CISTARICUM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XXIX°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: omnibus fratribus ad conventum illum pertinentibus etc., deleatur: si commode fieri potest, et dicatur sic: convocatis, si infra unam diem possit ad eos nuncius pervenire. Et hoc idem in electione priorum conventualium et tractatu eorum, que mittenda sunt ad provinciale capitulum, observetur.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali circa principium, ubi dicitur: quos instituendi nullus vicarius eciam cum diffinitoribus habeat potestatem, addatur sic: quos eciam absolvere nullus possit, nisi solum capitulum generale.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: omnia diffinient et tractabunt cum provinciali, addatur sic: vel eius vicario; quod si plures vicarii fuerint, a quibuscumque sint legitime instituti, ille ad diffinicionem admittatur, quem maior pars diffinitorum duxerit eligendum.

Item hanc: quod fiat festum trium lectionum ·xi· millium virginum, et magister ordinis curet interim de officio providere.

Item. Quod de angelis fiat memoria per octavas s. Michaelis in laudibus per antiphonam: Angeli et archangeli, per versiculum etc.: In conspectu angelorum psallam tibi etc. In vesperis vero per antiphonam: Laudemus dominum etc., per versiculum: Angelis suis etc. Et hoc in locis suis in ordinario annotetur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: vel de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur sic: vel carceri sentencialiter et legitime fuerit mancipatus. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: In capitulo de electione prioris provincialis in fine, ubi dicitur: si vero in provincialatu decesserint, deleatur totum, quod se-

2) hec sunt *om.* A2 G. — 4) anno domini *om.* G. — domini ·MCCCXXIX·] etc. E. — 6) inchoamus hanc *om.* E. — 7) etc. *om.* A2. — 12) circa principium] in principio BE. — 13) instituendi *om.* A2. — 14) addatur sic *om.* A2. — solum *om.* A2. — 17) cum] priore *add.* G. — 19) duxerit] elegerit G. — eligendum] admittendum A2 G. — 20) lectionum] de *add.* A2 B; in die *add.* E. — millium] millibus A2 B. — 22) item] hanc *add.* E. — sancti Michaelis *om.* G. — 23) et *om.* A2 G. — per *om.* A2 B. — 24) psallam tibi etc. *om.* EF. — vero *om.* B. — 25) per versiculum] versus A2 BG. — suis] mandavit *add.* B; dominus mandavit de te *add.* G. — 29) addatur *om.* E. — sic *om.* A2 G. — 30) legitime *om.* B; et *add.* G.

quitur usque in finem, et dicatur sic: si vero in provincialatu decesserint, libri et alia, que habuerunt per provisionem ordinis, a provincia vel conventu aliquo, antequam essent provinciales vel in ipso provincialatus officio, ad provinciam vel conventum simpliciter pertinebunt; alia vero omnia, que habuerunt, sint illorum conventuum, de quibus fuerunt assumpti. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: maioris partis eorum consilio et assensu, deleatur totum, quod sequitur usque ibi: et in aliis illi, ad quos mittuntur, et dicatur sic: si vero aliquem missorum studencium infra sex menses a tempore celebrati capituli mori vel legitime impediri contigerit, prior provincialis possit loco illius alium subrogare. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: quod fiat memoria de beato Thoma de Aquino per octavas in laudibus per antiphonam: O Thoma laus et gloria, in vesperis per antiphonam: Collaudetur Christus etc., cum versiculis de communi. Et hec habet duo capitula. Et hoc in locis suis in ordinario adnotetur et medio tempore observetur.

Iste sunt moniciones et ordinaciones.

Cum sanctissimus pater et dominus noster summus pontifex generali capitulo nuper apud Cistaricum celebrato literas exhortatorias miserit et plurimum graciosas, tenorem ipsarum literarum mittit magister ordinis loco sue litere per totum ordinem in actis capituli generalis insertum. Volumus autem et ordinamus, quod pro bono ac tranquillo statu sancte et universalis ecclesie fiat singulis diebus in conventu quolibet in missis conventualibus oracio, quam dominus noster sub bulla sua ordinavit; pro qua oracione dicenda viginti dies de indulgencia pro qualibet vice dedit, scilicet immediate terminato pater noster, prostratis fratribus super formas, dicatur psalmus: letatus sum etc., postea sequatur: kyrie eleison, Christe eleison, pater noster etc. Quo finito sacerdos, qui dicit missam, dicat: et ne nos etc. et conventus respondeat: sed libera nos a malo etc., et sacerdos subiungat versum: domine salvos fac reges; et chorus respondeat: et exaudi nos etc. Item versus: salvum fac populum tuum, domine, etc. Item versus: fiat pax in virtute tua etc. Item versus: do-

2) habuerunt] habent A2. — 4) conventum] unde habuerunt *add.* A2 G. — simpliciter pertinebunt *om.* E. — 5) omnia *om.* A2. — fuerunt] sunt A2. — 8) eorum *om.* A2. — totum *om.* A2. — 9) quos] quod A2. — 10) a tempore *om.* A2. — 13) item — observetur *om.* G. — 14) et gloria *om.* E. — 15) per antiphonam *om.* B. — Christus] rex *add.* A2. — etc.] rex glorie B. — communi] communibus E. — et hec habet duo capitula *om.* E. — 16) et — observetur *om* A2. — 18) moniciones] ammoniciones FG. — 19) noster] dominus *add.* A2. — 20) apud Cistaricum] Cistarici A2 E. — celebrato] celebratum B. — et] quam *add.* A2 G. — 21) tenorem — autem] item volumus E. — 23) ac] et A2. — 24) et universalis] ac venerabilis B. — 25) quam] ipse *add.* A2 G. — 28) postea sequatur *om.* A2. — 29) Christe eleison] etc. B; *om.* G. — etc. *om.* B. — 30) conventus respondeat] responsio A2. — etc. *om.* A3. — 31) reges] etc. *add.* G. — 32) nos *om.* B. — versus *om.* E. — 33) domine etc. *om.* A2 B. — versus *om.* E. — in virtute tua *om.* E. — etc. — versus *om.* A2. — versus *om.* E.

mine exaudi oracionem meam; et subiungat sacerdos: dominus vobiscum etc. cum oracionibus: ecclesie tue etc., item: hostium nostrorum, quesumus, domine, elide superbiam eorumque contumaciam dextere tue virtute prosterne per Christum dominum nostrum etc.

Item. Cum doctrina sancti Thome toti mundo sit utilis et ordini honorabilis, volumus et ordinamus, quod omnes studentes theologie in dicta doctrina studeant diligenter; lectores autem et cursores ipsam doctrinam in suis lectionibus et disputacionibus pertractent singulariter et declarent et conclusiones eiusdem doctoris finaliter teneant, et si contra ipsius doctrinam raciones adducant, illas teneantur solvere, et quantum poterunt, contrarias efficaciter annullare. Quicumque autem contrarium inventus fuerit attentasse, per priores provinciales vel eorum vicarios privetur officio lectorie.

Item. Volumus et ordinamus, quod si aliquis per literas magistri ordinis cuicumque studio generali fuerit assignatus, nisi infra annum a recepcione literarum usus fuerit gracia sibi facta, iter ad studium arripiendo, ipso facto sit privatus gracia supradicta. Rogamus autem magistrum ordinis, quod postquam studentes terminum suum expleverint in studio generali, non faciat eis graciam de alio studio generali, Parisiensi duntaxat excepto.

Item. Volumus et ordinamus, quod quandocumque plures fratres literas suis superioribus mittunt, omnes mittentes nomina sua conscribant vel subscribant, et literas illas ad perfectum intellectum legant. Quod si secus factum fuerit, nomina sua non scribentes vel subscribentes, ad duos annos sint omni voce privati, cui pene talem literam scribens vel procurans eciam sit subiectus.

Adhuc cum de excessivis expensis provincialium vicariorum et visitatorum et famulorum eorumdem ad nos graves querimonie sint delate, inhibemus districte, ne a conventibus, quos visitant, aliquid recipiant, nisi moderatas expensas, super quo eorum consciencias oneramus.

Item. Cum fide digna relacione accepimus plures fratres provinciis Grecie, Terre sancte et societati peregrinancium per penam assignatos, utpote contra intencionem magistri ac tenorem literarum magistri or-

---

1) oracionem meam *om.* E. — et subiungat sacerdos] item E. — 2) etc. *om.* G — tue *om.* E. — etc. *om.* A2; etc. — domine *om.* G. — item] et E. — 3) quesumus — nostrum *om.* E. — eorumque] et eorum A2. — 4) etc. *om.* G.— 5) doctrina] sciencia E.— 8) singulariter et declarent *om.* A2.— 9) finaliter] sentencialiter A2E. — 10) ipsius] dictam ipsam A2E. — 11) contrarias] contrarium B; *om.* F; contrarias] illas studeant A2G. — 19) generali *om.* B. — Parisiensi] studio *add.* B. — 23) et] ut EF. — illas] ipsas FG. — 25) sint] ipso facto *add.* A2G. — omni] sua G. — talem *om.* B. — vel] et A2G. — 27) de excessivis expensis] circa expensas excessivas A2G. — provincialium] et *add.* — vicariorum] suorum *add.* E. — 28) eorumdem] suorum A2. — 30) nisi moderatas expensas] sed sint contenti moderatis expensis A2G. — moderatas] mediocres E. — 32) Grecie] et *add.* A2E. — per penam] per peram G. — 33) magistri *om.* A2G. — litterarum] commissionis G; concessis A2.

dinis, omnes fratres sic assignatos a dictis locis revocamus et volumus eos ad suas provincias et conventus, a quibus amoti fuerunt, simpliciter pertinere.

Letania more solito dicatur.

Inhibet magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis prior provincialis vel conventualis porrigat vel porrigi faciat aliquam supplicacionem domino nostro summo pontifici vel alicui domino cardinali super aliquibus pertinentibus ad ordinem seu ad aliquam provinciam in communi sine expresso consensu magistri ordinis vel procuratoris licencia speciali.

Ista sunt precepta.

Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne aliquis frater, cuiuscumque condicionis vel status existat, ad Romanam curiam presumat accedere nec de suo conventu iter assumat cum intencione ad dictam curiam accedendi sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali et expressa. Quicumque vero contrarium fecerit preter transgressionem precepti voce et omnibus aliis graciis ordinis sit privatus. Concedit tamen magister ordinis omnibus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire vel mittere valeant duos fratres.

Item. Precipit magister ordinis, quod quilibet prior provincialis teneatur pro provincia sua mittere procuratori ordinis tres florenos de auro, usque ad festum resurrectionis immediate futurum.

Item. Significat magister ordinis, quod preceptum datum in generali capitulo Tholosano de non procurando sibi vel alteri fratri studium Parisiense per aliquam personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam in suo robore perseveret (1).

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Terre sancte et ponimus in ea vicarium generalem fratrem Petrum de Castris de eadem provincia, donec prior electus et confirmatus et presens fuerit in eadem.

2) eos *om.* A2. — fuerunt] fuerant G. — simpliciter *om.* G — 4) Letania more solito dicatur *om.* G. — 5) inhibet] item inhibet A2 G. — ordinis] districtione qua potest *add.* G. — 6) vel seu *ante* conventualis G. — faciat] procuret A2 G. — 7) summo *om.* E. — vel] seu A2 G. — domino *om.* B. — 8) pertinentibus] spectantibus A2. — 9) sine] nisi BEFG; de *add.* G. — consensu] assensu B; *om.* A2. — vel] seu A2 G. — procuratoris] ordinis *add* G. — 11) ista sunt precepta] item A2 F; *om.* E; item *add.* G. — 12) in — obediencie *om.* A2. — 13) assensu] fratribus universis *add.* A2 G. — vel status *om.* A2 B; vel] aut FG. — 15) dictam] Romanam BFG. — 16) speciali] habita *add.* G; speciali et *om.* A2. — fecerit *om.* B. — 17) aliis *om.* A2 G. — 18) omnibus] prioribus G. — 19) ordinis *om.* E. — necessariis] generalibus *add.* G. — 21) item — assensu *om.* A2. — ordinis] de diffinitorum consilio et assensu *add.* G. — prior *om.* B. — 24) ordinis *om.* B. — datum] factum BFG. — generali *om.* A2. — 25) alteri] alii B. — 28) iste — isto anno *om.* B. — 30) Petrum] Iacobum E. — Castris] Castro A2 FG. — 31) prior] provincialis *add.* A2 G.

(1) Cf. supra pag. 181 l. 26 sqq.

Item. Grecie et ponimus in ea vicarium generalem fratrem Leonardum Pergamensem de eadem provincia, donec prior provincialis electus et confirmatus presens fuerit in eadem.

Item conventuales: Alestensem, Podii Cerdani, Carpentoractensem, Grassensem, Coquilibrensem, Marsiliensem. Et isti non resumantur ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus isto anno.

Iste sunt penitencie.

Absolvimus in penam suppriores Massiliensem, Alestensem, Barchilonensem, eo quod in eorum conventibus in die tractatus non sine eorum culpa notabili non fuit de eligendo socio concordatum.

Item. Omnibus fratribus de predictis tribus conventibus ad tractatum pertinentibus pro eadem culpa iniungimus quatuor dies in pane et aqua indispensabiliter; quam penitenciam infra mensem ab horum noticia perficere teneantur; quam si non fecerint, ipso facto sint omni voce privati.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno de voluntate domini nostri summi pontificis fratrem Arnaldum de Sancto Michaele de provincia Tholosana (1), et post ipsum immediate ad legendum sentencias ibidem secundum cursum exterioribus debitum de voluntate eiusdem domini assignamus fratrem Lupum Alphonsi (2) de provincia Yspanie, quam assignacionem ipse dominus noster mandavit firmiter observari.

Item. In anno immediate sequenti, quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias Parisius fratrem Durandum de Auriliaco (3).

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalariis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sententias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus apud Coloniam in provincia Theutonie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient,

---

2) prior *om.* G. — 3) confirmatus] et *add.* A2 G. — 4) item] priores *add.* FG. — Podii Cerdani] Pod nodani F. — Cerdani] Sardani A2; Gardani E. — Carpentoractensem] Carpensaratensem A2; Carpentrantoriensem G; Carpensem F. — 5) Grassensem *om* E. — Coquilibrensem] Chochilileri G. — resumantur] assumantur A2F. — 6) et] vel A2 G. — 9) Barchilonensem] Barcilonie F. — in *ante* die *om.* A2. — die — tractatum *om.* F. — 10) socio] socium BG. — 11) tribus *om.* G. — 13) indispensabiliter *om.* B. — infra] unum *add.* G. — horum] presentis G; eorum G — 14) quam] quod G. — facto] ad duos annos *add.* G. — 17) Arnaldum] Raynaldum A2EF. — 18) ad legendum sentencias *om.* A2. — 19) ibidem *om.* A2EF. — 20) fratrem Lupum Alphonsi *om.* E. — 21) firmiter] inviolabiliter A2. — 22) in] quod A2; pro FG. — 23) Auriliaco] Auriaco BEF. — 25) et *post* magistris *om.* EF. — 26) viderit] videbitur F. — 29) apud Coloniam] Colonie F. — 30) qui] pro *add.* B.

---

(1) De fr. Arnaldo de S. Michaele cf. Denifle l. c. pag. 330.

(2) De fr. Lupo cf. supra pag. 168 l. 28.

(3) De fr. Durando cf. Denifle l. c. pag. 330.

illuc dominica infra octavas ascensionis veniant. Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante sextam feriam festum pentecostes immediate precedentem. Quicumque autem ad capitulum sine licencia venerit vel loco capituli appropinquaverit cum intencione ad capitulum veniendi, sit ipso facto per triennium omni voce privatus.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre nostro domino summo pontifice quilibet sacerdos sex missas.

Summa missarum pro vivis ·xlix·; pro defunctis ·x·

Actis additae sunt litterae Ioannis XXII; cf. BO. tom. II p. 181 n. LXVI.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD TRAIECTUM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XXX°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris conventualis, ubi dicitur: qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, addatur sic: et in nostro ordine continue permanserunt, quod in omni constitucione et casu simili volumus intelligi et observari.

Item hanc: In capitulo de sollempni celebracione capituli circa finem, ubi dicitur: magister ordinis cum assensu etc., deleatur: cum assensu, usque ad illud: transferre possit, et dicatur sic: magister ordinis vel eius vices gerens de discretorum consilio ad alium conventum eiusdem provincie transferre possit capitulum generale.

Item hanc: In ordinario in rubrica de memoriis faciendis, ubi dicitur: quod in paschali tempore de cruce fiat memoria, nisi in totis duplicibus, deleatur: totis duplicibus, et dicatur: in duplicibus et supra.

Item hanc, quod de sancto Thoma de Aquino fiat memoria per octavas ipsius in laudibus per antiphonam: Collaudetur, in vesperis per antiphonam: O Thoma, cum versiculis et oracione consuetis.

---

1) infra octavas ascensionis] post ascensionem F. — 3) festum pentecostes] pentecosten B. — 4) venerit... appropinquaverit... sit privatus] venerint... appropinquaverint... sint privati G. — 7) ista — ·X· *om.* EFH; ista — missas *om.* G. — 8) pro — ·X·] ista sunt suffragia pro defunctis B. — 9) missas] etc. *add.* A2. — 10) ·XLIX·] ·LI· G. — ·X·] ·XV· G; expliciunt acta *add.* G. — 13) *acta capp.* 1330. 1331 *om.* A2. — 15) Taiectum superius *add.* A2BEG — 18) conventualis] provincialis E. — 21 observari] servari G. — 24) cum assensu *om.* E. — 26) eiusdem *om.* G. — 29) dicatur] sic *add.* E. — 30) quod *om* F. — 31) collaudetur] rex glorie *add.* E — 32) Thoma] laus et gloria *add.* E.

Item hanc, quod de sancto Servacio episcopo et confessore fiant tres lectiones tercio idus maii, et magister ordinis curet de officio providere.

Et hec omnia in locis suis in ordinario annotentur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: omnibus fratribus ad conventum illum pertinentibus, si commode etc., deleatur: si commode fieri potest, et dicatur sic: convocatis, si infra unam diem possit ad eos nuncius pervenire; et hoc idem in electione priorum conventualium et tractatu eorum, que mittenda sunt ad provinciale capitulum, observetur. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, circa principium, ubi dicitur: quos instituendi nullus vicarius eciam cum diffinitoribus potestatem habeat, addatur sic: quos eciam nullus possit absolvere nisi solum capitulum generale. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc: In capitulo eodem, ubi dicitur: omnia diffinient et tractabunt cum priore provinciali, addatur sic: vel eius vicario. Quod si plures vicarii fuerint, a quibuscumque legitime constituti, ille ad diffinicionem admittatur, quem maior pars diffinitorum elegerit admittendum. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc, quod fiat festum trium lectionum undecim millium virginum; et magister ordinis interim debeat de officio providere. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc, quod de angelis fiat memoria per octavas in laudibus per antiphonam: Angeli et archangeli etc., versum: In conspectu angelorum etc. In vesperis per antiphonam: Laudemus deum etc., versum: Angelis suis deus etc. Et hec habet ·ii· capitula. Et hec in locis suis in ordinario annotentur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: vel de lapsu carnis manifeste convictus fuerit, addatur: vel carcere sentencialiter et legitime fuerit mancipatus. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur in fine: si vero in provincialatu decesserint, deleatur totum usque in finem et dicatur sic: si vero in provincialatu decesserint, libri et alia, que habuerunt per provisionem ordinis a provincia vel conventu aliquo, antequam essent provinciales vel in ipso provincialatus officio, ad pro-

2) curet] tractet G. — providere *om.* E. — 7) etc.] fieri potest E. — si commode *om.* B. — dicatur] addatur G. — 11) circa principium *om.* E. — 12) instituendi] mittendi B. — 15) omnia] quam F. — 17) legitime *om.* E. — constituti] instituti G. — 21) interim debeat] curet interius F. — debeat] curet FG. — 24) et *om.* G. — 25) deum] dominum EG. — versum — capitula *om.* E. — 26) et hec in — annotentur *om.* G. — 33) in provincialatu] infra provincialatum E. — totum] quod sequitur *add.* G. — 35) ordinis *om.* EG.

vinciam vel conventum, unde habuerunt, simpliciter pertinebunt. Alia vero omnia, que habuerunt, sint illorum conventuum, de quibus assumpti fuerunt. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: maioris partis eorum consilio et assensu, deleatur totum, quod sequitur usque ibi: Et in aliis illis, ad quos mittuntur, et dicatur sic: si vero aliquem ipsorum studencium infra sex menses a tempore celebrati capituli mori vel legitime impediri contigerit, prior provincialis possit loco illius alium subrogare. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt ammoniciones et ordinaciones.

Cum ex indiscreta penarum imposicione invenerimus multas turbaciones et conscienciarum pericula in electionibus contigisse, mandamus et districte iniungimus universis prioribus provincialibus et conventualibus ac eorum vicariis, quod non nisi ex causa legitima multum necessaria et urgente et deliberacione diligenti prehabita cum discretis precepta faciant vel excommunicacionis sentencias fulminent seu voce vel graciis ordinis fratres privare presumant. Contrarium autem facientes, postquam legitime constiterit, in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Cum ex verbis incaute prolatis frequenter scandala oriantur, sicut magistra rerum experiencia nostris temporibus manifestat, volumus et ordinamus, quod quicumque frater provincie Anglie, infra ipsam provinciam vel extra existens, verba quecumque quocumque pallio vel colore dicere ausus fuerit, ex quibus verbis serenissimus dominus rex Anglie vel domina regina mater sua aut regnum ipsum Anglie posset merito perturbari, postquam legitime constiterit, carcerali custodie mancipetur.

Item. Ordinaciones et admoniciones precedentis capituli generalis apud Cistaricum celebrati de psalmo: letatus sum, versiculis et collectis pro bono et tranquillo statu ecclesie singulis diebus in missa dicendis, de doctrina sancti Thome pertractanda et declaranda, de subscripcione in litteris, que superioribus mittuntur, et de non procurando studium Parisiense per aliquam personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam, et preceptum de tribus florenis a qualibet provincia infra sequens generale capitulum procuratori ordinis ad curiam mittendis, cum penis ibidem appositis volumus in suo robore permanere (1).

---

2) omnia *om.* E. — 5) eorum *om.* B. — 6) ipsorum] missorum EG. — 13) universis] omnibus E. — 14) legitima multum *om.* BF. — 17) autem] vero G. — 20) nostris] nostra A2. — temporibus *om.* E. — 21) ipsam *om.* G. — 22) quecumque *om.* B. — 23) verbis *om.* G. — dominus *om.* EG. — 24) aut] vel B. — 26) ordinaciones] constituciones G. — 27) sum] et *add.* F. — 28) singulis *om.* E. — 30) superioribus *om.* E. — et *om.* E. — 31) aliquam *om.* E. — 32) et *om.* E. — 33) ad curiam *om.* EG.

---

(1) Cf. supra pag. 190 l. 19 sqq.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne aliquis frater, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam accedere presumat vel de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali habita et expressa. Quicumque autem contrarium fecerint preter transgressionem precepti voce et omnibus graciis ordinis sint privati. Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Letania more solito dicatur.

Iste sunt penitencie.

Denunciamus fratribus universis, quod omnes et singuli fratres, qui quocumque modo Ludovico, quondam duci Bavarie, Michaeli de Cesena, quondam generali ministro ordinis fratrum minorum, et Petro de Corbaria, et complicibus eorum hereticis dampnatis ac scismaticis per sanctam Romanam ecclesiam adheserint aut eisdem prestiterint auxilium vel consilium, dudum per reverendum patrem magistrum ordinis fuerint sentencialiter et in scriptis carceri penisque carceralibus condempnati, dictamque condempnacionem dictus magister in presenti capitulo renovavit et publice promulgavit. Quapropter idem magister de voluntate et assensu diffinitorum precipit in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et conventualibus et eorum vicariis, quod diligenter inquirant, si sint aliqui vel fuerint in tanto scelere delinquentes; et quoscumque invenerint deliquisse, postquam legitime constiterit penis dictis sine dilacione puniant nec circa tales sic punitos dispensari valeat, nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale (1).

Declaramus, quod res et bona apostatarum debent ad conventus illos, de quibus erant tempore, quo apostatarunt, libere pertinere.

Assignamus vicarium in provincia Terre sancte fratrem Guillelmum de Cesimano de eadem provincia, quousque prior provincialis in eadem provincia sit electus et confirmatus ac presens extiterit in eadem.

Item. In provincia Grecie fratrem Nicholaum de Adria de provincia regni Sicilie in forma et modo consimili vicarium assignamus.

---

1) item — penitencie *om.* E. — 9) eorumdem] eorum G. — 15) ordinis *om.* G. — fratrum *om.* E. — 16) Corbaria] Corbano F. — et] ac B; aut G. — dampnatis] condempnatis BG. — 17) sanctam *om.* E. — ecclesiam] curiam E. — eisdem] eis G. — vel] et E. — 19) condempnati] et publice promulgati *add.* EF. — 20) dictamque — promulgavit *om.* F. — dictus] prefatus G. — 21) idem] dictus B. — magister] ordinis *add.* E. — 25) dictis] predictis E; *om.* F. — 26) punitos] penitentes E. — dispensari valeat] dispensare valeant E. — 27) generale] item notificamus seu *add.* F. — 28) declaramus — omni voce privatus *om.* E. — 29) libere *om.* G. — 31) Cesimano] Germano F; Seriguano G. — prior *om.* B. — 32) extiterit] fuerit G. — 33) item] assignamus *add.* F. — 34) vicarium *om.* G.

---

(1) Cf. supra pag. 160 l. 3.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre et domino nostro summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos sex missas; et ordinamus, quod in quolibet conventu sit ebdomadarius pro eodem.

Item. Pro venerabili patre domino Guillelmo Sabinensi episcopo cardinali (1) quilibet sacerdos tres missas et quilibet conventus unam missam.

Item. Pro venerabili patre domino Matheo, tituli sanctorum Iohannis et Pauli presbytero cardinali (2), quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro venerabili patre domino vicecancellario curie Romane ecclesie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino cardinali de Pelagrua (3) quil. sacerd. ·i· miss.

Item. Pro venerabilibus patribus et dominis cardinalibus Bertrando de Montefavencio (4), Gauzelino Iohannis, Raymundo de sancto Papulo (5) et dominis legatis Lombardie et Tuscie, domino Raymundo de Fargis (6), domino Guillelmo de Monte (7), domino Luca, domino Petro de Yspania (8), domino Neapuleone, domino de Convennis (9), domino Avinionensi et venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro venerabilibus fratribus domino fratre Petro de Palude, patriarcha Ierosolymitano (10), et dominis archiepiscopis Compostelle (11), Tholosano, Coloniensi, Treverensi, et dominis episcopis Leodiensi, Myrapiscensi (12), Illerdensi et Mediolanensi, Appamiensi (13), Bayonensi (14), Parisiensi, Autisiodorensi, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro venerabili patre domino archiepiscopo Nicosiensi (15) quilibet sacerdos unam missam.

---

1) ista — dicant *om.* EFGH.

---

(1) De fr. Guilelmo cf. supra pag. 182 l. 2.
(2) De fr. Matthaeo cf. ibid. l. 25.
(3) De Arnaldo de Pellagrua cf. supra pag. 183 l. 2.
(4) De dd. cc. Bertrando, Gaucelino, Luca, Napoleone cf. supra pag. 182 l. 28 sqq.
(5) Raimundo de Mostuejolis; cf. EUBEL l. c. p. 15.
(6) De Raimundo de Fargis cf. ibid.
(7) « Guillelmo de Monte » « Galhardo de Mota » legendum esse arbitror; ibid. l. c. p. 14.
(8) Petro Gometti, Toletano, ep. Carthaginen., tit. s. Praxedis, etc.; ibid. pag. 15.
(9) Ioanne de Convenis, aep. Tholosan., tit. s. Vitalis etc.; ibid.
(10) De fr. Petro de Palude cf. supra pag. 183 l. 17.
(11) De fr. Berengario de Landorra aep. Compostellan. cf. ibid. l. 10.
(12) Petro de Lapeiraweda (Piret) O. Praed.; cf. ibid. l. 23.
(13) Dominico Grenier O. Praed.; cf. ibid. l. 19.
(14) Petro de s. Jean O. Praed.; cf. ibid.
(15) Ioanne O. Praed.; cf. ibid. l. 16.

Item. Pro serenissimo principe domino Philippo rege Francie et domina regina eius consorte quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro domino Iohanne primogenito regis Francie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino rege Anglie et domina regina eius consorte, et domina regina matre eius, et domino Iohanne fratre eius, quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro illustrissimis regibus domino Roberto rege Sicilie et domino Carolo, rege Ungarie, et regibus Aragonie, Castelle, Majoricarum, Navarre, Boemie, Polonie et Ciprie; et dominis principibus Achaye et Taranti, uxoribus et liberis eorumdem, quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro domino Roberto Atrabatensi, comite Bellimontis, et domino Iohanne Emmanuelle, et dominis infantibus Petro et Raymundo Berengario, fratribus domini regis Aragonie, uxoribus et liberis eorumdem quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro domino duce Bavarie, et domina ducissa antiquiore, et domina ducissa iuniore, et nobilibus dominabus domina Blanca de Calderiis, et domina Riembos, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro domina Uga sorore domini nostri summi pontificis, et nepotibus suis quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro domina Beatrice de Cayoto et recommendatis per eam quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro monasterio et priorissa de Pissiaco et pro sororibus Isabella de Vallessio, Maria de Claramonte, Isabella de Atrabato, Maria de Britannia et aliis sororibus quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro canonicis de sancto Servacio et beate Marie in Traiecto et pro civibus Traiectensibus et domino Florentino, uxore et liberis eius, et dominabus abbatissis de Xara et Corredo, et dominabus Agnete Umbaldi et Berengaria Luylia, et domina Castilionia Gomir, et domina Alta Doran, et domino Philippo filio eius quil. sacerd. unam missam.

Item. Pro venerabili patre magistro ordinis quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro fratribus nostris et sororibus et pro fratribus minoribus et pro illis, qui receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeuntes; et pro illis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, et pro hiis, qui benefecerunt capitulo, et dominis Nicholao de sancto Iusto et Petro Corini de Perpiniano, uxoribus et liberis eorum, quilibet sacerdos tres missas.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro domina Iohanna quondam regina Francie et Navarre quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina Clemencia quondam regina Francie et Navarre quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domino Edoardo, quondam rege Anglie defuncto, et dominis regibus, domino Iacobo Aragonie rege, et domino Sancio rege Majoricarum quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina comitissa Atrebatensi et domino Malgolino quondam comite Empuriarum, et domina comitissa matre eius, domina Violante sorore sua, et domino Ermengaudo quondam comite Urgelli, et domina Sibillia quondam comitissa de Pallariis quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro domino comite Sabaudie et domino Othone de Grandasano, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro domina Netanderda, domino archiepiscopo Senonie, domino Othone de Bauzamanii, Enrico Clinco, domicella Assella, et pro parentibus et amicis fratris Egidii de Breda et Agnete Laverre, et domino Petro de Boyl, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro fratribus et sororibus nostris defunctis, parentibus, familiaribus et benefactoribus et illis, qui habuerunt litteras de beneficiis ordinis quilibet sacerdos tres missas.

Pro qualibet missa superiùs posita quilibet clericus non sacerdos septem psalmos cum letania et quilibet conversus centum pater noster cum totidem Ave Maria dicant.

Concedimus provincie Francie unam domum ponendam, ubi provincialis cum diffinitoribus capituli provincialis Francie viderit expedire.

Item. Provincie Yspanie concedimus unam domum ponendam in Castro de Ordiales.

Assignamus ad legendum sentencias isto anno Parisius fratrem Durandum de Aureliaco de provincia Francie (1), et post ipsum immediate de voluntate sanctissimi domini nostri summi pontificis assignamus fratrem Lupum Alphonsi de provincia Yspanie (2).

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalareis et lectoribus biblie ordinet et disponat; prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

---

22) dicant] summa missarum pro vivis xlviii, pro defunctis decem *add.* G. — 24) cum] et F. provincialis] provinciale capitulum G. — viderit] videbitur FG. — 25) concedimus *om.* F. — 26) Ordiales] Ordeariis F: Ordiales G. — 28) Aureliaco] Aureliano F. — 29) sanctissimi domini nostri *om.* G. — assignamus *om.* G. — 30) Alphonsi] Alfuncii F. — 33) viderit] indicaverit F.

---

(1) De fr. Durando cf. supra pag. 193 l. 20.

(2) De fr. Lupo cf. ibid. l. 23.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Victoriensi in provincia Yspanie et ordinamus, quod priores provinciales, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavam ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante sextam feriam vigiliam pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem sine licencia ad capitulum venerint vel loco capituli appropinquaverint cum intencione ad capitulum veniendi, sint eo ipso per triennium omni voce privati.

Instrumenta publica condemnacionis fulminate contra Ludovicum Bavarum, Petrum de Corbaria et Michaelem de Cesena.

Subscripta contenta in processibus sanctissimi patris domini Iohannis pape vigesimi secundi factis contra Ludovicum de Bavaria ac Petrum de Corbaria et fratrem Michaelem de Cesena, olim ministrum generalem ordinis minorum, qui dictus sanctissimus pater per magistrum generalem ordinis predicatorum ac priores omnes dicti ordinis et ipsorum vicarios ac fratres alios ydoneos ab ipsis electos precipit, in locis fratrum solempniter publicari et in sermonibus populo in vulgari exponi. Super quam publicacionem ipsum certificari precipit, quam cicius fieri possit per instrumenta publica continencia principium et finem literarum suarum.

Quoad prefatum Ludovicum continentur culpe ipsius huiusmodi: In primis, quod regnum Romanorum indebite usurpavit.

Item. Quod hereticos Lombardie et rebelles ecclesie manifeste defendit.

Item. Quod in hereses dampnatas ab ecclesia incidit, quarum una est, quod Christus et apostoli nullum ius habeant in rebus, quibus utebantur, videlicet nec in cibo, nec in potu, nec vestibus, aut in re alia qualicumque; heresis vero alia, in quam incidit, est, quod ad imperatorem pertinet papam instituere, destituere ac punire.

Item. Quod Marsilium de Padua et Iohannem de Ianduno, qui librum quemdam scripserunt multas hereses continentem (1), et ob hoc fuerant heresiarche et heretici condempnati in sua familiaritatem admisit et eos hereses publice predicantes retinere presumpsit.

Item. Formam deposicionis contra papam ausu temerario promulgavit.

---

(1) Qui intitulatur *Defensor pacis* apud GOLDAST *Monarch. Rom. imperii II* 154. Cf. DENIFLE *Chartularium* l. c. p. 301-303.

Propter premissa vero est ab ecclesia non solum ut fautor hereticorum, sed eciam tanquam scismaticus condempnatus.

Quoad penas vero ipsius continetur: in primis, quod ipse est nominatim excommunicatus a papa.

Item. Privatus est iure, si quod ex electione in regem Romanorum sibi fuerat acquisitus.

Item. Privatus est feudis, si que ab ecclesia vel imperio obtinebat et specialiter ducatu Bavarie et iuribus omnibus, que sibi in eodem ducatu vel occasione ipsius ad eum poterunt pertinere necnon et privilegiis omnibus sibi autoritate apostolica vel imperiali concessis.

Item. In omnes penas (commisit) a canonibus vel legibus inflictas declaratur incidisse.

Item. Privatus omnibus bonis tam mobilibus quam immobilibus, iuribus et iurisdictionibus, et specialiter comitatu palatino super Rhenum, ac voce in electione regis Romanorum.

Item. Absolvit dominus papa omnes communitates et personas dicto Ludovico per iuramentum fidelitatis vel aliud quodcumque astrictas.

Item. Inhibet districte singulis personis tam ecclesiasticis quam secularibus, cuiuscumque fuerint dignitatis, insuper et civitatibus, communitatibus quibuscumque, et specialiter Mediolanensi, Saonensi, Cumane, Vercellensi, Pergamensi, Laudensi, Cremonensi, Aretine, Novariensi, Papiensi, Mantuane, Veronensi et Lucane, ne cum dicto Ludovico participent aut ei faveant publice vel occulte, nec portent vel mittant seu portare vel mitti faciant victualia vel quodlibet aliud, quando possit in eius utilitatem cedere, nec ligas quascumque cum eo initas, presertim in eius utilitatem observent; contraria premissis facientes, postquam processus papalis ad eorum noticiam potuisset probabiliter pervenire, si sint communitates interdicto, si vero persone singulares excommunicacionis sentencie et terre ipsarum ac loca interdicto subiaceant. Insuper et penis omnibus, quibus fautores et defensores hereticorum de iure subiacere noscuntur.

Premissa omnia continentur in litteris apostolicis, quarum principium est: Nuper videlicet die iovis etc.; finis vero talis est: quam cicius poteritis, cerciores etc. Datum etc.

Quoad Petrum de Corbaria continentur culpe ipsius subscripte:

In primis quod ipse, relicta uxore legitima, cum qua annis pluribus cohabitavit et ut uxorem tractaverat tam in mensa quam in lecto, ordinem minorum est professus.

Item. Quod pro fratre minore se gerens contra preceptum sui provincialis ministri in adventu Ludovici ad Urbem ibidem remansit et nonobstante, quod urbs ipsa esset supposita interdicto, immiscuit se in divinis.

Item. Ibidem in summum pontificem eligi se permisit, et ea que ad nostros Romanos pontifices pertinent de facto exercere ac eciam divina profanare presumpsit.

Item. Scismata et dissensiones per ipsum inter christianos, quantum in ipso fecit seminare, nutrire et augere non cessat.

Item. Prefatum Ludovicum hereticum manifeste defendit.

Item. In heresim incidit superius memoratam, videlicet: quod ad imperatorem pertinet papam instituere, destituere ac punire.

Item. Quod de clavibus ecclesie in eius potestate male videtur sentire.

Item. Quod non solum ipse in Urbe violavit interdictum, sed eciam alios consuluit violare.

Item. Ecclesias calicibus, crucibus et aliis ornamentis ecclesiasticis spoliavit. Propter premissa ipse est hereticus et scismaticus ab ecclesia iudicatus.

Quoad penas ipsius continentur subscripta:

In primis, quod ipse est nominatim excommunicatus a papa.

Item. Est ab omni gradu ecclesiastico depositus.

Item. Quicumque eum recipit vel sibi tanquam summo pontifici adheret vel ei reverenciam exhibet aut defendit, pari sentencia subiaceat et tocius sacri ordinis privacione mulctatur, ita ut ei viatici communio, nisi tantum in ultimis denegetur; illos vero, qui sibi resistunt et eum persequuntur, divina gracia protegat et auctoritas apostolorum ab omnibus peccatis absolvat.

Item. Declarat papa ipsum incurrisse omnes penas scismaticis et hereticis et committentibus alia crimina, que ipse commisit a iure inflictas.

Item. Precipit dominus papa patriarchis et omnibus personis ecclesiasticis sub pena excommunicacionis et suspensionis ab officio et beneficio, quam non parendo incurrunt ipso facto, necnon privacionis, deposicionis et inhabilitacionis officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum, communitatibus insuper omnibus et personis aliis, cuiuscumque fuerint dignitatis, ne dicto Petro faveant quoquo modo nec eum pro prelato habeant vel nominent, sed eum velut hereticum et ecclesie destructorem abhorreant et persequantur, et, si potuerint, capiant et fideliter custodiant subdendum ecclesiastice discipline, nec ordinatos ab ipso vel ad officia aut beneficia promotos ecclesiastica vel mundana recipiant vel pro talibus habeant, nec eciam cum ipso confederacionem aliquam contrahant, nec contractam observent. Contra premissa venientes, si persone fuerint singulares, sentenciam excommunicacionis incurrant; si vero communitates subiaceant interdicto una cum locis et terris ipsarum; privantur insuper privilegiis apostolicis et imperialibus, quibuscumque feudis,

eciam que ab ecclesia vel imperio obtinent. A predictis vero penis preterquam in mortis articulo liberare possit solus papa.

Premissa omnia continentur in litteris apostolicis, quarum est tale principium: Adversus hominem illum etc.; finis vero talis: quam cicius poteritis cerciores etc. Datum etc.

Quoad fratrem Michaelem de Cesena, olim ministrum generalem ordinis minorum, continentur subscripta quoad culpas ipsius:

Imprimis, quod ipse in Urbe multa detestanda contra ecclesiam sanctam in favorem hereticorum et rebellium ecclesie predicare sategit, et cum ob hoc citatus esset, ut coram papa personaliter compareret, iuxta terminum prefixatum non comparens, contra inhibicionem pape de curia clam recessit.

Item. Post dictam fugam cum scismaticis et hereticis continue conversatur, ipsos in erroribus omnes fovit et in fulcimentum errorum suorum hereticalia et erronea multa scripsit.

Propter que est scismaticus et hereticus et heresiarca eciam iudicatus.

Quoad penas vero ipsius continentur subscripta: Imprimis quod ipse excommunicacionis et deposicionis ab officio et inhabilitacionis ad quoscumque honores, gradus et status ecclesiasticos penas incurrit.

Item. Penis omnibus et sentenciis spiritualibus et temporalibus, quibus a divino et ecclesiastico iure hereticorum fautores et heretici ac heresiarche et scismatici sunt obnoxii, est subiectus.

Item. Inhibetur universis patriarchis et personis ecclesiasticis ac communitatibus et personis aliis, ne dicto Michaeli faveant quoquo modo, sed pocius ipsum persequantur ut hereticum et fidei corruptorem; et si potuerint, capiant et fideliter custodiant, subdendum ecclesie discipline, ut de Petro de Corbaria superius dictum fuit, sub penis ibidem expressis, quas contra premissa venientes ipso facto incurrunt, a quibus solus papa, preterquam in mortis articulo poterit liberare.

Premissa continentur in litteris apostolicis, quarum est tale principium: Dudum contra Michaelem etc.; finis vero talis est: quanto cicius poteritis cerciores etc. Datum etc.

Subscripti sunt errores seu hereses fratris Michaelis de Cesena, olim ministri generalis ordinis fratrum minorum, quos sanctissimus pater dominus Iohannes papa vigesimus secundus confutat in libello, cuius est tale principium. Quia vir reprobus Michael etc.; finis vero huiusmodi: Ad inficiendum simplices ulterius diffundantur etc.

Quem quidem libellum mandat dictus pater per magistrum ordinis predicatorum in ipsorum generali capitulo publicari et communicari conventibus et fratribus ordinis antedicti.

Primus est, quod in rebus usu consumptibilibus usufructus potest a proprietate seu dominio separari.

Secundus est, quod in rebus usu consumptibilibus potest usufructus iustus separari a iure utendi.

Tercius est, quod Christus et apostoli nullius rei omnino habuerunt dominium in proprio vel communi nec eciam in re aliqua ius utendi, quia hec evangelice perfectioni repugnarent.

Quartus est, quod levite veteris testamenti decimarum et rerum aliarum eis a domino concessarum, habuerunt solummodo usufructus.

Quintus est, quod primi parentes, si stetissent, non habuissent alicuius rei omnino dominium, sed tantummodo usumfructus.

Sextus est, quod perfectioni repugnat eciam pro rebus communibus in iudicio litigare (volens).

Igitur: Ego frater Barnabas, magister ordinis, sanctissimi patris ac domini summi pontificis mandatis in omnibus volens obedire, dicta mandata apostolica in actis presentis capituli generalis fratribus denunciare precepi atque in virtute sancte obediencie mandavi diffinitoribus prefati capituli, ut copiam illorum articulorum, prout in hac schedula continentur, ad suas provincias diligenter fideliterque deportent ac per eosdem in virtute sancte obediencie preceptum misi ad omnes et singulos priores provinciales et conventuales ac eorum vicarios, ut omnia et singula ad dictam materiam pertinencia per se vel per alios fratres ydoneos publicent in sermonibus publicis vulgarizando et ad obedienciam sancte Romane ecclesie dictorumque rebellium hereticorum et scismaticorum confutacionem populos inducendo. Et super hiis petivi michi fieri publicum instrumentum, sigillumque meum presentibus apposui in testimonium predictorum.

Datum apud Traiectum superius in nostro generali capitulo anno domini millesimo tercentesimo trigesimo.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXIX.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS CELEBRATI APUD VICTORIAM ANNO DOMINI ·M°·CCC°·XXXI°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris conventualis, ubi dicitur: Qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, addatur sic: si tamen post professionem a nostro ordine nullatenus discesserunt, nisi per magistrum ordinis vel generale vel provinciale capitulum fuerit cum eis dispensatum.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de sollempni celebracione capituli, circa finem, ubi dicitur: magister ordinis cum assensu etc., deleatur: cum assensu, usque ad illud: transferre possit, et dicatur sic: magister ordinis vel eius vices gerens de discretorum consilio ad alium conventum eiusdem provincie transferre possit capitulum generale. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: In ordinario in rubrica de memoriis faciendis, ubi dicitur, quod in paschali tempore fiat memoria de cruce nisi in totis duplicibus, deleatur: totis duplicibus, et dicatur: in duplicibus et supra. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: Quod de sancto Thoma de Aquino fiat memoria per octavas ipsius in laudibus per antiphonam: Collaudetur, et in vesperis per antiphonam: O Thoma, cum versiculis et oracione consuetis. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: Quod de sancto Servacio episcopo et confessore fiant tres lectiones tercio idus maii. Et magister ordinis curet interim de officio providere. Et hec habet duo capitula.

Et hec omnia in locis suis in ordinario annotentur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: omnibus fratribus ad conventum illum pertinentibus, si commode etc., deleatur: si commode, et addatur sic: convocatis, si infra unam diem possit ad eos nuncius pervenire. Et hoc idem in electione prioris

---

6) conventualis] provincialis EF. — 14) ad — possit *om.* B. — 23) collaudetur] etc. *add.* E. — 27) tercio idus] idibus E. — 29) omnia *om.* E. — 33) commode] fieri potest *add.* BG. — addatur] dicatur E. — 34) in] de E.

conventualis et tractatu eorum, que mittenda sunt ad capitulum provinciale, observetur. Et hec habet tria capitula.

Item hanc: Quod de angelis fiat memoria per octavas in laudibus per antiphonam: Angeli, archangeli, versum: In conspectu angelorum etc. In vesperis per antiphonam: Laudemus dominum, et versum: Angelis suis etc. Et hec habet tria capitula.

Item hanc: Quod fiat festum ·xi· millium virginum trium lectionum. Et hec habet tria capitula; et magister ordinis hoc anno provideat de officio et curet in sequenti capitulo publicare.

Intimamus fratribus universis, quod de expressa voluntate domini nostri sanctissimi patris ac domini summi pontificis est, ut in nostris constitucionibus in capitulo de generali capitulo, ubi dicitur: Appellaciones enim in ordine nostro, loco: in nostro ordine, dicatur: intra nostrum ordinem. Et ob hoc mandamus et imponimus prioribus et fratribus universis, quod hec verba: intra nostrum ordinem, loco horum: in nostro ordine, in suis constitucionibus faciant annotari.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod in capitulo de itinerantibus, ubi dicitur: quod prior in ordine sit prior in via: per hoc non intelligitur, quod priori in ordine aliqua iurisdictio conferatur. Et idem dicimus debere intelligi in capitulo de predicatoribus, ubi dicitur: Socius datus predicatori, ipsi ut priori suo obediat.

Item. Declaramus, quod illi, qui mortuo vel amoto priore provinciali ex vi constitucionum gerunt vices provincialium in omnibus, nullam ex hoc habeant super sorores nostri ordinis potestatem.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum in quibusdam provinciis invenerimus priores, visitatores et provincialium vicarios in privando fratres suis vocibus notabiliter excessisse, volumus et ordinamus, quod priores conventuales, supriores et eorum vicarii necnon visitatores et vicarii provincialium fratrem aliquem voce non privent, nisi a priore provinciali super hoc mandatum expressum vel commissionem habuerint specialem; et tunc eciam non nisi de discretorum consilio et assensu. Quod si secus a quocumque predictorum factum fuerit, ipso facto irritum et inane esse volumus.

Item. Quia decet, quod illi, qui sunt unius obediencie professores, eisdem foveantur oracionibus et eisdem suffragiis adiuventur, volumus

---

4) angelorum *om.* E. — 5) et *om.* E. — 7) festum... trium lectionum] tres lectiones G. — 8) hoc anno *om.* B. — 11) sanctissimi — domini *om.* E. — 13) nostro] etc. *add.* E. — loco — ordine] dicatur intra G. — 15) nostrum *om.* B. — loco — ordine *om.* E. — 18) declaramus *om.* E. — 23) declaramus] hanc *add.* G. — 28) suis] suos B. — 30) necnon] et B. — 31) expressum *om.* E. — 32) vel] et E. — 33) a quocumque predictorum *om.* E. — 34) factum] actum G. — inane] illud *add.* EG. — 35) quod] ut G. — 36) eisdem *om.* BF.

et ordinamus, quod fratres per totum ordinem in omnibus oracionibus mencionem facientibus de fratribus adiungant et sorores, sicut in oracione: Deus venie largitor, et in commemoracione post lectionem de preciosa, et in versiculo litanie: Salvos fac servos tuos, addatur: et ancillas tuas.

Item. Quia nonnulli fratres contra suorum prelatorum voluntatem in scandalum ordinis non modicum presumunt extra suos conventus et provincias vagando discurrere vel eciam in habitu nostro extra loca nostri ordinis sine licencia commorari, volumus et ordinamus, quod tales omni voce penitus sint privati et nichilominus, cum redierint, pena gravioris culpe puniantur; adiicientes, quod prior loci illius statim culpam et penam talis fratris, cum redierit, provinciali suo denunciet, ut ipse de augmento vel dispensacione istius penitencie ordinet secundum exigenciam sue culpe. Nolumus enim, quod in talibus cum predictis alius valeat dispensare, eisdem penis decernentes esse ligatos fratres assignatos provincie Grecie et Terre sancte et peregrinacioni inter gentes, nisi infra annum a tempore sue assignacionis, impedimento legitimo non obstante, ad loca, quibus assignati sunt, accesserint, et si per provincias quascumque discurrerint sine priorum provincialium illarum provinciarum licencia speciali.

Item. Cum magister ordinis et priores provinciales interdum concedant aliquibus fratribus, quod in bonis sibi appropriatis succedant vel quod de sibi appropriatis possint infra ordinem ad libitum ordinare, declaramus et notificamus fratribus universis, quod predicte gracie de successione ad libros et quoad vitam succedentis solummodo se extendant. Gracias autem de ordinacione rerum concessas dicimus non valere, nisi in vita sanus existens cum effectu illas conferat, cui talis gracia est concessa; omnes autem gracias per magistrum ordinis vel per priores provinciales quibuscumque sub quacumque forma verborum concessas, huic presenti ordinacioni in quocumque contrarias revocat magister ordinis de omnium diffinitorum consilio et assensu.

Item. Cum redditus ad vitam emere nostre professioni obviet et nostram difformet notabiliter paupertatem, districtione, qua possumus, inhibemus, ne frater quicumque presumat hec deinceps suo vel alieno nomine attemptare. Quod si secus a quoquam actum fuerit seu ante presentem ordinacionem in hoc inventus fuerit aliquis deliquisse, ipso

---

1) omnibus *om.* E. — 2) de fratribus *om.* — et *om.* BG. — 6) voluntatem] et *add.* B. — 10) penitus *om.* EF. — nichilominus *om.* E. — 13) vel] et G. — istius penitencie *om.* E. — 14) in] cum B; ab eo *add.* BF. — cum] in BF; eo inferior *add.* G. — 15) decernentes] determinantes E; discernentes F. — 22) aliquibus *om.* E. — sibi *om.* E. — 24) fratribus universis *om.* E. — 25) et] que G. — 26) concessas *om.* E. — 28) per priores *om.* G. — 31) omnium *om.* EG. — 34) alieno] alio G. — 35) actum] factum E.

facto omni percepcione illorum reddituum sit privatus, et priores provinciales de illis redditibus ordinent de discretorum consilio, prout expedire viderint ordinis honestati.

Item. Cum studentes diversarum provinciarum missi per magistrum ordinis ad alias provincias, ut in eisdem moribus et sciencia proficiant, inveniantur interdum notabiliter deficere in eisdem, volumus et ordinamus, quod priores provinciales illarum duntaxat provinciarum, ad quas mittuntur, de discretorum consilio eos possint ad suas remittere provincias, si defectuosi in moribus exstiterint vel si inventi fuerint studio non insistere cum effectu; et provinciales illi, de quorum provinciis assumuntur, taliter assignatos retinere valeant et suis reassignare provinciis, si eos non iudicaverint emittendos; ita tamen quod ipsi provinciales de revocacione tali magistrum, quam cito poterunt commode, informent per litteras et de causa.

Item. Ne fratres exquisitis modis illos conventus deserant, pro quibus ad ordinem sunt recepti, inhibemus districte, ne priores provinciales fratrem aliquem determinent pertinere ad conventum alium quam ad illum, pro quo ad ordinem est receptus, nisi per simplices assignaciones in nostro ordine consuetas. Et rogamus magistrum ordinis, quod quibuscumque fratribus deputaciones vel determinaciones huiusmodi non concedat.

Item. Cum provincie Grecie et Terre sancte notabilem defectum paciantur in fratribus, concedit magister ordinis prioribus provincialibus, quod quilibet eorum de sua provincia sex fratres, vita et moribus approbatos voluntarios cuilibet dictarum provinciarum valeat assignare.

Item. Omni districtione, qua possumus, inhibemus, ne camere quibuscumque fratribus concedantur, nisi forte illis, quibus racione officii vel status ordo actenus concedere consuevit, vel nisi evidens necessitas hoc requirat, imponentes prioribus provincialibus, ut excessum quarumdam camerarum uniformitatem nostram in communi dormitorio defformancium ad uniformitatem studeant reducere cum effectu. Gracias quascunque huic ordinacioni contrarias sive a magistro ordinis sive a prioribus provincialibus concessas denunciantes penitus revocatas.

Item. Cum ex eo, quod magistri et bacalarii Parisienses expensas faciant in suis principiis, notabiliter graventur ipsimet facientes excessivas, ex quibus paupertas nostra non sine gravi scandalo difformetur, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et

2) ordinent] et disponant *add.* E. — de discretorum consilio *om.* E. — prout] secundum quod E. — 5) alias] diversas G. — 6) in eisdem *om.* E. — 8) de discretorum consilio *om.* B. — 12) ipsi *om.* E. — 13) magistrum ordinis *add.* E. — commode *om.* FF. — 20) huiusmodi] tales E. — 22) item — assignare *om.* E. — 26) omni *om.* E. — 29) imponentes] et imponimus E. — 35) notabiliter *om.* EF. — graventur — quibus] et E. — 37) sancte obediencie] spiritus sancti E.

assensu, quod supradicti magistri et bacalarei nullam pictanciam faciant in die aule sue nec in diebus, quibus incipiunt lectiones suas. Et volumus, quod priores provinciales in suis provinciis consimiles excessus lectorum quorumcunque in suis principiis studeant refrenare.

Item. Cohibere volentes multitudinem fratrum ad capitula veniencium, volumus et ordinamus, quod quicunque frater ad capitulum generale vel provinciale absque licencia magistri ordinis vel prioris provincialis sui venerit seu de conventu suo cum intencione accedendi exiverit, ipso facto sit simpliciter omni voce privatus, ad quam restitui non valeat nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Et nichilominus volumus, quod tales in actis suorum capitulorum provincialium privati voce publice nuncientur.

Item. Renovamus ordinacionem de studentibus in tota sua forma factam in capitulo generali Tholose ultimo (1).

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne frater quicumque, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam accedat vel de suo conventu iter assumat, cum intencione ad dictam curiam accedendi sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali, de qua per litteras eiusdem magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem; et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sentenciam excommunicacionis late sentencie ipso facto noverit se incurrisse. Quam sentenciam excommunicacionis prefatus magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sentencia sibi soli retinens et reservans. Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus, ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres. Concedit eciam magister ordinis provinciali provincie vel vicario provincie illius, in qua nunc est curia vel erit pro tempore, quod ipsi cum diffinitoribus sui provincialis capituli modum inveniant, per quem

2) diebus) in *add.* G. — 3) suis] omnibus B. — 5) capitula] capitulum G. — 6) frater *om.* E. — 7) prioris *om.* E. — 8) sui *om.* E. — venerit] accesserit BG. — 9) exiverit] accesserit G. — 11) nichilominus *om.* E. — 14) generali] celebrato *add.* E. — 16) fratribus universis *om.* E. — quicumque] *om.* BG. — 18) dictam] Romanam G. — 19) ordinis *om.* E. — 20) vel — provincie *om.* B. — sue *om.* G. — 23) nichilominus *om.* E. — 24) excommunicacionis *om.* E. — 25) prefatus *om.* G. — 26) in diffinitorio *om.* E. — 27) a dicta *om.* G. — retinens et *om.* E. — 28) prioribus *om.* E. — 30) ad dictam curiam *om.* B. — ire et *om.* E. — 31) concedit — florenos *om.* E. — vel — provincie *om.* BF.

(1) Cf. supra pag. 179 l. 22 sqq.

refrenato discursu illius provincie ad curiam formam statuant, secundum quam provincialis illius provincie licenciare possit fratres suos ad curiam. Quam ordinacionem teneantur provinciales et vicarius provincie et diffinitores magistro ordinis mittere, ut ipsam modificet et confirmet. Omnem autem licenciam et potestatem licenciandi a magistro ordinis quibuscunque concessam revocat magister ordinis et annullat de diffinitorum consilio et assensu.

Item. Imponimus prioribus provincialibus universis, quod singuli infra sequens capitulum generale vel in ipso generali capitulo mittant procuratori ordinis tres florenos.

Litania more solito dicatur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Theutonie, Polonie et provincie Provincie.

Item. Conventuales Elnensem, Toletanum, Beneventanum, Burgensem, Lucensem, Salmantinum.

Et volumus, quod priores absoluti non possint in eisdem provinciis et conventibus resumi ad eadem officia isto anno.

Volumus et ordinamus, quod prior provincialis et diffinitores presentis capituli provincialis provincie Yspanie omnibus conventibus istius provincie de lectoribus provideant sufficientibus, absolvendo eciam priores conventuales, si oporteat, ut de lectoribus melius valeat provideri.

Damus in vicarium generalem in provincia Theutonie fratrem Bernardum Carrerie de provincia Tholosana, ut si in commissione domini nostri summi pontificis super provincia Theutonie sibi facta aliquid sibi desit eorum, que per constituciones nostras conferuntur generali vicario provincie, mortuo vel amoto priore provinciali, per hanc nostram deputacionem sibi integraliter sit collatam.

Item. Damus vicarium in provincia Provincie fratrem Raymundum de Duroforti de provincia Tholosana procuratorem ordinis, donec prior provincialis electus et confirmatus fuerit et presens extiterit in eadem.

Item. Damus vicarium in provincia Polonie fratrem Mathiam, lectorem in conventu Legnicensi de eadem provincia Polonie, donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens exstiterit in eadem.

---

3) et] vel G; et — provincie *om.* BF. — 4) diffinitores] absque dilacione *add.* G. — ipsam] ipse G. — 8) item — florenos *om.* BF. — 13) absolvimus] hos *add.* F. — et *om.* G. — 15) conventuales] de provincia Hispanie *add.* G. — Elnensem] Eluennis G; Cluensem F. — 16) Lucensem] et *add.* G. — 19) volumus] autem *add.* G — prior *om.* E. — 22) conventuales *om.* E. — melius *om.* B. — 23) in *post* damus *om.* G. — generalem *om.* EF. — in provincia] provincie B. — 24) Carrerie] Quararene B. — 25) sibi facta *om.* E. — 27) provincie] provinciali E. — priore provinciali *om.* E. — 29) damus — provincia] provincie B. — 30) de Duroforti *om.* E. — donec — eadem *om.* E. — 32) damus — provincia] provincie BG; *om.* F. — 33) Legnicensi] Lugrocensi A2; Lognicenci BG. — eadem *om.* E. — donec — eadem *om.* E. — 34) in] de F.

Concedimus provincie Romane unam domum ponendam in Piperno.

Item. Concedimus provincie Polonie unam domum ponendam in Sinigrot.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre ac domino nostro summo pontifice quilibet sacerdos sex missas, et ordinamus, quod in quolibet conventu sit ebdomadarius pro eodem.

Item. Pro venerabili patre ac domino Guillelmo Sabinensi episcopo cardinali (1) quilibet sacerdos ·iii· missas et quilibet conventus ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Matheo tituli sanctorum Iohannis et Pauli presbytero cardinali quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis cardinalibus legatis Lombardie et Tuscie quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis cardinalibus domino vicecancellario Romane curie, domino Gauselino Iohannis summo penitenciario, domino Bertrando de Montefavencio quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis cardinalibus domino Arnaldo de Pellagrua, domino Raymundo de Fargis, domino Galgiardo de Mota, domino Luca, domino Neapoleone, domino Iohanne de Columna (2), quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dominis cardinalibus Petro de Mortuo mari (3), Petro de Capis, Raymundo de sancto Papulo, Ymberto de Puteo, Bernardo de Turre (4) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus dominis cardinalibus domino Iohanne de Convenis, domino Iacobo Gaietani, domino Anibaldo (5) et domino Iacobo Albo (6) et domino Avinionensi et pro venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos ·iii· missas.

4) Sinigrot] Smigrod F. — 5) ista — Maria dicant *om.* EGH; ista — facere teneatur *om.* F.

(1) De fr. Guilelmo ceterisque cardinalibus cf. supra pag. 198.

(2) Ioanne de Columna, Romano, diac. s. Angeli; cf. Eubel l. c. pag. 15.

(3) De Petro de Mortuomari, Lemovicensi, ep. Autissiodoren., tit. s. Stephani in Coelio monte; Petro de Capis (Chappes), Gallo, ep. Carnoten. tit. s. Martini in Montibus, Carnoten.; Imberto de Puteo (Dupuis) Montepessulano, basilicae XII apostolorum, cf. ibid.

(4) De Bertrando de Turre aliisque cf. supra pag. 198 l. 10 sqq.

(5) Annibaldo Gaietani de Ceccano, aep. Neapolitano, tit. s. Laurentii in Luc., postea (a. 1333) ep. Tusculano, cf. Eubel l. c.

(6) Iacobo Novelli (Fournier) O. Cist. Tolos. ep. Mirapiscen., tit. s. Priscae, postea Benedictus papa XII; ibid.

Item. Pro venerabili patre domino Petro Gomesii de Yspania (1) tituli sancte Praxedis presbytero cardinali, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre domino fratre Petro, patriarcha Yerosolymitano (2), domino Iohanne patriarcha Alessandrino et pro dominis archiepiscopis Tholosano, Toletano, Savonensi, Cantuariensi, Bisuntino, Pisano (3) et dominis episcopis Seguntino (4), Palentino, Legionensi, Tudensi, Placentino, Liconiensi (5), Oxomensi, Motonensi, Urbevetano, Nepesino (6), Perusino, Tudertino et Lucano (7) quil. sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro venerabili patre ac domino archiepiscopo Nicosiensi (8) quilibet sacerdos ·i· missam.

Pro domino archiepiscopo Cesaraugustano quilibet sacerd. ·i· missam.

Item. Pro illustrissimo rege Castelle et domina regina consorte sua quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro serenissimo principe domino Philippo rege Francie et domina regina consorte eius quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro domino Iohanne primogenito regis Francie quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustrissimo principe domino rege Anglie et domina regina consorte sua ac inclita prole eorum quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro illustrissimo principe domino rege Aragonie quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro Elyonore regina Aragonum ac domino Fernando Dertusce, liberis eius, quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro domino rege Portugallie et domina regina Navarre et domina regina et liberis eorum quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro dominis regibus Ungarie, Sicilie, Boemie, Maioricarum, et domino rege Cyprie, Suezie, Norvegie et pro domina matre eius et domina Isabella regina antiqua Norvegie, et domina Andeba, filia eius, ducissa Svecie, et domina Elysabeth quondam Boemie et Polonie regina quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Iohanne filio infantis domini Hemmanuel et domina Bertha uxore sua ac domina Constancia filia sua quilibet sacerdos ·i· missam.

---

(1) De Petro Gometii cf. supra pag. 198 l. 16.
(2) De fr. Petro cf. ibid. l. 20.
(3) Simone Saltarelli O. Praed. ep. Parmen.; Eubel l. c. pag. 420.
(4) Alfonso Petri de Zamora O. Praed. ibid. pag. 467.
(5) « Liconiensi » legendum esse puto « Lucensi (Lugo) ».
(6) Gentili Bentivenga O. Praed.; ibid. pag. 380.
(7) Guilelmo Dulcini de Monte Albano O. Praed.; ibid. p. 327.
(8) Cf. supra pag. 198 l. 24.

Item. Pro domina Iohanna de Bara ac domino Iohanne Nurii filio suo et sororibus suis quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro domina infantissa domina Maria de Olgis et domina Iohanna Gomecii quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina Taracia Velacii, domina Urracha de Fremusella quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dominis comitibus domino Karulo comite de Alanzone, domino Roberto Atrebatensi ac dominis comitibus Lancastrie, Garnurie, domina comitissa Marchie, domino Petro de Via, domino Arnaldo de Osa, domina Uga, sorore domini nostri domini summi pontificis, et pro dominis Gensers de Montesquirno et Gensers filio suo, Sclarmonda sorore sua et Belsguard uxore eius et liberis eorumdem, quil. sacerdos ·i· mis.

Item. Pro sorore Beatrice de Caioto quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro priorissa et monasterio de Pissiaco et pro sororibus Ysabella de Valesio, Maria de Claramonte, Ysabella de Atrabato, Maria de Britannia et pro priorissa et sororibus de Pruliano quil. sacerdos ·i· mis.

Item. Pro sorore Felicitate de Lucimburc, domina Alice de Ruperforti, domina de Thaleio quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre magistro ordinis quil. sacerdos ·iii· mis.

Item. Pro clero et populo Victoriensi et pro bono statu ville Victoriensis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro fratribus nostris et sororibus, pro fratribus minoribus, pro Nerio de Monte Policiano hospite nostro, et pro illis, qui receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeuntes, et pro illis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, et pro illis, qui benefecerunt capitulo generali, quilibet sacerdos ·iii· missas.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro venerabili patre domino Berengario, quondam [archiepiscopo] Compostellano ac quondam magistro ordinis (1), quil. sacerd. ·iii· mis.

Item. Pro domino Canuto quondam duce Alandie, dominabus Christina et Gorgerdi et pro Eduardo Phi... filio, magistro Alerno, domina Elizabeth et Roberto Gontal, magistro de Pliverno quil. sacerdos ·i· mis.

Item. Pro domina Sanctia, domina Elyonor, domina Natilla, domino Iohanne de Leva, uxore et liberis, magistro Leodegario Antis canonico, domina Terresia, domina Maria, domina Iohanna Celarand quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro fratribus et sororibus nostris defunctis, et pro illis, qui habuerunt litteras de beneficiis ordinis, et Angelo de Monte Policiano quilibet sacerdos ·iii· missas.

---

(1) De fr. Berengario cf. supra pag. 198 l. 20.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos ·vii· psalmos cum letania et quilibet conversus ·c· pater noster et totidem ave Maria dicant.

Summa missarum pro vivis ·lv·

Item. Pro defunctis ·viii·

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Peregrinum de provincia Tholosana (1).

Item. Pro anno sequenti, quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias Parisius fratrem Alanum de Stagno de provincia Francie.

Item. Assignamus in lectorem in conventu Bononiensi fratrem Ricardum Wichele magistrum in theologia de provincia Anglie.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalariis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Divionensi in provincia Francie; et ordinamus, quod diffinitores, qui diffinient anno futuro, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante ·via^am^· feriam festum pentecostes precedentem.

Quicumque vero contrarium fecerit, sit ipso facto voce privatus et penam culpe gravis facere teneatur.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXX.

---

4) summa — ·VIII· *om.* BEH. — 9) de Stagno *om.* E; Stagno] Stangno G. — 11) item *om.* BG. — 12) Ricardum] Thomam G; *om.* E. — Wichele *om.* E. — 15) et lectoribus] ac cursoribus B. — 23) quicumque — teneatur *om.* BEG.

---

(1) De fr. Peregrino de Mercatore cf. DENIFLE l. c. pag. 344, 448, 462.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT
ACTA CAPITULI GENERALIS APUD DIVIONUM CELEBRATI
ANNO DOMINI · M°· CCC°· XXXII°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: habeatur generalis capituli diffinitor, addatur sic: volumus tamen, quod is, qui in precedenti capitulo electus fuerit, ad idem officium eligi non valeat in sequenti.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione prioris conventualis, ubi dicitur: qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, addatur sic: si tamen post professionem a nostro ordine nullatenus discesserunt, nisi per magistrum ordinis vel generale vel provinciale capitulum cum eis fuerit dispensatum. Et hec habet ·ii· capitula.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de sollempni celebracione capituli, circa finem, ubi dicitur: magister ordinis cum assensu etc., deleatur: cum assensu, usque ad illud: transferre possit, et dicatur sic: magister ordinis vel eius vices gerens, de discretorum consilio, ad alium conventum provincie eiusdem transferre possit capitulum generale. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc: In ordinario in rubrica de memoriis faciendis, ubi dicitur, quod in paschali tempore de cruce fiat memoria nisi in totis duplicibus, deleatur: totis duplicibus, et dicatur: in duplicibus et supra. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc, quod de sancto Thoma de Aquino fiat memoria per octavas ipsius in laudibus per antiphonam: Collaudetur, et in vesperis per antiphonam: O Thoma, cum versiculo et oracione consuetis. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc, quod de sancto Servacio episcopo et confessore fiant tres lectiones ·iii· ydus maii, et magister ordinis curet interim de officio pro-

---

1) In isto capitulo electus fuit in magistrum ordinis magister Hugo, dum esset provincialis Francie *add. in marg.* E. — 3) apud Divionum] Divioni A2 BG: Lionensis diecesis *add.* B; in Lingonensi diocesi in festo pentecosten *add.* F. — 7) et provincialis *om.* A2. — 8) volumus] nolumus G. — tamen] autem E. — is] iste A2; hic BF. — 9) fuerit] fuerat F. — non *om.* G. — 12) addatur sic *om.* B. — 14) vel] et *ante* generale B. — 16) iste — capitula *om.* B. — 21) provincie eiusdem *om.* BEF. — 25) dicatur] nisi *add.* A2. — 29) versiculo] versu B.

videre. Et hec habet ·iii· capitula. Et hec omnia in locis suis in ordinario annotentur.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc, quod frater, qui non habet ·iiii· annos a professione in ordine, prioris vel supprioris vicarius esse non possit in casu, in quo esset prioris vel socii electio celebranda et generaliter in hiis, que ad capitulum generale vel provinciale ordinarie sunt mittenda.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Volentes vitare notam et scandala, que apud graves personas non immerito orientur ex inordinacione nostri habitus in quantitate et qualitate, imponimus, quod provinciales in suis provinciis et priores conventuales in suis conventibus cum omni diligencia studeant reducere fratres eciam per preceptum, si oporteat, ut in habitu nostri ordinis nichil habeant, quod paupertatem nostram valeat deformare, quinimo fratres omnes compellant portare habitum, in brevitate et parvitate caparum et capuciorum ac resecacione omnium curiositatum et superfluitatum, conformem ordinis nostri institutis. Et hec taliter exequantur, quod sequens generale capitulum certificari valeat, quod hec omnia per ordinem sint correcta.

Item. Cum ex nimia priorum ac fratrum absentacione seu substractione a communibus hospicii ac aliorum locorum extra refectorium laxata frequencia, necnon et negligencia circa capitulorum ordinaciones ac regularia instituta in animarum suarum preiudicium et plurimorum scandalum, ordo noster nimium relaxetur, volumus et ordinamus, quod priores provinciales et diffinitores capitulorum provincialium anni presentis circa hoc adhibere studeant remedia opportuna; que remedia volumus per diffinitores generalis capituli vel eorum socios portari ad sequens capitulum generale.

Item. Cum ex nimio studii lapsu probabiliter sit timendum, ne ordo noster veniat finaliter in contemptum, mandamus omni districtione, qua possumus, quod nullus ad aliquem sacrum ordinem promoveatur nec ad studium loycale mittatur nisi in grammaticalibus nec ad studium naturalium nisi in loycalibus fuerit diligenter instructus. Ad studium vero theologie nullus mittatur, nisi predicta diligenter audierit et sufficienter profecerit in eisdem; lectoribus et sublectoribus universis districte

---

4) habet] habuerit BF. — 5) professione] sua *add.* G. — possit] potest G. — 12) conventuales *om.* A2. — 13) preceptum] et *add.* A2. — oporteat] oportet G. — 14) nostram *om.* A2. — 16) ac] ut A2. — resecacione] resecare B. — 17) conformem] conforme B; conforment A2. — 20) priorum ac *om.* A2. — ac] aliorum *add.* E. — seu] et priorum A2. — 21) ac] et B; aut G. — extra refectorium *om.* E. — 22) et *om.* EF. — circa] contra B. — ac] et G. — 26) studeant] debeant B. — 27) vel] et G. — 32) mittatur *om.* G. — 33) naturalium] naturale A2. — diligenter] convenienter BF. — 34) nisi predicta *om.* A2. — 35) lectoribus] autem *add.* A2.

imponimus, quod lectiones suas continuent, ceteri vero fratres, cuiuscumque condicionis aut status existant, sequi scolas cogantur, magistris in theologia dumtaxat exceptis. Qui vero a scolis defuerint absque speciali licencia et expressa, ipsa die sine omni dispensacione vino et pitancia sint privati. Fratres eciam per priores vel eorum vicarios ante terciam a locutoriis penis gravibus arceantur. Nolumus eciam, quod fratres, qui fuerunt lectores in ordine et lectores actu non sunt, graciis lectorum gaudeant, nisi per magistrum ordinis vel priores provinciales eorum eis indultum fuerit de gracia speciali.

Item. Cum secundum sentenciam apostoli servos Christi non deceat litigare, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ut nullus frater de cetero quocumque modo, verbo vel scripto se placitis seu negociis secularibus ex se odiosis et litigiosis aliquatenus intromittat, nisi in casu aliquo multum utili et necessario eius priori provinciali vel conventuali, communicato super hoc plurium discretorum consilio, aliud videretur; nullusque, cuiuscumque condicionis aut auctoritatis existat, sub eodem tenore precepti de guerris aut guerrarum negociis directe vel indirecte presumat se intromittere, alioquin ex vi presentis statuti ad penam carceris se reputet condempnatum.

Item. Ad subtrahendum fratribus materiam evagandi, volumus et ordinamus, quod quicumque iverit sine licencia sui prioris provincialis ad magistrum ordinis, extra provinciam suam existentem vel ad ipsum magistrum in eadem provincia existentem, vel ad priorem provincialem vel eius vicarium sine licencia prioris conventualis, cum ad magistrum vel ad priorem provincialem venerit, ex integro circuletur et sit per triennium omni voce privatus.

Insuper districte inhibemus, ne fratres extra terminos sui conventus sine sui prioris vel eius vicarii nec extra terminos sue provincie sine sui prioris provincialis vel eius vicarii obtenta licencia exire presumant; alias sint ad annum omni voce privati, nisi talis causa subesset, quam prior provincialis de discretorum consilio duxerit acceptandam.

Item. Cohibere volentes multitudinem fratrum ad capitula veniencium, volumus et ordinamus, quod quicumque frater ad capitulum generale vel provinciale absque licencia magistri ordinis vel prioris pro-

---

3) in theologia *om.* A2. — 5) eciam] vero A2. — per *om.* F. — vel] et A2EF. — 6) penis gravibus *om.* A2. — eciam] autem A2E. — 7) lectores *om.* A2. — 10) sentenciam apostoli] apostolum B. — 12) ut] quod BF. — 13) se] de A2; de *add.* G. — 14) aliquatenus] nullatenus A2. — 15) communicato] convocato A2. — 17) sub] se E. — guerris] guerra A2. — 18) aut] seu A2E; de *add.* E. — 19) presentis] precepti vel *add.* A2. — 22) iverit] venerit E. — 24) ad *om.* A2. — priorem *om.* E. — 26) venerit] pervenerit E; *om.* A2. — 27) triennium] biennium E. — 29) sui *post* sine *om.* E. — 31) sint] usque *add.* E. — ad] per A2. — 32) prior provincialis] prelatus A2.

vincialis sui accesserit, seu de conventu suo cum intencione accedendi exierit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non valeat, nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Et nichilominus volumus, quod tales in actis suorum capitulorum provincialium privati voce publice nuncientur, adiicientes insuper, quod diffinitores anni sequentis vel eorum socii litteras omnium fratrum suarum provinciarum volencium scribere ad capitulum deferre debeant et eas fideliter assignare.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu universis fratribus, ne frater aliquis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere vel de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri licencia speciali, de qua per literas eiusdem magistri ordinis suo priori provinciali vel vicario generali sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem, et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sentenciam excommunicacionis se noverit incurrisse. Quam sentenciam prefatus magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sentencia sibi soli reservans et retinens. Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire vel mittere valeant duos fratres. Concedit eciam magister ordinis provinciali et vicario generali provincie illius, in qua nunc est curia vel erit pro tempore, quod ipse cum diffinitoribus provincialis capituli modum inveniat, per quem refrenato fratrum discursu illius provincie ad curiam, formam statuant, secundum quam provincialis illius provincie licenciare possit ad curiam fratres suos. Quam ordinacionem teneatur provincialis vel eius vicarius et diffinitores magistro ordinis absque dilacione mittere, ut ipse eam modificet et confirmet. Omnem autem licenciam et potestatem licenciandi a magistro ordinis quibuscumque concessam revocat magister ordinis et annullat de diffinitorum consilio et assensu; adiicientes nichilominus, quod fratres missi a suis provinciis quoad omnia absque omni contribucione caritative in conventu curie recipiantur. Ceteri vero

---

1) sui *om.* E. — seu] vel A2. — intencione] ad capitulum *add.* EG. — 2) quam] vocem *add.* EG. — 9) aliquis *om.* BFG. — 10) status] gradus B. — 11) assumat] assumere A2; accipiat B. — 12) eiusdem *om.* G. — 13) ordinis *om.* B. — priori *om.* BF. — vel — provincie *om.* E. — 17) excommunicacionis] ipso facto *add.* A2 G. — se — sentenciam *om.* E; excommunicacionis *add.* A2 G. — 18) coram diffinitoribus *om.* E. — 20) soli *om.* A2. — concedit — retinens *om.* A2. — 21) singulis *om.* E. — 22) ire vel] accedere et A2 E. — 24) generali *om.* E. — 28) possit] valeat B. — teneatur] studeant B. — provincialis *om.* E. — 30) ut] et *add.* A2 E. — eam *om.* BFG. — 32) magister ordinis *om.* E. — 33) quoad omnia *om.* E.

fratres quoad locum tantum et quoad alia cum contribucione ibi alias iam taxata.

Item. Cum plurimi fratres ambicione detestanda elati sibi indebite honores querant et importune procurent per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas, unde turbaciones et scandala sepius sunt exorta, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, quod nullus procuret per se nec per alium, verbo vel scripto, officium, gradum, statum vel promocionem aliquam pro se vel pro alio in ordine obtinendam seu correctionem de se vel de aliis per maiores ordinis faciendam impediat vel impedire procuret quoquomodo.

Insuper eodem precepto astringit illos, qui quantum ad premissa procuraverint aliquem impediri vel ab adeptis nullatenus amoveri. Qui vero in aliquo predictorum contrarium fecerint, sentenciam excommunicacionis se noverint incurrisse; quam sentenciam prefatus magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem sibi reservans et retinens.

Item. Cum sanctissimus pater et dominus noster summus pontifex magistro ordinis et diffinitoribus capituli generalis apud Divionem celebrati litteras exhortatorias miserit pro fratribus sufficientibus ad gentes convertendas ad fidem Christi mittendis, significamus fratribus universis, quod reverendus pater magister ordinis commisit singulis prioribus provincialibus, quod assignare possint quilibet ·vi· fratres de provinciis suis, quos ad hoc repererint voluntarios, non nimis iuvenes nec antiquos, bene religiosos, discretos et sufficienter litteratos societati peregrinancium propter Christum. Qui sic assignati non possint redire ad suas provincias, quousque ibidem experti fuerint, quem fructum per eos inter fideles Ihesus Christus fecerit; ipsique provinciales studeant quantocius magistro intimare, quos et quales de suis provinciis invenerint ad hoc opus; ordinantes, quod vicarius magistri ordinis super fratres, qui mittuntur ad gentes, in locis et conventibus de Pera et Capha instituat fratres, quos ad hoc habuerit magis ydoneos, qui de linguis et ydiomatibus fratres illuc missos instruere et informare valeant competenter (1).

5) nostri *om.* E. — sepius *om.* B. — 10) ordinis *om.* E. — 11) quoquomodo] per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas *add.* A2 E. — 12) insuper] item sub F. — 15) prefatus *om.* B. — 16) ordinis *om.* B. — 19) Divionem] Divionum A2 E. — 23) de provinciis suis *om.* B. — provinciis suis] provincia sua A2. — 24) nec] nimis *add.* A2 G. — 25) religiosos] et *add.* E. — discretos *om.* A2. — 27) ibidem *om.* A2. — 28) magistro *om.* E; ordinis *add.* A2. — 29) intimare] indicare E; quot *add.* A2. G. — quales] tales A2. — de] in B. — 30) super *om.* BF. — 32) habuerit] invenerit B. — magis *om.* A2. — 33) competenter] competencius E.

(1) Cf. supra pag. 178 l. 1 sqq.; loco « Divionem » l. 19 legas « Tholosam ».

Item. Committit reverendus pater magister ordinis prioribus provincialibus vel eorum vicariis, quod gracias per eum concessas vel concedendas circa sequelam chori vel refectorii et excusacionem a questis faciendis vel bonis temporalibus procurandis possint modificare, declarare et interpretare, et illud, quod per eos ordinatum fuerit, vult, quod habeat roboris firmitatem.

Item. Cum non sine gravi scandalo personarum secularium aliqui fratres peditantes in capitibus capillos latos et rotundos ad modum equitancium deferant, necnon et cirotecas, que multum deformant humilitatem mendicancium et evangelizancium honestatem, omni districtione, qua possumus, imponimus fratribus universis, quod de cetero talia deferre non presumant. Quod si quis oppositum fecerit, volumus, quod una die in pane et aqua absque dispensacione ieiunet, et priores, quam cito eis constiterit, eos facere penitenciam supradictam cogant.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Romane provincie (1), et assignamus eum Parisius ad legendum sentencias isto anno, Regni Sicilie et Aragonie.

Absolvimus priores conventuales Carnotensem, Compediensem, Blesensem, Rhemensem, Catalaunensem, Sennonensem, Lausanensem, Gebennensem, Masticonensem, Nanetensem, Dyanensem, Kamperliensem, Gandensem et Burgensem. Et isti tam priores provinciales quam conventuales non resumantur in eisdem provinciis vel conventibus ad eadem officia isto anno.

Ordinamus, quod in quolibet conventu sit ebdomadarius pro domino papa. Hec est ordinacio magistri ordinis facta post pronunciacionem actorum, quam vult cum diligencia observari.

Letania more solito dicatur.

Declaramus, quod ad diffinitores et non ad provinciales diffinicio sequentis capituli pertinebit.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Lemovicensi in provincia Tholosana, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis domini veniant.

1) item *om.* A2. — reverendus pater *om.* A2. — 2) vel] et *ante* eorum B. — vel] per eum *add.* A2. — 3) vel] et B. — et] seu A2; *om.* E. — 4) procurandis *om.* B. — 7) item — cogant *om.* A2. H. — 15) iste — extiterit in eadem *om.* B. — 19) absolvimus — Burgensem *om.* A2. — 20) Catalaunensem *om.* E. — Sennonensem] Zonenensem F. — 21) Masticonensem — Burgensem *om.* G. — Nanetensem] Ravenensem F. — 22) Gandensem et *om.* F. — tam — conventuales *om.* A2. — 25) ordinamus — papa *om.* EFG. — 26) hec — observari *om.* EF. — 32) qui anno futuro *om.* A2 — 33) domini *om.* F.

(1) Fr. Ioannem Porcari Romanum; cf. MASETTI l. c. I. p. 321.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante ·vi·am feriam festum pentecostes immediate precedentem.

Summa missarum pro vivis quinquaginta novem.

Summa missarum pro defunctis viginti.

Assignamus, quantum nostra interest, ad legendum sentencias Parisiis fratrem Iohannem de Lovanio de provincia Francie.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalariis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout communi utilitati ordinis viderit expedire.

Sentencias iudicum approbamus.

Facimus vicarium in provincia regni Sicilie fratrem Franciscum de Aquila, priorem Aquilanum, donec prior provincialis electus confirmatus fuerit et in eadem presens extiterit.

Item. In provincia Dacie facimus vicarium generalem fratrem Mattheum priorem Wisbucensem.

Item. In provincia Aragonie facimus vicarium generalem fratrem Iohannem Fortis, magistrum in theologia, donec prior provincialis electus et confirmatus fuerit et presens extiterit in eadem.

Expliciunt acta capituli generalis apud Divionum Lugdunensis diocesis.

Actis additae sunt litterae Iohannis XXII cf. BO. tom. II p. 197. n. XCI litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXI.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS CELEBRATI APUD LEMOVICAM ANNO DOMINI M°· CCC°· XXXIV°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In rubrica de officio beate virginis, quod fiat de ipsa officium in sabbatis omnibus ab octavis pasche usque ad diem ascensionis, exceptis illis casibus, in quibus alio tempore in sabbatis officium

1) autem *om.* FG. — 2) immediate *om.* EFG. — 4) summa — viginti *om.* EF. — summa — extiterit in eadem *om.* A2. — summa missarum *om.* G. — 6) sentencias] pro sequenti anno *add.* F. — 7) Lovanio] Lauvanio G. — 13) facimus — extiterit *om.* F. — 14) electus] et *add.* G. — 17) Wisbucensem] Humilbucensem E: Verbigenensem F; Vuybuscensem G. — 18) item *om.* A2FG. — 21) expliciunt — diocesis *om.* E. — Lugdunensis] Lionensem diocesim B. — 25) Anno 1333 non fuit capitulum generale propter obitum magistri ordinis fr. Barnabe *add. in marg.* E. — in — amen *om.* A2. — 26) hec — 1334 *om.* E. — 30) de officio *om.* E. — beate virginis] de beata virgine A2. E. — 31) diem] festum FG: diem ascensionis] ascensionem domini B.

eius intermitti consuevit, ita tamen, quod tantum tres psalmi primi nocturni dicantur, et antiphona ad magnificat: Regina celi letare etc., et ad benedictus: Beata dei genitrix Maria, non mutentur.

Item. Quod in hympnis beate Marie virginis: Quem terra, et: O gloriosa domina, adiungatur in fine immediate ante versum: gloria tibi domine, ille versus: Maria mater gracie etc.

Item. Quod fiat memoria de beato Dominico patre nostro, beato Petro martyre et beato Thoma confessore sub una antiphona, versiculo et collecta in vesperis et in laudibus. Et magister ordinis de hiis providebit.

Item. Quod de beato Marciali episcopo et confessore fiant tres lectiones ·xvi· kalendas iulii. Et magister ordinis de officio providebit.

Item hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: habeatur generalis capituli diffinitor, addatur sic: Nolumus tamen, quod hic, qui in capitulo precedenti electus fuerit, ad idem officium eligi valeat in anno diffinitorum proximo sequenti.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de electione priorum conventualium, ubi dicitur: qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, addatur sic: si tamen post professionem a nostro ordine nullatenus discesserunt, nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale cum eis fuerit dispensatum. Et hec habet tria capitula.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Quia ordo noster de presidiis virginis gloriose singulariter confidit, devotis patrum vestigiis inherentes, volumus et ordinamus, pro tranquillo et sancto statu ordinis nostri, quod quandocunque fidelium in terminacione horarum officii in choro dicitur, statim post flexis genibus fratres omnes dicant: salve regina sine nota cum versu: Ora pro nobis etc., et versu: Esto nobis domine turris etc. dominus vobiscum, cum collecta: Protege domine, et: Ecclesie tue etc. et terminetur: Per Christum dominum nostrum Amen, nisi post completorium cum tunc salve regina cum nota dicatur.

Item. Cum exempla sanctorum patrum nostrorum ad meliora nos provocent, volumus et ordinamus, quod hoc anno in singulis provincia-

---

2) letare etc. *om.* EG. — 3) ad benedictus] in laudibus AE. — 4) beate Marie virginis] *om.* F. — 5) domina *om.* F. — versum] versiculum G. — 6) ille versus *om.* G. — etc. *om.* G. — 7) beato] beatis E. — patre nostro *om.* G; patre — martire *om.* E. — beato *ante* Petro *et post* et *om.* F. — 8) confessore *om.* B. — 9) ordinis *om.* E. — de] super G. — 11) et confessore *om.* F. — 12) et — providebit *om.* B. — 16) sequenti] subsequenti A2. B. — 21) generale] vel provinciale *add.* G. — 24) de] a B. — 28) versu] versiculis FG. — 29) et versu *om.* BF: versiculo G. — turris *om.* E. — etc.] et *add.* G. — dominus — collecta] et oracionibus E. — cum] et G. — 30) domine et *om.* E. — tue etc. *om.* E. — etc. *om.* G. — 31) amen *om.* E. — salve regina *om.* A2. — 32) nota] collecta G.

rum capitulis priores provinciales cum suis diffinitoribus fratres ad hoc ydoneos de suis provinciis deputent, qui miracula sanctorum patrum nostrorum, videlicet beatorum Dominici confessoris patris nostri, Petri martyris et Thome confessoris in suis provinciis facta et non habita communiter in ordine, necnon et vitas et miracula ceterorum fratrum nostri ordinis, qui nunc clarent et ab olim miraculis claruerunt, diligenter perquirant et conscribant et mittant ad sequens capitulum generale, ut de talibus conscribi valeat liber, qui ad fervorem devocionis fratres in eo legentes provocet et inflammet.

Item. Cum multe provincie officium sancti Thome doctoris, quod habetur in ordine communiter, in cantu grave reputent et in dictamine incompactum, volumus et ordinamus, quod provinciales in suis provinciis fratribus ad hoc aptis imponant, quod officium suum in cantu et dictamine de beato Thoma in predicto dictamine gratum et in cantu iuxta morem nostri ordinis ydoneum faciant et conscribant ac mittant per provinciales suos vel eorum socios ad sequens capitulum generale, ut ex illis possit provideri ordini de officio magis grato.

Item. Cum ex distractione librorum conventus et rerum sacristie in multis conventibus per priores plurimos ad hoc nimis faciles ordo noster dampna plurima paciatur, omni districtione, qua possumus, inhibemus, ne predicta in conventu quocumque vendi vel impignorari vel quomodolibet aliter distrahi valeant, nisi de consensu maioris partis conventus, hoc eciam observato, quod omnis pecunia ex premissis habita in usus notorios et conventui necessarios et non aliter expendatur; adiicientes, quod mutuum quodcunque notabile non contrahatur ab aliquo priore, nisi de maioris partis sui conventus beneplacito et assensu; decernentes illud in hac materia esse notabile, quod fratres illius conventus consueti vocari ad consilia notabile iudicabunt.

Item. Cum ex eo quod in pluribus conventibus constituciones nostre non habentur integre et correcte, gravis exorbitacio fratribus et conventibus nostri ordinis non immerito immineat, omni districtione, qua possumus, imponimus prioribus universis, quod singuli in suis conventibus omni negligencia super hoc postposita faciant, quod habeant constituciones integras et correctas. Imponentes prioribus provincialibus, quod taliter circa hoc invigilent, quod per eos sequens capitulum generale

---

3) videlicet] scilicet E. — patris nostri *om.* EG. — 4) et *om.* G. — confessoris] doctoris A2. — 5) et] ac *post* vitas G. — 6) ab olim *om.* A2. — miraculis *om.* E. — 7) diligenter *om.* A2. — 8) conscribi] componi A2. G. — liber qui] quod B. — 10) cum multe provincie *om.* E. — 11) communiter] sit E. — repatent *om.* E. — 13) aptis] ydoneis B. — 14) de — cantu] suum in cantu et dictamine B. — predicto *om.* A2 G. — 15) ydoneum] ydonee I F; *om.* B. — 17) illis] istis A. — 21) vel *post* vendi *om.* A2 B. — 22) distrahi valeant] distrahantur B. — 26) sui *om.* B. — 28) consilia] consilium B. — 30) et *post* integre *om.* B. — 33) postposita] posita E. — 34) constituciones] nostras *add.* G. — imponentes — demandata *om.* E.

certificari valeat, quod predicta sint execucioni debite demandata. Imponentes insuper eisdem prioribus provincialibus, quod per singulos conventus suarum provinciarum faciant fieri librum, in quo ordinaciones omnes et precepta singulorum generalium et provincialium capitulorum sue provincie integraliter conscribantur.

Item. Cum ex excessiva et nimis facili concessione litterarum de beneficiis ordinis res tam preciosa cum minori reverencia et devocione a devotis nostri ordinis admittatur, volumus et ordinamus, quod amodo nullus prior provincialis tales litteras concedat, nisi solum in suo provinciali capitulo et pro personis condicionis et status multum honestis, et que persone hoc ipsum cum magna devocione pecierint, et in suis capitulis provincialibus fratres arctent eciam per precepta, ne aliter huiusmodi litteras audeant impetrare, nisi forsan pro persona multum excellentis condicionis provincialis aliquando et raro fiendum aliter iudicaret; rogantes reverendum patrem magistrum ordinis, ut hoc ipsum velit de suis litteris observare.

Item. Imponimus prioribus provincialibus universis ac prioribus conventualibus, quod singuli in suis provinciis et conventibus fratres, per preceptum, si necesse fuerit, compellant portare habitum in brevitate capparum ac capuciorum ac latitudine manicarum conformem nostri ordini institutis; necnon quod tam priores quam ceteros fratres cum omni exacta diligencia ad communem refectorii sequelam reducant; trituras omnes carnium, que non sine gravi ordinis scandalo fiunt, resecent et esum carnium nonnisi debilibus et infirmis notabiliter concedi permittant; super quibus omnibus consciencias priorum provincialium, quanto amplius possumus, oneramus.

Item. Volumus et mandamus, quod omni anno in singulis conventibus inter pascha et pentecostes priores de suis supprioribus scrutinium faciant et in retinendo vel absolvendo maiorem partem votorum fratrum infra quindenam a recepcione scrutinii indefectibiliter exequantur.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod preceptum reverendi patris magistri ordinis de non eundo ad curiam Romanam sine sua licencia speciali et sentencia excommunicacionis per eum lata super hoc durant continue modo et forma, quibus in actis precedentis capituli continetur (1).

4) omnes *om.* E. — 5) integraliter] integre BFG. — 6) et] ac G. — 7) et] ac A2 E. — 11) ipsum *om.* E. — 12) precepta] preceptum BF. — 14) provincialis *om.* A2. — 15) iudicaret] iudicaverit B. — ut] quod A2 G. — 20) capparum ac *om.* G. — conformem] conforme B. — 24) concedi permittant] comedant B. — 25) quanto amplius] quam F. — amplius] gravibus B. — 27) mandamus] ordinamus F. — 29) vel] et E. — absolvendo] et *add.* A2. — 31) fratribus] patribus B. — 34) durant] durat B. — precedentis] generalis *add.* A2 G.

(1) Cf. supra pag. 219 l. 8 sqq.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater quocumque modo, verbo vel scripto se de placitis seu negociis secularibus ex se odiosis et litigiosis aliquatenus intromittat, nisi in casu aliquo multum utili et necessario eius priori provinciali vel conventuali, communicato super hoc plurium fratrum discretorum consilio, aliud videretur; nullusque, cuiuscumque condicionis aut status aut auctoritatis existat, sub eodem tenore precepti de guerris aut guerrarum negociis directe vel indirecte se presumat intromittere, alioquin ex vi presentis statuti ad penam carceris se reputet condempnatum.

Item. Cohibere volentes multitudinem fratrum ad capitula veniencium, qui non sunt de corpore capituli, volumus et ordinamus, quod quicumque frater ad capitulum generale absque licencia magistri ordinis vel ad capitulum provinciale absque sui prioris provincialis licencia venerit, seu de conventu suo cum intencione accedendi exierit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non valeat nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale; et nichilominus volumus, quod tales in actis suorum capitulorum provincialium privati voce publice nuncientur. Imponentes diffinitoribus ac sociis eorumdem, quod litteras omnium fratrum suarum provinciarum scribere volencium capitulo generali vel magistro ordinis deferant et assignent.

Item. Omni districtione, qua possumus, imponimus prioribus universis, supprioribus ac eorum vicariis, quod diffinitores anni presentis ac eorum socios redeuntes de capitulo generali benigne et caritative recipiant, procurent et pertractent, imponentes prioribus provincialibus, quod oppositum facientes a suis officiis in penam statim absolvant.

Denunciamus autem fratribus, quod sanctissimus pater et dominus dominus noster summus pontifex, dominus papa Iohannes ·XXII· dispendiis et laboribus provinciarum Grecie et Terre sancte compaciens privilegium ordini concessit, quod cum dictas provincias provincialibus carere contigerit, dicte provincie nullatenus provinciales eligant, sed ad magistrum ordinis et diffinitores capituli generalis pertinebit eisdem provinciis providere.

---

1) obediencie] et *add.* E. — 2) quocumque modo] de cetero A2 G. — 3) scripto] vel quocumque modo alio *add.* G. — 5) hoc *om.* A2. — 7) aut status *om.* BFG. — aut] vel *post* status A2. — 9) ex *om.* A2. — se *om.* E. — 10) condempnatum] condempnandum A2 G. — 11) capitula] capitulum B. — 12) ordinamus] mandamus B. — 14) vel ad capitulum provinciale *om.* A2. — capitulum *om.* E. — absque] sine B. — prioris *om.* EG. — 15) seu] vel A2. — 17) quod tales *om.* E. — 18) actis] actibus B. — provincialium] provincie A2. — nuncientur] denuncientur A2. — 21) ordinis *om.* A2 E: fideliter *add.* A2 G. — 22) item *om.* BEF. — 23) ac] et *ante* eorum B: vel A2. — 24) generali *om.* E. — 25) recipiant] suscipiant B. — prioribus *om.* A2 EG. — 26) absolvant] iste sunt absoluciones *add.* E. — 27) autem *om.* E. — fratribus] universis *add.* A2. — sanctissimus] in Christo *add.* A2. — 29) provinciarum *om.* E. — 31) provincie] priores provinciales *add.* A2. — provinciales] de prioribus provincialibus A2.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Lombardie inferioris, Theutonie, Grecie, Terre sancte.

Item. Absolvimus priores conventuales: Marciaci, s. Aemiliani, Albiensem, Morlanensem, Orthosiensem, Condomiensem, Figiacensem et Montis Albani. Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus anno isto ad eadem officia nullatenus assumantur.

Denunciamus fratribus universis, quod frater Iohannes de Sezaro, prior Cesaraugustanus diffinitor pro provincia Aragonie mortuus est in via veniendo ad capitulum generale.

Instituimus et facimus priorem provincialem in provincia Grecie fratrem Franciscum de Tuscanella lectorem Florentinum de provincia Romana.

Item. Instituimus et facimus priorem provincialem Terre sancte fratrem Franciscum de Cipro, qui officium provincialatus tenebat in eadem provincia in precedenti capitulo generali.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia inferioris Lombardie fratrem Franciscum de Costaldis, priorem Vincentinum, donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens exstiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Theutonie fratrem Iacobum de Vienna, conventus Viennensis, donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Grecie fratrem Nicholaum de Plano Carlani priorem Nigropontensem, donec prior provincialis dicte provincie presens fuerit in eadem.

Concedimus provincie Polonie duas domos, unam ponendam in Sandomiria ad montem Cracoviensis diocesis, aliam ponendam in Bromberch, Caminensis diocesis.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Iohannem de Lovanio de provincia Francie (1).

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti ad legendum sentencias Parisius fratrem Iohannem de Melemberch de provincia Saxonie (2).

---

1) iste — ave Maria dicant *om.* B. — 3) Grecie] et *add.* F. — 4) item *om.* A2. — priores *om.* A2. — 6) et volumus — ave Maria dicant *om.* A2. — 9) Sezaro] Cheruso F: Cervaso GH. — 13) de Tuscanella *om.* F. — 16) precedenti] presenti F. — 17) item *om.* A2EF. — 18) Vincentinum] Bissentinum F. — 23) generalem *om.* A2E. — 24) Plano Carlani] Planostarlani F; Plano A2; Viterbiensem *add.* FG. — 27) ad — diocesis *om.* G. — Bromberch] Lorberc E; Laroberg F. — 28) Caminensis] Carnensis G. — 29) isto anno *om.* F. — 31) pro *om.* F. — 32) Melemberch] Megebor F; Meleberg A2.

---

(1) De fr. Ioanne de Lovanio cf. supra pag. 222 l. 7.

(2) De fr. Ioanne de Melemberch cf. Denifle l. c. pag. 412, 447; Finke *Römische Quartalschrift VIII pag. 372.*

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalariis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Letania more solito dicatur.

Sentencias iudicum approbamus.

Summa missarum pro vivis quinquaginta tres.

Summa missarum pro defunctis quatuordecim.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos septem psalmos penitenciales et quilibet conversus centum pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Londonensi provincie Anglie et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant. Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante ·vi· feriam festum pentecosten immediate precedentem.

Expliciunt acta capituli generalis apud Lemovicam celebrati.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT
ACTA CAPITULI GENERALIS APUD LONDONIAS CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XXXV°.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: nec receptus fiat clericus sine licencia magistri ordinis speciali, addatur statim post et dicatur sic: nullus religiosus professus cuiuscumque alterius ordinis mendicantis recipiatur ad nostrum ordinem sine licencia magistri ordinis vel capituli generalis. Et volumus et ordinamus, quod istud medio tempore inviolabiliter observetur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc, quod in hympnis beate virginis: Quem terra, et: O gloriosa domina, adiungatur in fine immediate ante versum: Gloria tibi domine: Maria mater gracie. Et hec habet ·ii· capitula.

---

1) studii Parisiensis] de studio Parisiensi F. — 7) summa — dicant *om.* EF. — summa missarum *om.* G. — 13) provincie — precedentem *om.* B. — provincie] in provincia A2 G. — diffinitores] provinciales G. — 17) expliciunt — celebrati *om.* FG. — capituli — celebrati *om.* E. — 19) in — amen *om.* E. — 21) apud Londonias] Londoniis A2. — Londonias] Londoniam EG. — 25) sine] nisi de A2. — speciali *om.* E. — 26) professus — ordinis *om.* A2. — alterius *om.* G. — 32) domina *om.* B. — versum] versiculum A2. — 33) et — capitula *om.* A2.

Item hanc, quod de beato Marciali episcopo et confessore fiant tres lectiones ·xvi· kalendas iulii; et magister ordinis de officio providebit. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc: In capitulo de electione diffinitorum generalis et provincialis capituli, ubi dicitur: habeatur generalis capituli diffinitor, addatur sic: volumus tamen quod is, qui in precedenti capitulo electus fuerit, ad idem officium eligi non valeat in anno diffinitorum proximo subsequenti. Et hec habet ·ii· capitula.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum ordo noster a suis primordiis propter eminenciam sciencie singulariter floruerit et intellexerimus, quod in aliquibus provinciis studium neglectum sit et notabiliter collapsum et ex hoc verisimiliter timeamus, ne in illis provinciis ordo veniat in contemptum, precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod singuli priores provinciales in suis provinciis et vicarii eorum generales et diffinitores capitulorum provincialium provideant de studiis theologie, philosophie naturalis et arcium taliter, quod ad minus in singulis provinciis sint duo studia theologie et duo philosophie naturalis et duo arcium, in quibus deputentur lectores ad hoc ydonei et studentes, qui per diffinitores et provinciales compellantur per penas graves et preceptum, si oportet, legendo, studendo et disputando studio insistere et lectiones cum ceteris actibus scolasticis continuando cum diligencia exercere, quodque lectores principales in singulis conventibus compellantur lectiones continuare; inhibentes districte, ne lectores, qui suas lectiones in scholis non continuant quibuscumque graciis, titulo lectoratus gaudeant, nec lectores re nec nomine reputentur, provincias tamen Grecie et Terre sancte ad ista per preceptum nolumus obligare. Declaramus autem, quod fratres ex eo, quod fuerunt lectores vel priores, gracias nullas habent.

Item. Cum detestandam absentacionem fratrum a communitate refectorii plurima capitula generalia conata fuerint reformare, necdum invenerimus, quod iste tam gravis et tam detestandus defectus sit in provinciis vel conventibus reformatus, considerantes, quod iste defectus pro maiori parte provenit a presidentibus in conventu, qui a sequela refectorii nimium se absentant, volumus et ordinamus, quod priores et suppriores refectorium continuent, nec ab illo se absentent, nisi ex causa

2) iulii] iunii A2BEF. — 4) diffinitorum *om.* F. — 6) volumus] nolumus A2G. — 7) non *om.* A2G. — 11) aliquibus] quibusdam B. — 13) ne] quod B. — 15) et vicarii eorum generales et *om.* E. — 16) capitulorum provincialium] capituli provincialis B. — studiis] studio B. — 18) et *post* theologie *om.* B. — 20) et] per *add.* E. — 21) et *post* studendo *om.* G. — lectiones] lectionem B. — ceteris *om.* A2. — 22) continuando] imitando B. — quodque] quosque A2. — 23) compellantur] suas *add.* A2G. — 27) declaramus — habent *om.* E. — 28) vel] et BF. — 29) detestandam] addetestandam B; obdetestandam E. — 30) plurima] plura A2E. — reformare] et *add.* A2. — 31) tam *post* et *om.* G. — 32) vel] et EG.

multum necessaria et urgente et in casibus, in quibus per constituciones facultates comedendi extra refectorium ceteris fratribus indulgetur; imponentes districte prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, quod per absoluciones priorum et suppriorum et alias penas graves et confusibiles ad sequelam refectorii compellant in conventibus presidentes (1).

Item. Serenitati conscienciarum fratrum providere volentes, intimamus fratribus universis, quod magister ordinis concessit et concedit universis prioribus et subprioribus et eorum vicariis necnon et aliis fratribus alias ad consilia expositis legitime per eosdem, quod ipsi omnes fratres possint absolvere a peccatis, a quibus de licencia suorum priorum ceteri fratres mutuo se absolvunt communiter in propriis conventibus. Ad illa autem, que per suos superiores retenta sunt, nolumus, quod nisi de licencia priorum, suppriorum suorum super hoc speciali habita et obtenta potestas eorum aliqualiter se extendat; adiicientes, quod hiidem priores, suppriores et eorum vicarii possunt universis fratribus administrare extreme unctionis et eucharistie sacramenta, dum ad conventus et terminos declinaverint eorumdem.

Item. Volumus et ordinamus, quod ordinacio facta in precedenti capitulo generali apud Lemovicam celebrato de libris conventuum et rebus sacristiarum non alienandis vel impignorandis vel quomodolibet distrahendis, nisi de consensu maioris partis conventus, necnon et de debitis non contrahendis, nisi de consensu maioris partis conventus cum omnibus clausulis ibidem appositis necnon et ordinacio facta in eodem capitulo generali de modo concedendi litteras de beneficiis ordinis inviolabiliter observetur (2).

Item. Volumus et mandamus, quod vite et miracula sanctorum fratrum, qui obierunt per singulas provincias et conventus recollecta cum diligencia conscribantur et conscripta mittantur magistro ordinis Parisius vel ad sequens capitulum generale, et provinciales ista committant fieri in suis provinciis fratribus ad hoc aptis.

---

2) ceteris fratribus *om.* A2. — 4) quod *om.* B. — 5) refectorii] communitatis A2. — 8) universis *om.* A2. — 9) et *post* prioribus *om.* G. — 10) expositis] dispositis B. — legitime *om.* A2. — fratres] ordinis *add.* A2 G. — 11) a quibus — fratres *om.* A2. — 12) communiter *om.* G. — 13) sunt] fuerunt B. — 14) suppriorum *om.* G. — suorum *om.* B. — speciali] licencia *add.* A2. — 15) aliqualiter] aliquatenus G. — priores] et *add.* A2. — 16) administrare] ministrare EF. — 17) dum] cum B. — 19) ordinamus] mandamus B. — 20) rebus *om.* B. — 21) impignorandis] pignorandis B. — 22) nisi — conventus *om.* G. — 23) non *om.* A2. — 24) eodem] predicto *add.* A2. — 27) vite] vita B. — 28) recollecta *om.* B. — 30) fieri *om.* B. — 31) in suis provinciis] per suas provincias A2 G.

---

(1) Cf. supra pag. 217 l. 9 sqq.
(2) Cf. supra pag. 224 l. 18 sqq.

Item. Ne ea, que sub specie religionis fiunt, ipsimet religioni pericula et scandala pariant, dum sine discrecionis tramite fiunt ac eciam sine suorum superiorum licencia, beneplacito, consilio et assensu, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater titulo cuiuscumque predicacionis vel peregrinacionis seu alio quolibet modo congregacionem virorum ac mulierum faciat seu factas et ad se confluentes regat vel deducat, nisi secundum modum hactenus in ordine consuetum. Si quis autem oppositum huiusmodi facere presumpserit, imponit magister ordinis sub precepto prioribus provincialibus et conventualibus et eorum vicariis, quod talibus cum omni efficacia se opponant et eos a talibus desistere compellant et eos, qui in hoc casu sibi non obedierint, carcerali custodie deputent, invocato ad hoc, si oportuerit, brachio seculari.

Item. Omni districtione, qua possumus, inhibemus, ne camere quibuscumque fratribus concedantur, nisi forte illis, quibus racione officii vel status ordo hactenus concedere consuevit.

Precipit autem magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater extra quatuor loca per constituciones concessa comedat, nisi in casu infirmitatis vel debilitatis, que a predictis locis illum racionabiliter excuset, iudicio presidentis; gracias quascumque huic ordinacioni contrarias sub quacumque forma verborum existant, eciamsi de revocacione earum expressa mencio fieri deberet sive a magistro ordinis sive a prioribus provincialibus sint concesse, denunciantes per magistrum ordinis penitus revocatas.

Item. Cum non sine magna nota cupiditatis in dampnacionem animarum suarum fratres aliqui sine magistri ordinis licencia omnes missas suas unius anni vel plurium annorum promittant et de facto conferant, cum de iure non possint, recipientes certas obvenciones annuas pro eisdem, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater amodo aliquid presumat facere predictorum, quin pocius priores conventuales per fratres sui conventus missas condividendo vel ebdomadarios statuendo de predictis ordinent et omnes obvenciones pro hoc exhibitas ad usum conventus recipiant, quando talia fratribus offeruntur.

Item. Cum per graves importunitates multi fratres in magnam ordinis iacturam quam plures gracias a magistris ordinis et prioribus pro-

---

4) virtute] spiritus sancti et *add.* E. — 5) cuiuscumque *om.* BF. — vel *om.* A2. — 6) alio quolibet] quocumque EG. — modo *om.* A2. — ac] aut EG. — 7) vel deducat *om.* B. — 10) sub precepto *om.* A2. — 20) illum] ipsum A2. — 22) verborum *om.* B. — 25) non *om.* E. — 26) fratres *om.* G. — licencia] speciali *add.* A2. — 27) anni *om.* G. — 28) cum — possint *om.* B. — recipientes] recipiendo A2. — 29) in virtute sancte obediencie *om.* A2. — 33) pro] ad G. — 36) ordinis] religionis B; et religionis *ante* iacturam *add.* FG.

vincialibus obtinuerint, ita videlicet quod a sequela chori et refectorii sint exempti simpliciter vel pro magna parte, quodque questam non facere teneantur nec confirmari possint in priores sine suo beneplacito et assensu seu compelli ad idem, et quod non possint notari in tabula ad officia ordinis nec compelli ad predicandum nec mutari de certis conventibus et quod possint discurrere ad villam vel per terminos vel per provinciam sine suorum superiorum licencia speciali: omnes gracias supradictas quibuscumque concessas, sub quacumque verborum forma existant, revocat magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu; gracias eciam de successione rerum et librorum inter fratres necnon et quod possint ordinare de rebus suis quibuscumque fratribus concessas, cum ista naturam proprietatis sapiant, revocat magister ordinis simpliciter et annullat de eorumdem diffinitorum consilio et assensu.

Item. Cum ex eo, quod multi fratres litteras habent a magistro ordinis, quod possint eligere provincias Grecie vel Terre sancte vel societatem peregrinancium inter gentes, sequatur incertitudo multorum, ad quas provincias pertineant, et harum pretextu frequenter vagi discurrunt fugientes ordinis disciplinam, omnes istas litteras de diffinitorum consilio et assensu magister ordinis revocat simpliciter et annullat. Insuper et omnes litteras, per quas magister ordinis concessit quibuscumque episcopis vel fratribus, quod possint assignare fratres provinciis Grecie vel Terre sancte seu societati peregrinancium inter gentes, denunciamus esse a magistro ordinis revocatas. Committit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus, quod de suis provinciis assignare possint quilibet eorumdem sex fratres provincie Grecie et sex provincie Terre sancte et sex societati peregrinancium propter Christum, voluntarios tamen et illesos in vita pariter et in fama; ordinantes, quod vicarii magistri ordinis super fratres societatis peregrinancium propter Christum fratres societati inutiles possint ad suas provincias remittere et eisdem assignare de consilio discretorum (1).

Item. Cum per eiectionem fratrum professorum ab ordine subtrahatur eisdem occasio ad viam salutis anime redeundi, omni districtione, qua possumus, inhibemus fratribus universis, ne quicumque magistro or-

1) quod] ut A2 G. — a *om.* G. — 4) seu] nec A2. — 6) per *post* vel *om.* BG. — 7) superiorum] priorum A2 EG. — 8) verborum *om.* E. — 10) et] vel *post* rerum A2 G. — 15) a magistro ordinis *om.* B. — vel] et *post* Grecie BF. — 19) simpliciter *om.* EG. — 21) fratres *om.* E. — vel] et BF. — 22) inter gentes] propter Christum B. — 25) quilibet] cuilibet A2. — eorumdem] eorum G. — et sex provincie] vel G. — 26) et] seu *ante* sex G. — peregrinancium] inter gentes *add.* — 28) fratres societatis *om.* E. — 29) remittere] revocare A2 E. — 30) de consilio discretorum *om.* E. — 31) per eiectionem] ex eiectione B. — professorum *om.* G.

(1) De societate peregrinantium propter Christum cf. supra pag. 175 l. 1 sqq.

dinis inferior presumat de cetero aliquem professum ab ordine eiicere sine magistri ordinis licencia speciali.

Item. Cum ex eo, quod aliqui fratres predicantes populo impingunt in status et personas prelatorum et clericorum, frequencius scandala oriantur, omni districtione, qua possumus, inhibemus, ne frater quicumque de cetero presumat talia attemptare.

Item. Cum fratres conventus Mediolanensis, in quo corpus beati Petri martyris requiescit ad honorem eiusdem gloriosi martyris sepulcrum eiusdem hedificare inceperint in forma et materia simile per omnia sepulcro beati Dominici, patris nostri, nec ad expensas tanti operis sufficiant, exhortamur omni affectu, quo possumus, fratres singulos necnon et eisdem imponimus in remissionem peccatorum suorum, quatenus personis devotis eidem glorioso martyri suadeant, quod per suas elemosynas ad tam sanctum opus manus porrigant adiutrices; et quidquid inde receperint mittant reverendo patri magistro ordinis, quam cito poterunt vel saltem ad sequens capitulum generale.

Item. Cum studentes diversarum provinciarum missi per magistrum ordinis titulo studii ad alias provincias per instancias aliquorum inveniantur interdum deficere in moribus et sciencia, concedit reverendus pater magister ordinis prioribus provincialibus, de quorum provinciis tales assumuntur, quod, sive per magistrum ordinis sive per alium auctoritate magistri ordinis tales assignati fuerint studiis aliarum provinciarum sive studio proprie provincie, possint ipsos provinciales revocare ad suas provincias et conventus et absolvere a studiis, provinciis et conventibus antedictis.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod preceptum reverendi patris magistri ordinis de non eundo ad Romanam curiam sine sua licencia speciali et sentencia excommunicacionis per eum lata super hoc apud Divionum in capitulo generali, durant continue modo et forma, quibus in eiusdem actis capituli continetur (1).

Iste sunt penitencie.

Absolvimus priorem Haverfordie in penam, qui sine maturo consilio composicionem suo conventui preiudicialem et ceteris conventibus tocius provincie periculosam presumpsit facere et firmare.

---

3) aliqui *om.* BF. — fratres *om.* F. — predicantes] predicant G. — populo *om.* B. — 7) beati] sancti A2 E. — 9) inceperint] ceperint A2. — 10) ad *om.* A2. — 12) suorum *om.* E; omnium *add.* A2. — 15) quamcito] commodius *add.* E. — 19) et] in *add.* A2. — 20) ordinis *om.* A2 E. — 22) ordinis *om.* G. — 23) provincie *om.* A2. — 27) Romanam *om.* B. — 29) durant] durat EFG. — continue] sub eisdem *add.* A2. — 31) iste — expedire *ante* letania *om.* B. — 32) Haverfordie] Auefordie A2: Haufordie A2.

---

(1) Cf. supra pag. 131 l. 1 sqq.

Item. Absolvimus priorem Bangorie in penam, quia contempsit venire ad preceptum sui visitatoris et vicarii provincialis actu conventum Bangorie visitantis, cum tamen venire potuisset.

Item. Privamus fratres Ricardum Chelle et Thomam Alvertona et Mauricium Neuery eligibilitate in socios ad capitulum provinciale per duos annos, quia, cum essent socii aliquorum conventuum, non reportaverunt suffragia pro vivis et mortuis, que erant posita in actis generalis et provincialis capituli, ad suos conventus, sicut facere ex consuetudine ordinis tenebantur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialem Ungarie.

Absolvimus priores conventuales: Cestrie, Kerdinie, Bregonie, Rodolani, Novicastri subtus Limam, Stanfordie, Bristolli, Wyncestrie, Leycestrie.

Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus, isto anno ad eadem officia non resumantur.

Significamus fratribus universis, quod reverendus pater magister ordinis in hoc presenti capitulo non mittit aliam litteram per totum ordinem in actis, sed loco littere mittit copiam bulle domini pape directam magistro ordinis et prioribus provincialibus et fratribus nostri ordinis, mandantes et imponentes districte, quod ad omnes provincias et singulos conventus nostri ordinis copia dicte bulle cum actis capituli generalis integraliter deferantur.

Facimus vicarium generalem in provincia Ungarie fr. Franciscum de Beluno (1) de provincia Lombardie inferioris usque ad sequens capitulum generale; et volumus et ordinamus, quod fratres de provincia Ungarie suum capitulum provinciale non celebrent, donec dictus frater Franciscus eorum vicarius in provincia Ungarie presens extiterit, et tam de loco quam de tempore provincialis capituli eorum nunc instantis ordinaverit, prout iudicaverit expedire. Quod si secus actum fuerit, totum capitulum et quidquid in eo fieret esse volumus irritum et inane.

---

1) Bangorie] Banguerie A2; Langorie F. — Bangorie] Banguerie A2; Langorie F. — 4) Chelle A2; Colde] Cogdile F; Chedele G. — Alvertona] Alvertonia A2; Alburcam F. — 5) Neuery] de Ierni privamus F. — 8) ex consuetudine ordinis *om.* G. — 12) absolvimus] item A2. — Cestrie] Zestrie F. — Kerdinie] Kardinie A2; Kerherbie F. — 13) Wyncestrie] Ynelcestrie E; Ebelcestrie F. — 14) Leycestrie] Lyestrie A2. — 16) non] nullatenus A2 G. — resumantur] assumantur F. — 17) fratribus universis *om.* G. — 18) aliam] aliquam F. — 20) directam] missam A2. — prioribus *om.* FG. — 25) Beluno] Bellinio A2. — de provincia] provincie F. — 26) de provincia] provincie F. — 27) suum *om.* G. — 28) eorum vicarius *om.* F. — 29) eorum *om.* G. — 31) fieret] factum fuerit F.

---

(1) De fr. Francisco de Beluno cf. SSOP. I. pag. 640; DENIFLE l. c. pag. 500, 526, 538, 595.

Concedimus provincie Tholosane unam domum ponendam in portu sancte Marie dyocesis Agenensis.

Item. Concedimus provincie Anglie unam domum ponendam Tetfordie dyocesis Norwicensis.

Item. Mandamus et districte imponimus singulis prioribus provincialibus et eorum vicariis, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Poncio de Flisco procuratori ordinis in curia Romana pro qualibet provincia tres florenos.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Iohannem de Melembergh de provincia Saxonie (1).

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti ad legendum sentencias Parisius fratrem Herbertum Senonensem de provincia Francie.

Assignamus lectorem in conventu Tholosano fratrem Peregrinum de Mercatore, magistrum in theologia de provincia Tholosana (2).

Item. Assignamus lectorem in conventu Bononiensi fratrem Iohannem Mantuanum de provincia Lombardie inferioris.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris, bacalariis et lectoribus biblie ordinet, prout generali utilitati ordinis noverit expedire.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Brugensi in provincia Francie; et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat, intret locum capituli ante feriam ·viam· festum penthecostes immediate precedentem.

Summa missarum pro vivis ·li·

Summa missarum pro defunctis ·xxiii·

Actis additae sunt litterae Benedicti XII; cf. BO. tom. II p. 218 n. I.

---

1) Tholosane] licentiam ponendi *add.* F. — in] villa de *add.* FG. — 2) Agennensis] Agionensis F. — 3) item] et BEF. — unam domum] idem BEFG. — 4) Tetfordie] Feffer E; Gecifordie F. — Norwicensis] Nigrincensis E. — 5) item *om.* BEG. — 6) vicariis] generalibus *add.* F. — 7) Flisco] Fisco A2; Plico EF. — pro] de F. — 9) isto anno *om.* F. — 10) Iohannem *om.* F. — Melembergh] Melinborc F; Melborgh G. — 12) Herbertum] Albertum F. — Senonensem — Francie *om.* F. — 14) lectorem] per secularem F. — 15) Mercatore] Merchane BEF. — Tholosana] Theutonie F. — 16) item *om.* A2. — 18) studii — aliorum *om.* A2. — 19) ipse — biblie *om.* A2. — 20) noverit] viderit F. — 21) regina] post horas *add.* A2. — 24) et — XXIII *om.* B. — ordinamus] volumus A2. — qui — diffinient *om.* A2. — 26) autem *om.* A2. — 28) summa — XXIII *om.* A2. — summa missarum *om.* A2.

---

(1) De fr. Ioanne de Melemberch cf. supra pag. 227 l. 32.

(2) De fr. Peregrino de Mercatore cf. supra pag. 215 l. 7.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS BRUGIS CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XXXVI°·

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: nec receptus fiat clericus nisi de licencia magistri ordinis speciali, addatur statim post et dicatur sic: Nullus religiosus professus cuiuscumque ordinis mendicantis recipiatur ad nostrum ordinem sine licencia magistri ordinis vel capituli generalis. Et hec habet ·ii· capitula.

Et volumus et ordinamus, quod ista medio tempore inviolabiliter observetur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In ympnis beate virginis: Quem terra, et: O gloriosa domina, addatur in fine immediate ante versum: Gloria tibi domine: Maria mater gracie etc. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc, quod de beato Marciali episcopo et confessore fiant tres lectiones ·xvi· kalendas iulii; et magister ordinis de officio providebit. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc: In capitulo de electione diffinitorum generalis et provincialis capituli, ubi dicitur: habeatur generalis capituli diffinitor, addatur sic: nolumus tamen, quod aliquis, qui in precedenti capitulo electus fuerit, ad idem officium eligi valeat in anno diffinitorum proximo subsequenti. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: quod constitucio in capitulo de electione prioris conventualis, que dicit, quod fratres, qui de una provincia ad aliam mittuntur, non sunt ad electiones admittendi, quousque per annum continuum a tempore sue assignacionis immediate precedente electionem faciendam steterint in domo alterius provincie, ad quam missi fuerint, intelligenda est solum de fratribus, qui ad alias provincias causa studii mittuntur, et non de fratribus translatis totaliter de una provincia ad aliam et eisdem simpliciter assignatis.

Hee sunt ordinaciones et admoniciones.

---

11) inviolabiliter *om.* F. — 14) beate virginis *om.* E. — 15) versum] versiculum BG. — 18) iulii] iunii A2 BEF. — 20) item — capitula *om.* BF. — 21) ubi — capituli *om.* A2. — 27) aliam] alienam BEFG. — 30) faciendam] et *add.* A2. BG. — 33) et — assignatis *om.* F; et *om.* A2.

Cum bona consistencia ordinis nostri dependeat totaliter ex personis ydoneis et in bonis moribus educatis, mandamus et districte imponimus fratribus universis, quod de attrahendo iuvenes aptos pro ordine sollicitam curam gerant, et ne recepciones aptorum iuvenum propter eorum paupertatem forsitan omittantur, volumus et imponimus prioribus universis ac vicariis eorumdem, quatenus de vestibus et aliis pro recepcione noviciorum necessariis prompte et sine difficultate provideant in hoc casu. Nullus vero notorie illegitimus recipiatur ad nostrum ordinem nisi de prioris provincialis licencia speciali, quam non concedat, nisi ex evidenti causa et condicione persone ad magnum bonum ordinis tendere videatur. Et ne propter defectum noticie recipiendorum contingere possit error, volumus et ordinamus, quod novicii de terminis unius provincie nati in alia provincia vel de terminis unius conventus in alio conventu nequaquam recipiantur, nisi de magistri ordinis vel priorum provincialium aut vicariorum generalium licencia speciali vel ad preces priorum et conventuum, de quorum terminis fuerint oriundi vel nisi persona petens ordinem sit multum spectabilis et honorabilis pro ordine, nec possit sine dispendio magistri ordinis vel prioris provincialis licencia expectari, conventibus generalia studia habentibus duntaxat exceptis. Et ne propter defectum bone educacionis iuvenes a principio malis moribus imbuantur, mandamus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, ut ipsi in suis provinciis diligenter provideant de religiosis conventibus tot, quot iudicaverint expedire, ad quos novicii aliorum conventuum mittantur, sub cura et diligencia magistrorum, qui ad hoc per provinciales electi sint specialiter, in bonis moribus educandi. Quod ut possit melius observari, volumus et mandamus, quod novicii excepto magne necessitatis articulo ad terminos non mittantur. Ut autem magistro ordinis ac generali capitulo innotescat, qualiter presens ordinacio fuerit observata, mandamus prioribus provincialibus universis, quatenus singuli numerum conventuum et fratrum suarum provinciarum tam professorum quam noviciorum per diffinitores suos mittant ad sequens capitulum generale.

Item. Cum ex insufficiencia lectorum ordo noster veniat in contemptum, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, quod in assignando lectores et sublectores semper

1) ordinis] status A2. — 3) de] pro B; *om.* A2. — 5) forsitan] forsan B. — 6) quatenus] quod EF. — 9) nisi] eidem *add.* A2 G. — evidenti] sufficienti B. — 10) tendere] cedere A2 G. — 14) priorum provincialium] prioris provincialis A2 B. — 15) aut] vel F. — generalium] eorumdem *add.* A2. — 17) nec] ut non B. — 23) tot *om.* E. — 25) sint] fuerint A2 B; *om.* G. — specialiter] an G; *om.* B. — 27) ad] predicacionis *add.* A2. — autem *om.* E. — 28) ordinis *om.* E. — 36) assignando] assignacione BEF.

proponant illos, quos pensatis moribus et sciencia iudicaverint meliores, et iam assignatos, de quorum insufficiencia clare constiterit, si sufficienciores convenienter habere valuerint, a dictis officiis amoveant et absolvant. Lectores vero et sublectores a prioribus provincialibus compellantur per penas graves et, si oportet, per preceptum, legendo, studendo et disputando studio diligenter insistere et lectiones cum ceteris actibus scolasticis continuare. Quicumque vero lectores principales vel sublectores lectiones suas non continuaverint, nisi causam legitimam habuerint, volumus, quod nulla gracia fungantur titulo lectoratus nec lectores re vel nomine reputentur, et nichilominus in penam a suis officiis absolvantur. Provideant eciam priores provinciales et capitula provincialia de modo compellendi efficaciter studentes et fratres alios sequi scholas, et singuli diffinitores provinciarum referre teneantur ad sequens generale capitulum, qualiter singula puncta huius ordinacionis in suis provinciis fuerint observata.

Item. Cum circa ea, que pacis sunt, studere summopere debeamus et omnem perturbacionem ordinis precavere, inhibemus fratribus universis, ne ex causa aliqua nisi nimis necessaria et urgente occasionem assumant in Romana curia litigandi, sed tanquam nuncii pacis et veri pauperes spiritu prelatis et rectoribus ecclesiarum cum omni humilitate reverenciam exhibeant et ab illis caveant, per que posset racionabiliter ipsorum prelatorum et rectorum ecclesiarum contra ordinem perturbacio generari.

Item. Cum ordinacio de sequela communitatis facta in precedenti generali capitulo Londoniis celebrato (1) a quam plurimis male fuerit observata, volumus et ordinamus, quod priores et supriores refectorium continuent nec ab illo se absentent, nisi ex causa multum necessaria et urgente, et in casibus, in quibus per constituciones facultas comedendi extra refectorium fratribus indulgetur; et ad idem fratres alios omni affectione semota diligenter compellant. Qui vero huius ordinacionis inventi fuerint contemptores, in penam a suis officiis absolvantur et penis aliis puniantur. Omnem autem graciam factam cuicunque a magistro ordinis vel a prioribus provincialibus, quod non teneantur sequi chorum vel refectorium simpliciter vel in parte, quodque questam non teneantur facere nec confirmari possint in priores sine suo beneplacito vel assensu

---

1) sciencia] et aliis circumstanciis et in suis conscienciis *add.* E. — 4) vero] autem E. — 5) et *post* studendo *om.* E. — 6) disputando] in *add.* BEF. — 7) vel] et B. — 13) referre] deferre B. — 14) singula] cuncta B. — fuerint] sint BF. — 17) perturbacionem] turbacionem B. — 18) occasionem assumant *om.* E. — 19) litigandi] accedant *add.* E. — nuncii *om.* BEFG. — 20) ecclesiarum *om.* EG. — 24) quam *om.* A2. — 25) et ordinamus *om.* F. — ordinamus] mandamus E. — 26) illo] ipso G. — 28) idem] illud B. — alios *om.* F.

---

(1) Cf. supra pag. 231 l. 35 sqq.

seu compelli ad idem, et quod non possint notari in tabula ad officia ordinis nec compelli ad predicandum nec mutari de conventibus, et quod possint discurrere ad villam vel per terminos vel per provinciam sine priorum suorum licencia speciali, et quod in rebus et libris sibi mutuo succedere ac de rebus suis valeant ordinare: has omnes gracias sub quacumque forma verborum concesse fuerint, quia bono communitatis plurimum derogant, revocat magister ordinis simpliciter et annullat de diffinitorum consilio et assensu.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater extra quatuor loca per constituciones concessa comedat, confectionibus et fructibus duntaxat exceptis, nisi cum personis spectabilibus et magni status, que interdum in expensis propriis ad loca nostra declinant vel in casu infirmitatis seu debilitatis, que a predictis locis racionabiliter eos excusent iudicio presidentis. Gracias quascunque huic ordinacioni contrarias sub quacunque forma verborum existant, eciamsi de revocacione earum mencio fieri deberet, sive a magistro ordinis sive a prioribus provincialibus sint concesse, denunciantes penitus revocatas.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater omnes missas suas unius anni vel plurium aut de facto, cum de iure non possit, eas quibuscunque conferat seu pro annualibus obvenciones certas pro persona sua recipiat quoquo modo.

Item. Cum secundum regulam nostram nullus frater solus ire debeat, nec gravi suspicione et scandalo careat, quod frater solus sine socio evagetur, volumus et ordinamus, quod frater quicunque per provinciam aliquam solus discurrere inventus fuerit, nisi se gratis conventui alicui et ordini obtulerit, capiatur et includatur, nisi possit de causa legitima docere, que posset eum racionabiliter excusare, quousque per priorem provincialem ipsius secundum eius merita fuerit aliter ordinatum.

Item. Cum ex dampnabili temeritate quorumdam, qui se intromiserunt de practica medicine, gravia scandala in quibusdam partibus sint sequuta, et nisi cohibeantur, in posterum sequi possint, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater de practicando in medicina se intromittat, nisi in seculo licenciatus fuerit vel notorie peritus in sciencia medicine, nisi super hoc a suo priore provinciali habuerit licenciam specialem.

---

1) quod *om.* A2. — 2) mutari] commutari A2. — 12) magni status] magnis A2. — 14) excusent] excuset G. — 20) suas *om.* B. — 21) plurium] promittat *add.* G. — 22) pro persona sua *om.* B. — 25) nec] ut B. — 26) evagetur] vagetur A2 G. — 27) aliquam *om.* BG. — discurrere] discurrens si G. — 28) includatur] qui *add.* G. — 29) priorem *om.* E. — 30) eius] sua B. — merita] de eo *add.* E. — 33) sequuta] exorta G. — 35) in medicina *om.* A2. — 36) medicine] vel *add.* EF.

Item. Cum fratres conventus Mediolanensis, in quo corpus b. Petri martyris requiescit, ad honorem eiusdem martyris sepulchrum hedificare inceperint in forma et materia simile per omnia sepulchro beati Dominici patris nostri, nec ad expensas sufficiant tanti operis, exhortamur omni affectione, qua possumus, fratres singulos necnon eisdem imponimus in suorum remissionem peccatorum, quatenus personis devotis eidem glorioso martyri suadeant, quod per suas elemosynas ad tam sanctum opus manus porrigant adiutrices. Priores eciam provinciales fratres provinciarum suarum super hoc moneant diligenter, et quidquid habitum fuerit sive collectum, mittatur ad sequens capitulum generale.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod preceptum reverendi patris magistri ordinis de non eundo ad curiam Romanam sine sua licencia speciali, et sentencia excommunicacionis per eum lata super hoc apud Divionem in capitulo generali (1) cum omnibus clausulis et penis ibidem appositis, necnon et concessio facta prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, durant continue modo et forma, quibus in actis eiusdem capituli continentur; adiicientes, quod magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu idem preceptum et privacionem graciarum ordinis extendit in illos, qui sine assensu magistri procurant sibi licenciam eundi ad curiam per personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam.

Item. Volumus et ordinamus, quod acta capituli generalis legantur semel in quolibet conventu in singulis mensibus anno isto.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores provinciales Anglie et Saxonie.

Absolvimus priores conventuales Aurelianensem, Carnotensem, Beluacensem, Bituricensem, Blesensem, Remensem, Virdunensem, Tullensem, Lugdunensem, Lingonensem, Constanciensem, Ebroycensem, Guymgapensem, Montis Relaxi, Leodiensem, Belueariensem et sancti Iohannis.

Et volumus et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales absoluti in eisdem provinciis et conventibus isto anno ad eadem officia nullatenus resumantur.

---

1) item — generale *om.* B. — 4) operis] ex seipsis *add.* A2 G. — 8) adiutrices] et *add.* A2 BEF. — eciam] autem A2 G. — 9) sive] vel A2 G. — 13) per eum *om.* B. — 14) Divionem] Divionum G. — 15) appositis] impositis A2; positis G. — 16) eorumdem] eorum B. — 20) personam... constitutam] personas.... constitutas F. — nostri *om.* E. — 23) in quolibet conventu *om.* B. — isto] primo F. — 26) absolvimus — resumantur *om.* BE. — 29) Guymgapensem] Gingancensem F. — Beluealiensem] Beluiacensem F.

---

(1) Cf. supra pag. 131 l. 1 sqq.

Denunciamus fratribus universis, quod magister ordinis nullum fratrem deinceps de gracia vel per contribucionem mittet Parisius vel ad aliud studium generale, nisi prius habita littera testimoniali prioris provincialis illius provincie, de qua frater mittendus fuerit, vel sui vicarii generalis de moribus et sciencia ipsius. Precipit autem magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod de moribus et sciencia fratrum de suis provinciis ad generalia studia mittendorum testimonium fidele perhibeant magistro ordinis, quando ab ipso fuerint requisiti. Et ut error, si quis circa iam missos commissus fuerit, corrigi valeat per magistrum, sub eodem precepto mandat magister ordinis prioribus provincialibus vel eorum vicariis generalibus, quod quamcito commode poterunt, mittant magistro ordinis fidele testimonium de iam missis.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Poncio de Flisco, procuratori ordinis in Romana curia, pro qualibet provincia ·iii· florenos pro anno presenti. Provinciales autem illarum provinciarum, qui pro duobus annis preteritis non solverunt eidem, sub eodem tenore precepti infra natale domini proximo futurum satisfacere teneantur.

Item. Significamus, quod fr. Petrus Guidonis, prior Carcassonensis in provincia Tholosana, ex devocione quam habet ad sanctos et illustres viros ordinis nostri assumpsit sibi studium componendi libellum de miraculis et gestis insignibus predictorum; quapropter rogamus fratres omnes et singulos, quatenus quicunque habent in noticia miracula vel facta memorabilia sanctorum et fratrum nostrorum, qui ex hoc seculo transierunt, curent ea sollicite mittere, quamcito poterunt, dicto fratri (1).

Item. Ordinaciones, quas frater Franciscus de Belluno vicarius generalis in provincia Ungarie per precedens Londonense capitulum institutus fecit in dicta provincia Ungarie, approbamus et confirmamus (2). Et vult magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod in suo vigore maneant, donec per ipsum magistrum ordinis correcte fuerint vel mutate.

Facimus vicarium generalem in provincia Anglie fratrem Guillelmum

2) mittet] mitteret E. — 3) prius *om.* E. — prioris *om.* E. — 4) vel — generalis *om.* B. — 8) ad generalia studia *om.* E. — 12) vel] et B. — eorum] eorumdem G. — 14) item — extiterit in eadem *om.* B. — 15) eorum] eorumdem G. — 17) de Flisco *om.* F. — Flisco] Pisco E. — 20) domini *om.* A2. — 22) ex devocione *om.* EG. — 26) et *om.* EF. — 28) quas] fecit *add.* F. — Belluno] Belinio A2; Beluano F. — 30) fecit *om.* F. — et confirmamus *om.* F. — 32) vel] et F.

(1) De fr. Petro Guidonis cf. SSOP. I. 625.
(2) Cf. supra pag. 234 l. 24 sqq.

de Watisdene, magistrum in theologia, donec prior provincialis illius provincie electus fuerit et confirmatus et presens exstiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Saxonie fratrem Henricum de Lubec (1), donec prior provincialis illius provincie electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Herbertum Senonensem de provincia Francie (2).

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti ad legendum sentencias Parisius fratrem Parisium Parisii de provincia Provincie (3).

Item. Assignamus lectorem in conventu Tholosano fratrem Peregrinum de Mercatore magistrum in theologia de provincia Tholosana (4); et volumus, quod magister Garinus de Gyaco (5) magister in theologia legat Parisius in scholis, in quibus frater Peregrinus precedens actu legit, quousque per magistrum ordinis dicto fratri Garino fuerit de successore provisum.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et baccalareis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Letania et salve regina in choro post horas more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Valentino in provincia Provincie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante ·vi· feriam festum pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione veniendi ad capitulum de conventu suo

---

1) Watisdene] Bancis E; Wandicene F; Wastidene G. — 2) illius provincie *om.* E. — 3) item — generalem *om.* EF. — 4) Lubec] Lubech A2; Libech E; Lubeke F. — 7) Herbertum] Umbertum EF. — 7) de provincia Francie *om.* F. — 9) Parisium] Parisinum BEG. — Parisii] Perusii A2F. — 10) Provincie *om.* E. — 11) item — expedire *om.* B. — 12) de Mercatore *om.* F. — de provincia Tholosana *om.* F. — 13) magister] frater A2F. — Garinus] Guarinus A2; Carrimus E; Garyno F. — 14) precedens] predictus A2G; *om.* F. — 15) dicto *om.* F. — Garino] Carrino EF. — 21) post horas *om.* B. — dicantur] dicatur G. — 26) alius *om.* A2. — ad capitulum *om.* B.

---

(1) De fr. Henrico de Lubec cf. SSOP. I. 590.

(2) De fr. Herberto cf. supra pag. 235 l. 12.

(3) De fr. Parisio cf. Denifle l. c. indicem.

(4) De fr. Peregrino cf. supra pag. 235 l. 15.

(5) De fr. Garino cf. supra pag. 186 l. 26.

iter arripuerit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis vel per capitulum generale.

Volumus autem et ordinamus, quod diffinitores de capitulo redeuntes bene recipiantur et secundum facultatem conventuum karitative tractentur.

Expliciunt acta capituli generalis Brugis celebrati.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXIII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD VALENCIAM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XXXVII°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: nec possit habere officium prioratus vel supprioratus vel lectoratus, addatur statim post et dicatur sic: nec possit fieri diffinitor generalis vel provincialis capituli nec predicator generalis. Omnem autem graciam et dispensacionem quibuscunque factam, quod possint esse diffinitores generalis capituli vel provincialis vel priores vel lectores in studio generali, qui apostataverunt vel qui de peccato carnis manifeste convicti fuerint, vel qui fuerint carceri mancipati sentencialiter et legitime, revocat magister ordinis et annullat de diffinitorum consilio et assensu.

Item inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: ad ipsum provinciale capitulum eius electio pertinebit, addatur statim post et dicatur sic: exceptis provinciis Grecie et Terre sancte, in quibus provinciis provisio suorum priorum provincialium ex ordinacione sedis apostolice pertinet ad magistrum ordinis et diffinitores capituli generalis (1).

Item inchoamus hanc: In eodem capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: qui eius locum obtinet, teneatur convocare, quam cicius poterit electores, addatur et dicatur sic: exceptis provinciis Grecie et Terre sancte; in quibus provinciis provisio suorum priorum provincialium ex ordinacione sedis apostolice pertinet ad magistrum ordinis et diffinitores capituli generalis (2).

---

3) volumus — celebrati *om.* A2. — autem *om.* F. — 4) conventuum] domus bene et B. — 5) expliciunt — celebrati *om.* EFG. — 11) nec] non EF. — possit] possunt F. — 13) nec *om.* E. — 15) et dispensacionem *om.* E; in *add.* A2F. — 19) de — assensu *om.* A2. — 20) in capitulo *om.* B. — 23) in — generalis *om.* A2. — 24) ordinis *om.* EFG. — 27) prioris provincialis *om.* A2. — 28) addatur] statim post *add.* A2. — 29) provisio — provincialium *om.* B. — suorum *om.* F. — 30) ordinis *om.* EG. — 31) et] ad *add.* A2.

---

(1) Cf. supra pag. 226 l. 27 sqq.

(2) Cf. ibid.

Item inchoamus hanc: Quod de beato Vincencio martyre glorioso fiat per totum ordinem festum duplex.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: Nec receptus fiat clericus nisi de magistri ordinis licencia speciali, addatur statim post et dicatur sic: nullus religiosus professus cuiuscunque ordinis mendicantis recipiatur ad nostrum ordinem sine licencia magistri ordinis vel capituli generalis. Et hec habet tria capitula.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc, quod per religiosos mendicantes non solum intelligit constitucio illos religiosos mendicantes, qui possessiones non habent nec in proprio nec in communi, sed eciam illos religiosos, qui etsi possessionem habeant, propter tamen eorum exiguitatem consueverunt communiter mendicare.

Item. Quod dicit constitucio, que ponitur inter illas constituciones, que conscripte sunt in fine constitucionum nostrarum, quod non fiant in aliqua provincia habente numerum excessivum predicatorum generalium predicatores generales, donec ad numerum conventuum sint redacti, illis duntaxat exceptis, qui racione antiquitatis vel infirmitatis ad capitula provincialia venire non possunt, declaramus, quod illi reputandi sunt non posse venire ad capitula provincialia racione infirmitatis vel antiquitatis, quos provinciales et diffinitores provincialis capituli ire ad capitula provincialia ex causis predictis iudicaverint non potentes.

Item. Quia dicit constitucio in capitulo de provinciali capitulo, quod infra quinquennium ab ingressu ordinis fratres aliqui non admittantur in conventibus ad discussionem eorum, que ad capitulum generale vel provinciale sunt mittenda nec eciam ad electionem socii prioris conventualis nec eciam ad electionem electorum prioris provincialis, declaramus, quod istud quinquennium sic intelligitur, quod semper quatuor anni a professionis tempore computentur.

Item. Quia frequenter contingit, quod multi fratres propter excessum suarum culparum privantur a suis superioribus omnibus graciis ordinis, nulla mencione facta de privacione vocis, sed stando precise in privacione graciarum omnium ordinis et ex hoc apud multos in diversis provinciis dubitacio sit exorta, utrum privati omnibus graciis ordinis absque aliqua expressione de privacione vocis, privati sint voce in electionibus priorum conventualium et in electione socii mittendi ad generale

1) inchoamus *om.* A2. — 5) ordinis *om.* A2E. — 10) hanc *om.* A2G. — 15) quod] quia A2FG. — dicit *om.* B. — 18) conventuum] consuetum A2. — 21) posse] potentes A2E. — 25) aliqui] alii A2G. — 26) in conventibus *om.* B. — discussionem] execucionem E. — 27) eciam *om.* A2EFG. — socii *om.* A2. — 28) declaramus — quinquennium *om.* A2. — 36) expressione] expressa mencione B. — de privacione privacionis G.

vel provinciale capitulum et in electione electorum prioris provincialis, declaramus, quod illi, qui sunt per suos superiores privati omnibus graciis ordinis nulla mencione facta in ipsa de privacione vocis, non sunt ipso facto voce privati, si quam habebant in electione prioris conventualis et in electione socii mittendi ad generale vel provinciale capitulum et in electione electorum prioris provincialis, quando electio prioris provincialis per electores fuerit facienda.

Item. Declaramus, quod quando frater privatur omnibus graciis ordinis, privatus est auctoritate et gradu predicacionis generalis nec ad predicacionem generalem restitui potest per quemcunque, nisi iterato per priorem provincialem et diffinitores capituli provincialis provincie sue fiat de novo predicator generalis, sicut si nunquam antea extitisset.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum ordo noster a suis primordiis propter eminenciam sciencie singulariter floruerit et intellexerimus, quod studium in aliquibus (quibusdam) provinciis neglectum sit mirabiliter et collapsum, et ex hoc verisimiliter timeamus, ne in illis provinciis ordo noster veniat in contemptum, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod singuli priores provinciales in suis provinciis et vicarii eorum generales et diffinitores capitulorum provincialium provideant de studiis theologie, phylosophie naturalis et arcium taliter, quod ad minus in singulis provinciis sint duo studia theologie, duo phylosophie naturalis et duo arcium, in quibus deputentur lectores ad hoc ydonei et studentes, qui per provinciales et diffinitores compellantur per penas graves et per preceptum, si oportet, legendo, studendo, disputando studio insistere et lectiones cum ceteris actibus scholasticis continuando cum diligencia exercere; quodque lectores principales in singulis conventibus compellantur lectiones suas continuare; inhibentes districte, ne lectores, qui suas in scolis non continuant lectiones quibuscumque graciis, titulo lectoratus gaudeant nec lectores re vel nomine nuncupentur. Provincias tamen Grecie et Terre sancte ad ista per preceptum nolumus obligari.

Item. Cum ex eo, quod multe provincie neglexerint hactenus studentes mittere ad studia generalia, credimus et timemus, quod heedem provincie in lectoribus ydoneis et viris litteratis defectum notabilem paciantur, precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu,

1) electorum *om.* A2. — 3) in ipsa] de A2G. — 5) socii — electione *om.* BEF. — 6) quando] que B. — 9) privatus est] privatur B. — 11) priorem *om.* E. — 15) aliquibus] quibusdam B. — 16) mirabiliter] notabiliter G. — 20) capitulorum provincialium] capituli provincialis B. — 21) theologie] et *add.* G. — 23) ad hoc *om.* E. — 24) per *post* et *om.* B. — 25) studendo] et *add.* A2G. — disputando] in *add.* E. — 28) compellantur.... continuare] continuent B. — ne] quod A2. — 29) lectoratus] non *add.* A2. — 30) nuncupentur] reputentur G. — 32) cum *om.* E. — 34) ydoneis *om.* A2BG. — et viris *om.* E.

quod provinciales et diffinitores provinciarum Ungarie, Boemie, Polonie, ad studia generalia conventuum Parisiensis, Coloniensis, Bononiensis, Tholosani et Montispessulani mittant studentes in numero secundum constituciones eis concesso, quodque provinciales supra dictarum provinciarum studentes sic deputatos studiis supra dictis compellant per preceptum et alias graves penas accedere ad studia eisdem per suas provincias deputata. Ipsis autem prioribus provincialibus supradictarum provinciarum precipit magister ordinis, quod provideant studentibus sic per provinciam missis de contribucione sufficienti iuxta modum alias in suis provinciis observatum. Provincialibus eciam provinciarum Yspanie et Aragonie precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod de mittendis studentibus Parsius, Tholosam et ad Montempessulanum et de providendo eisdem de contribucione solita in suis provinciis modum et formam teneant, qui statim de aliis tribus provinciis est expressus. Sub eadem forma precepti imponit magister ordinis universis aliis prioribus provincialibus, quod studentibus per provinciam missis extra suas provincias de contribucione et subsidio provideant secundum morem hactenus in suis provinciis observatum. Studentibus autem, qui de gracia magistri ordinis mittuntur ad alias provincias, de diffinitorum suorum consilio provideant modo meliori, quo eis videbitur expedire.

Item. Cum intellexerimus, quod in quibusdam provinciis fratres aliqui lectorias sollempnium conventuum tenuerint et teneant annis quampluribus in multorum aliorum fratrum eque sufficiencium preiudicium et verecundiam, volumus et ordinamus, quod nullus frater ultra quatuor vel quinque annos continuos lectoriam alicuius conventus teneat, si eque sufficiens pensatis omnibus in eadem provincia habeatur.

Item. Cum ex insufficiencia lectorum ordo noster veniat in contemptum, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, quod in assignando lectores principales conventuum necnon et lectores sentenciarum et naturarum et arcium semper preponant, quos pensatis moribus et sciencia iudicaverint meliores, et iam assignatos, de quorum insufficiencia clare constiterit, si sufficienciores convenienter habere potuerint, a dictis officiis amoveant et absolvant. Studentes autem et fratres alios omnes sequi scolas compellant et eos, qui a scolis defuerint per abstinenciam puniant in pane et aqua ipsa die.

---

4) supra *om.* A2. — 7) prioribus *om.* G. — 9) iuxta modum *om.* B. — 10) et *om.* A2. — 11) et assensu *om.* E. — 12) Tholosam] Tholose BG. — et *om.* B. — ad *om.* E. — et ad] in A2 FG. — Montempessulanum] Montepessulano A2 G. — 14) de *om.* B. — 16) suas] alias E. — 19) ordinis *om.* B. — 22) tenuerint et *om.* A2. — 25) vel quinque *om.* B. — 28) ordinis *om.* G. — 30) capitulorum provincialium] capituli provincialis B. — principales *om.* B. — 31) preponant] illos *add.* A2 G. — 34) potuerint] poterunt B.

Item. Cum ex sequela communitatis refectorii cetere observancie regulares quamplurimum reformentur, volumus et ordinamus, quod priores et suppriores refectorium continuent, nec ab ipso se absentent, nisi ex causa multum necessaria et urgente, et in casibus, in quibus per constituciones facultas comedendi extra refectorium fratribus indulgetur, et ad idem fratres alios omni affectione semota diligenter compellant. Qui vero huius ordinacionis inventi fuerint contemptores, in penam a suis officiis absolvantur. Omnem autem graciam cuicumque a magistro ordinis vel a prioribus provincialibus factam, quod non teneantur sequi chorum vel refectorium, revocat magister ordinis et annullat. Imponimus autem prioribus provincialibus et conventualibus, quod nullam graciam generalem conferant cuicumque presenti ordinacioni repugnantem.

Item. Cum intellexerimus, quod in aliquibus provinciis in magnum scandalum nostri ordinis esus carnium a presidentibus provinciarum et conventuum nimis faciliter concedatur, ordinamus et omni districtione, qua possumus, imponimus singulis prioribus provincialibus et conventualibus ac vicariis eorumdem, quod licenciam comedendi carnes nulli conferant, nisi iuxta formam, que in nostris constitucionibus continetur. Et si qui oppositum fecerint, priventur suis officiis in penam nec ad illa possint restitui nisi per dispensacionem magistri ordinis vel capituli generalis. Quicumque autem extra conventum carnes comederit vel trituras carnium in pulmentis, omni districtione, qua possumus, mandamus, quod pena gravioris culpe per unum mensem continuum puniatur.

Item. Cum intellexerimus, quod in multis conventibus multarum provinciarum non sunt instituti suppriores per priores eorum, cum tamen per constitucionem institucio ipsorum suppriorum in singulis conventibus prioribus imponatur, districte imponimus prioribus universis, quod singuli in suis conventibus, si suppriores non habent, ipsos infra mensem a noticia presencium instituant et tales instituant, quales magis ydoneos habere poterunt pro officio memorato. Illi autem in quorum conventibus suppriores habentur, mortuo vel amoto suppriore, suppriorem instituere infra unius mensis spacium teneantur. Qui autem suppriores isto modo instituere neglexerint, volumus, quod in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Quia multi equitando sine magna necessitate paupertatem nostram notabiliter deformant, mandamus et omni districtione, qua pos-

3) ipso] illo B; aliquatenus *add.* A2. — 4) in *post* et *om.* EG. — 10) vel] et A2. — 15) conventuum] conventualium A2. — 17) ac] et B. — 23) mandamus] imponimus A2G. — 24) conventibus] provinciis FG. — 25) multarum provinciarum *om.* A2E. — sunt] in conventibus *add.* FG. — 26) ipsorum *om.* A2G. — ipsorum suppriorum] suppriorіs B. — in *om.* B. — 27) conventibus *om.* B. — 28) suis] singulis F. — 30) magis ydoneos] meliores F. — poterunt] potuerint F. — 32) unius mensis spacium] mensem B. — 33) suppriores *om.* E. — 35) quia] quod F. — 36) notabiliter *om.* B.

sumus, imponimus universis prioribus provincialibus, conventualibus et ceteris fratribus, quod ab equitaturis et expensis superfluis ex toto sibi caveant, nisi in necessitate tali, quod secundum formam nostrarum constitucionum dispensacionem habere racionabiliter mereantur. Quicumque autem inventi fuerint oppositum facientes, si priores eciam sint, absolvantur a suis officiis; ceteri autem fratres pena gravioris culpe debita indispensabiliter puniantur, et provinciales, qui in hoc excesserint, ad sequens capitulum deferantur.

Item. Cum intellexerimus, quod quedam provincie non sine gravi contemptu nostrarum constitucionum predicatores generales instituerint in numero excessivo, mandamus et volumus, quod in nulla provincia ordinis, habente numerum predicatorum generalium, preter impotentes sequi capitula, equalem suis conventibus, fiant predicatores generales; quod si secus in quacumque provincia factum fuerit, ex nunc totum irritum esse decernimus et inane.

Imponimus autem prioribus provincialibus, quod ad sequens generale capitulum mittant vel deferant numerum suorum predicatorum generalium potencium sequi capitula et numerum et nomina eorum, qui a decem annis citra, supra numerum conventuum in suis provinciis fuerint instituti.

Item. Cum redditus ad vitam emere nostre professioni obviet et nostram deformet notabiliter paupertatem, omni districtione, qua possumus, inhibemus, ne frater quicumque presumat hoc deinceps suo vel alio nomine attemptare; quod si secus actum fuerit a quocumque, seu ante presentem ordinacionem in hoc inventus fuerit deliquisse, ipso facto omni percepcione illorum reddituum sit privatus, et ex nunc totum conventui applicamus; imponentes prioribus et conventibus, quod redditus, qui ad eos ex ista causa obvenerint, statim vendant et ad usum communem conventus applicent, quidquid receperint pro eisdem.

Item. Serenitati conscienciarum fratrum providere volentes, intimamus fratribus universis, quod magister ordinis concessit et concedit universis prioribus et supprioribus et eorum vicariis necnon et aliis fratribus ad consimilia legitime expositis per eosdem, quod ipsi omnes fratres ordinis possint absolvere a peccatis, a quibus de licencia suorum priorum ceteri fratres in conventibus mutuo se absolvant. Ad illa autem,

1) universis] omnibus A2; *om.* B. — 3) in *om.* A2. — quod] que G. — 5) eciam *om.* A2B. — 7) et — deferantur *om.* E. — qui] si A2. — excesserint] excedunt E. — 8) capitulum] generale *add.* A2. — 10) instituerint] instituant E. — 14) quacumque] aliqua B. — irritum *om.* A2. — 16) autem *om.* E. — 17) vel deferant *om.* B. — 18) capitula] capitulum B. — eorum] illorum A2B. — 19) annis] et *add.* BF. — 22) omni *om.* A2EG. — 25) in hoc *om.* B. — 26) totum] illud *add.* A2. — 28) ex *om.* B. — ista] hac F. — statim *om.* E. — 29) pro] de A2. — 32) et] ac *ante* eorum A2B. — 33) consimilia] consilia A — 35) priorum] superiorum B. — in] suis *add.* E; propriis *add.* G.

que per suos superiores retenta sunt, nolumus, quod nisi de licencia priorum vel suppriorum suorum super hoc specialiter habita, potestas eorum aliqualiter se extendat; adiicientes, quod hiidem priores et suppriores et eorum vicarii possint universis fratribus administrare extreme unctionis et eucharistie sacramenta.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus notorie illegitimus recipiatur ad nostrum ordinem nisi de prioris provincialis licencia speciali, quam non concedat nisi ex evidenti causa et condicione persone eidem ad magnum bonum ordinis cedere videatur.

Item. Cum secundum sentenciam apostoli servos Christi non deceat litigare, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ut nullus frater de cetero quocumque modo verbo vel scripto se de placitis seu de negociis secularibus ex se odiosis et litigiosis aliquatenus intromittat, nisi in casu aliquo multum utili et necessario eius priori provinciali vel conventuali, communicato super hoc plurium discretorum consilio, aliud videretur. Nullus quoque, cuiuscumque condicionis aut auctoritatis existat, sub eodem tenore precepti de guerris seu guerrarum negociis directe vel indirecte se presumat intromittere, alioquin ex vi presentis statuti ad penam carceris se reputet condempnatum.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu in virtute sancte obediencie fratribus universis, ne frater, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, ad Romanam curiam accedat vel de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi, nec in eadem Romana curia stet sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali, de qua per litteras magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sentenciam excommunicacionis ipso facto se noverit incurrisse. Quam sentenciam excommunicacionis prefatus magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu; absolucionem a dicta sentencia sibi soli retinens et reservans. Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

---

2) priorum *om.* BF: vel *om.* EG. — 3) aliqualiter] aliquatenus A2. — 5) sacramenta] sacramentum EG. — 10) deceat] liceat A2. — 12) ut] quod B. — 14) aliquatenus] aliqualiter BF. — 15) super hoc *om.* B. — 16) aliud] aliter E. — 18) seu] aut A2 E. — 25) Romana *om.* B. — ordinis *om.* B. — 26) litteras] litteram A2. — 30) ipso facto *om.* A2 B. — 32) ipsorum *om.* E.

Concedit eciam magister ordinis provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et suis negociis viderit expedire.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod preceptum magistri ordinis de non praticando in medicina stat, sicut in actis capituli generalis Brugis celebrati continetur (1).

Item. Committit magister ordinis et imponit prioribus provincialibus Grecie et Terre sancte et generali vicario fratrum peregrinancium propter Christum, quod fratres insolentes et scandalosos suarum provinciarum vel vicarie remittere possint ad suas provincias et eosdem provinciis, unde venerunt, assignare, convocato super hoc prius consilio discretorum et maturorum virorum consilio et assensu.

Committit magister ordinis singulis prioribus provincialibus, quod de suis provinciis assignare possint quilibet eorum sex fratres provincie Grecie et Terre sancte et societati peregrinancium propter Christum, voluntarios tamen et illesos in vita pariter et in fama.

Mandamus priori provinciali Romano et diffinitoribus capituli provincialis nunc instantis in eadem provincia, quod de quatuor bonis fratribus provideant conventui de Piperno, qui in vita et sciencia sufficientes sint hedificare populum et conventum.

Item. Volumus et ordinamus, quod acta presentis anni generalis capituli in quolibet conventu legantur semel in singulis mensibus isto anno.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialem Polonie.

Et priores conventuales Barchinonensem, Carpentoracensem, Albenacii, Niciensem, Cistaricensem, Marsiliensem, Tarasconensem et Narbonensem. Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus isto anno ad eadem officia nullatenus resumantur.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Summa missarum pro vivis ·lii· misse.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Summa missarum pro defunctis ·xix·

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos ·vii· psalmos cum letania, quilibet conversus ·c· pater noster et totidem ave Maria dicant.

---

3) suis] eorum A2. — 7) prioribus *om.* B. — 8) et *post* Grecie *om.* A2. — 11) convocato] communicato A2. — 12) et maturorum *om.* B. — 13) ordinis *om.* A2. — 18) in eadem provincia *om.* B. — 18) qui *om.* A2. — 20) sint] quod possint A2. — 21) anni *om.* EG. — 22) semel in *om.* B. — 23) iste — ·M·CCC·XXXVII°· *om.* B; iste — Maria dicant *om.* F. — 25) Barchinonensem] Barchinonie A2. — 28) resumantur] assumantur E. — 29) ista — vivis *om.* G; ista — dicant *om.* E. — 30) LII] LV G. — 31) ista — missarum *om.* G. — defunctis] mortuis G. — 33) pro — dicant *om.* G.

---

(1) Cf. supra pag. 239 l. 31 sqq.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Poncio de Flisco, procuratori ordinis in Romana curia, pro qualibet provincia ·iii· florenos pro anno presenti. Provinciales autem illarum provinciarum, que pro tribus annis preteritis non solverunt eidem, sub eodem tenore precepti infra natale domini proximo futurum satisfacere teneantur.

Facimus vicarium generalem in provincia Polonie fratrem Iohannem de duobus montibus de provincia Theutonie (1) usque ad sequens capitulum generale; et volumus et ordinamus, quod fratres provincie Polonie capitulum provinciale non celebrent, donec dictus frater Iohannes, eorum vicarius, in provincia Polonie presens extiterit et tam de loco quam de tempore provincialis capituli nunc instantis, prout iudicaverit expedire, ordinaverit. Quod si secus actum fuerit, totum ipsum capitulum et quidquid in eo fieret, esse volumus irritum et inane. Ipsum autem fratrem Iohannem vicarium et fratrem Mathiam quondam provincialem Polonie et fratres Iohannem Sutorcam Standislauum quondam inquisitorem in Cracovia et Adam Sandomeriensem et Bernardum Sandomeriensem volumus interesse in sequenti capitulo generali.

Assignamus ad legendum sentencias isto anno Parisius fratrem Parisium de provincia Provincie (2).

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti ad legendum sentencias Parisius fratrem Petrum Gotas de provincia Francie (3).

Assignamus lectorem in conventu Bononiensi fratrem Petrum Corradi Venetum de provincia Lombardie inferioris.

Item. Assignamus lectorem in conventu Magdeburgensi provincie Saxonie fratrem Radulphum de Bosco de provincia Saxonie.

Item. Assignamus lectorem in conventu Salamantino provincie Hyspanie fr. Ferdinandum de Fraxino de provincia Hyspanie.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis, et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et lectoribus et ba-

---

8) facimus] item facimus A2. — generalem *om.* F. — 16) vicarium *om.* F. — 17) Sutorcam] Sutorcium A2: Subcoreus F; Sutorqua G. — Standislauum] Standislani A2; Stains F; Standislaum G. — 18) Cracovia] Craabia F. — et] fratrem *add.* F. — Sandomeriensem] Sandulensem E; Sandomellium F. — et] fratrem *add.* F. — Sandomeriensem] Sandomerliensem A2; Sendomellinensem F. — 19) sequenti] nostro A2. — 21) Parisium] Parisius F. — 23) Gotas] Golias A2; Goetals F; Goltals G. — 25) Corradi] Colradi F. — 26) Magdeburgensi] Maduburgunsi A2. — 27) Bosco] Raustro E; Rostio (?) F. — 28) Salamantino] Celamantino E. — 29) de provincia Hyspanie *om.* F.

---

(1) Fr. Ioannes de Duobus Montibus eligitur (prior provincialis prov. Teutoniae) in Gewiler 1340; praefuit annis 13. JUNDT, *Histoire du Panthéisme populaire au moyen âge.* Paris 1875 p. 289.

(2) De fr. Parisio cf. supra pag. 242 l. 9.

(3) De fr. Petro cf. DENIFLE l. c. pag. 473.

calariis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout utilitati generali ordinis viderit expedire.

Letania more solito et salve regina in choro post horas more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Methensi in provincia Francie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante ·vi^{am}· feriam festum penthecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione veniendi ad capitulum de conventu suo iter arripuerit, ipso facto sit omni voce privatus; ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Expliciunt acta capituli generalis apud Valenciam celebrati anno domini · m^{o} ccc^{o} xxxvii^{o}·

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXIV.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD CLAROMONTEM CELEBRATI ANNO DOMINI · M^{o}· CCC^{o}· XXXIX°·

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum intellexerimus, quod studium in aliquibus provinciis neglectum sit notabiliter et collapsum, et ex hoc verisimiliter timeamus, ne in illis provinciis ordo noster veniat in contemptum, volumus et ordinamus ac omni districtione, qua possumus, iniungimus et mandamus, quod singuli priores provinciales in suis provinciis et vicarii eorum generales ac diffinitores capitulorum provincialium provideant de studiis theologie,

3) choro post *om.* E. — horas] horis E. — more solito *om.* E. — 9) eciamsi] etsi A2. — 16) expliciunt — ·M·CCC·XXXVII°· *om.* A2FG. — 19) Anno Domini m^{o}ccc^{o}xxxviij^{o}. Magister Ordinis et Provinciales, qui illo anno de iure debebant definire, supersederunt illo anno a celebratione Capituli generalis propter quamdam convocationem fratrum factam per Dominum Pontificem Benedictum xij.^{um} in Curia Romana *add. in marg.* E. — Anno domini m^{o}ccc^{o}xxxviii^{o}. debebat celebrari capitulum generale Metis, sed dominus papa Benedictus duodecimus volens ordinem reformare voluit, quod isto anno supersedeatur a capitulo generali, ut magistro ordinis et pluribus aliis maioribus ordinis per eumdem summum pontificem vocatis absque interruptione temporis de reformatione predicta tractaret continue cum eisdem: et ob hoc pro isto anno per eumdem suspensum fuit capitulum generale. In quo capitulo diffinire debebant Provinciales, cum esset annus provincialium. *add. in marg.* GH. — 23) iste — admoniciones *om.* B. — 25) hoc] hiis B. — 26) provinciis *om.* E.

phylosophie naturalis et arcium taliter, quod ad minus in singulis provinciis sint duo studia theologie et duo philosophie naturalis et duo arcium; in quibus deputentur lectores ad hoc ydonei et studentes, qui per provinciales et diffinitores compellantur per penas graves et per preceptum, si oporteat, legendo, studendo, disputando, studio insistere et lectiones suas cum ceteris actibus scolasticis continuando cum diligencia exercere. Quodque lectores principales in singulis conventibus compellantur usque ad festum Iohannis baptiste ad minus suas lectiones continuare, contraria quacumque provinciarum consuetudine non obstante. Inhibentes districte, ne lectores, qui suas in scholis non continuant lectiones, graciis quibuscumque, titulo lectoratus gaudeant nec lectores re vel nomine reputentur.

Item. Cum circa ea, que pacis sunt, studere summopere debeamus, et omnem turbacionem ordinis precavere, inhibemus fratribus universis, ne ex causa aliqua nisi nimis necessaria et urgente occasionem assumant in Romana curia litigandi, set tanquam nuncii pacis et veri pauperes spiritu prelatis et rectoribus ecclesiarum cum humilitate reverenciam exhibeant et caveant ab illis, que possent ipsorum prelatorum et rectorum notabiliter turbacionem contra ordinem generare.

Item. Cum secundum sentenciam apostoli servos Christi non deceat litigare, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ut nullus frater de cetero quocumque modo, verbo vel scripto se de placitis vel negociis secularibus ex se odiosis vel litigiosis aliquatenus intromittat, nisi in casu multum necessario et utili eius priori provinciali vel conventuali, communicato super hoc plurium discretorum fratrum consilio, aliud videatur.

Nullusque, cuiuscumque condicionis aut auctoritatis existat, sub eodem tenore precepti de guerris aut guerrarum negociis directe vel indirecte intromittere se presumat, alioquin ex vi presentis statuti ad penam carceris se reputet condempnatum.

Item. Cum secundum regulam nostram nullus frater debeat ire solus, nec gravi suspicione et scandalo careat, quod frater solus sine socio vagetur, volumus et ordinamus, quod quicumque frater per provinciam solus discurrens, si inventus fuerit, nisi se gratis conventui et ordini ob-

---

2) duo *om.* B. — 3) et] ac A2. — 4) per *post* et *om.* E. — 7) principales] quarumcumque facultatum A2. — 8) festum] beati *add.* A2 G. — 9) quacumque] quarumcumque A2. — provinciarum] et conventuum *add.* E. — consuetudine *om.* A2. — 10) in scolis *om.* BF. — 11) titulo *om.* B. — gaudeant] utantur A2. — 14) turbacionem] perturbacionem EFG. — 17) spiritu] spirituales B. — 18) illis] hiis A2. — que possent.... turbacionem ... generare] per que posset.... turbacio.... generari BG. — 22) ut nullus] ne ullus A2. — 23) se *ante* de *om.* B. — 24) casu] aliquo *add.* G. — 26) videatur] videretur G. — 27) nullusque] nullus autem B. — auctoritatis] status B. — 29) intromittere *om.* E. — 31) cum *om.* E. — nostram *om.* B. — 32) et] aut A2 E. — 34) si *om.* E.

tulerit, capiatur et includatur ac inclusus teneatur, nisi possit de causa legitima docere, que possit eum legitime excusare, quousque per priorem provincialem ipsius secundum eius merita aliter fuerit ordinatum. Et quia ex eo quod multi fratres litteras habent a magistro ordinis, quod possint eligere provincias Grecie et Terre sancte vel societatem peregrinancium inter gentes, sequitur incertitudo multorum, ad quas provincias pertineant, et horum pretextu frequenter vagi discurrunt, fugientes ordinis disciplinam, omnes istas litteras de diffinitorum consilio et assensu magister ordinis revocat et annullat.

Item. Volumus et ordinamus et districtione, qua possumus, presidentibus imponimus, quatenus fratres, qui ad provincias Grecie, Terre sancte et societatem peregrinancium se hactenus contulerint seu in posterum se conferent, de quorum assignacionibus non constabit clare, quod a predictis provinciis et societate quamcicius expellantur et ad provincias, unde venerint, quantocius remittantur; statuentes et ordinantes, ne fratres societatis peregrinancium ad provincias Grecie vel Terre sancte seu de provincia Grecie ad provinciam Terre sancte vel eciam e converso, virtute generalis commissionis in posterum transferri valeant seu mutari nisi hoc clare in litteris magistri ordinis sit expressum. Intimantes fratribus universis, omnem graciam generalem seu specialem factam hactenus per magistrum ordinis super hoc cuicumque per eundem magistrum ordinis fuisse in diffinitorio revocatam.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus notorie illegitimus recipiatur ad nostrum ordinem nisi de prioris provincialis sue provincie licencia speciali; quam non concedat nisi ex causa evidenti et condicione persone eidem ad magnum bonum ordinis cedere videatur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales Grecie, regni Sicilie, Romane provincie et Anglie.

Et conventuales Blesensem, Methensem, Antisiodorensem, Pruvinensem, Divionensem, Montis Meliani, sancti Quintini, Pontensem, sancti Iohannis, Yprensem, Constanciensem, Lexoviensem, Dynanensem, Montis Relaxi et Camperliensem.

Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus isto anno ad eadem officia nullatenus resumantur.

---

2) legitime] racionabiliter A2 BG. — 4) quod *post* eo *om.* E. — 6) inter] ad BG. — multorum *om.* B. — 10) et] ac *post* ordinamus G; et — possumus] ac districte B. — 11) Grecie] et *add.* A2 B. — 13) conferent] transferent G. — 14) quamcicius] quantocius B. — 16) vel] et A2. — 18) commissionis] consuetudinis B. — 19) in litteris] per litteras B. — 20) seu] vel A2. — 21) super — ordinis *om.* E. — 24) sue] illius A2 E. — 26) videatur] videretur A2 E. — 27) iste — ave Maria dicant *om.* F. — 28) regni *om.* B. — 29) et *om.* BG. — 32) Lexoviensem] Lamocensem A2. — 33) Camperliensem] Camperlaniensem A2.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre ac domino domino nostro summo pontifice et bono statu tocius ecclesie quilibet sacerdos ·iii· missas; et ordinamus, quod in quolibet conventu sit ebdomadarius pro eodem.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Mattheo cardinali Sabinensi (1) quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Gaucelino Iohannis cardinali, summo penitenciario quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Petro cardinali Rothomagensi quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis cardinalibus episcopis domino Ostiensi, domino vicecancellario, domino Convenarum, domino Albano quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis cardinalibus domino Eduensi, Petragoricensi, domino Petro Yspano, domino de Puteo, domino Rhutinensi, domino Gozio, domino Neapoleone, domino de Monte Favencio, domino de Mota, domino Iacobo Gayetano, domino de Fargis, domino de Columpna quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis cardinalibus, domino Ebredunensi, domino Albo, domino Montis Olivi quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino patriarcha Ierosolimitano (2) et passagio Terre sancte quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino archiepiscopo Tholosano quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis episcopis Novariensi, Ruthinensi, Theatino, Brixiensi quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino episcopo Claramontensi quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus dominis domino patriarcha Aquiliensi et dominis archiepiscopis Panormitano nepote domini Mathei, Lugdunensi, Sennonensi, et dominis episcopis Cremonensi (3), Verdensi, Gurcensi,

---

1) ista — ave Maria dicant *om.* EG. — 2) pro — missas *ante* ista] etc. summa missarum pro vivis ·XLIIII· misse A2. — 7) Gaucelino] Gencelino H. — 13) Albano] Annibaldo H. — 16) Gozio] Gayo A2. — 18) Fargis] Fabricis H. — 27) Theatino] Rheatino H. — 32) Cremonensi — Gurcensi] Mirapiscensi, Appamiensi, Baionensi, Virdunensi, Grassensi H.

---

(1) De fr. Mattheo de Ursinis aliisque cardinalibus cf. supra pag. 212 et Eubel l. c. pag. 14 sqq.

(2) De fr. Petro cf. supra pag. 213 l. 3.

(3) Hugolino de s. Marco (al. de Monasterio) O. Praed.; cf. Eubel l. c. pag. 222.

Lemovicensi, Podiensi, Noviomensi, Rivensi, Castrensi, sancti Flori, Engolismensi, domino fratre Exmondo episcopo quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino preposito et venerabili collegio ecclesie Claromontensi et collegiis Lugdunensi, Podiensi, Brivacensi, Bilionii, sancte Marie Portus, sancti Genesii, domino priore hospitaliorum in Alvernia, et pro dominis abbatibus de Casa Dei, Ysidori, Magni Loci, sancti Andree Piperiaci, et domina abbatissa Belli montis quil. sacerdos ·i· mis.

Item. Pro serenissimo principe domino Philippo rege Francie et domina regina consorte sua et bono statu regni sui quil. sacerdos ·iii· mis.

Item. Pro duce Normannie et domina ducissa consorte sua et liberis eorumdem ac domino fratre suo Philippo quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino rege Anglie et domina regina consorte sua ac liberis eorumdem ac bono statu regni sui quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino rege Castelle, domina regina consorte sua ac liberis eorumdem ac bono statu regni sui quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino rege Cypri, domina regina consorte sua ac prole eorum et bono statu regni sui, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustri domina domina Iohanna, quondam regina Francie, relicta quondam Karoli quondam regis Francie et recommandatis per eam, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dominis regibus Navarre, Maioricarum, Ungarie, Boemie, et pro nobilibus principibus domino duce Borbonii, domina ducissa consorte sua, domino comite Blesensi, et domino comite et comitissa Sabaudie, et dominabus comitissis Bononie antiquiori et iuvene, domina de Castro Villani, domina Montis Fortis, comitissa Petragoricensi, comite Montis Fortis, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino comite Alanxonis, domina comitissa consorte sua ac liberis eorumdem quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustrissimo domino delphyno Viennensi, domina delphyna consorte sua, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustrissimo domino domino de Alleto, matre domini Iohannis Cabulensis, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino de Caleto, domicella Yolande filia eius, quilibet sacerdos ·i· missam de spiritu sancto.

Item. Pro domino comite de Alvernia, domina comitissa consorte sua ac liberis eorum quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino vicecomite de Pologniaco, consorte sua ac liberis eorum quilibet sacerdos ·i· missam.

---

2) Engolismensi] Engolstatensi A2. — Exmondo] Aimondo *vel forte* Aicardo G. — 4) Brivacensi *om.* H. — Bilionii] Biliovi H. — 6) abbatibus *om.* B. — 35) Alvernia] Alvaria B.

Item. Pro domino comite Drocarum, domino Azzone vicecomite, domino Mediolanensi, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Roberto milite, domino Alberto de Suardis, domino de Meldonia, domina delphyna consorte sua ac liberis eorumdem quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Reginaldo de Ponte, vicecomitissa de Brucia, eius consorte, cancellario Francie, domino Egidio Esselini, domino de Brolio Barrarum et filio suo ac recommendatis per eam, Elisabeth et Katerina de Gandavo, Katerina de Crecles, domina Renibalda et domina Esmeralda de Cathena et domina Martina de Gutuariis, domina Glora de Gardinis, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino comite Alvernie quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro sororibus Maria de Claromonte, Ysabella de Valesio, Ysabella de Atrabato, Maria de Britannia, Aliana, Margareta, Katerina de Saluciis, domina Benedicta de Flisco, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro sorore Beatrice de Kaioto et recommendatis per eam, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro fratre Stephano de Brolio, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro magistro ordinis et recommendatis per eum quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro fratribus et sororibus nostris, fratribus minoribus et hiis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, et qui receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeuntes, et pro benefactoribus capituli generalis quilibet sacerdos ·iii· missas.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro dominis regibus Francie Phylippo quondam patre, Ludovico, Philippo et Karolo filiis eiusdem, domino comite de Valesio quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino Guillelmo Petri, quondam cardinali Sabinensi episcopo (1) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino quondam archiepiscopo Nichosiensi (2) et quondam fratre Iordano episcopo Bobiensi (3) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Iohanne filio quondam regis Aragonie, nuper defuncto, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina Ysabella domina de Asperomonte quilibet sacerdos ·i· missam.

26) pro — Maria dicant] etc. summa missarum pro defunctis XI misse A2.

(1) De fr. Guilelmo Petri cf. supra pag. 212 l. 9.
(2) De fr. Ioanne cf. supra pag. 213 l. 9.
(3) De fr. Iordano de Monte Cucco O. Praed. cf. Eubel l. c. pag. 143.

Item. Pro domino comite Pictaviensi, comite quondam Ebroycensi, domina Martide, quondam comitissa Attrabatensi, Lescone quondam duce Racubonensi, domino de Sueliaco, et pro vivis et defunctis recommendatis per dominam ducissam Borbonii, magistro Guillelmo de Costa, matre fratris Hugonis monachi, domicella Iohanna de Romirayo, domino Iacobo de Benzonibus et aliis personis defunctis, pro quibus elemosyne misse sunt ad capitulum generale, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina Maria de Vauscemann, matre reverendi patris magistri ordinis, fratribus et sororibus suis et propinquis defunctis, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro fratribus et sororibus nostris defunctis et hiis, qui habuerunt litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos septem psalmos cum letania, et conversi centum pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Denunciamus fratribus universis, quod frater Eckhardus diffinitor capituli generalis Valencie celebrati de provincia Saxonie mortuus est redeundo de capitulo generali (1).

Instituimus et facimus provincialem in provincia Grecie fratrem Iacobum de Ripis de conventu Ferrarie de provincia Lombardie inferioris.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia regni Sicilie fratrem Fredericum de Neapoli, priorem monasterii sancti Petri ad Castellum, donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Romana fratrem Andalo inquisitorem Paduanum de provincia Lombardie inferioris, donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Anglie fratrem Hugonem de Sutona, magistrum in theologia de provincia Anglie, donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Petrum de Strozzis de provincia Romana (2).

---

11) item — dicant] numerus missarum pro vivis ·XL· VI, pro defunctis XI. G. — 16) denunciamus] autem *add.* B. — Eckhardus] Excardus B; Aycardus A2; Eicardus G. — 17) de] pro A2. — 20) Ripis] Rispis A2. — Ferrarie] Ferrariensi FG. — 24) in eadem] ibidem B. — 26) Paduanum *om.* B. — 28) in eadem] ibidem B. — 30) Sutona] Vicanin B; Ductona G. — 32) in eadem] ibidem B. — 34) Strozzis] Astrociis F; Strociis A2.

---

(1) De fr. Eckehardo cf. SSOP. I. pag. 593; DENIFLE l. c. pag. 148, 322.
(2) De fr. Petro de Strozzis cf. DENIFLE l. c. pag. 481; SSOP. I. pag. 651.

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti ad legendum sentencias Parisius fratrem Petrum de Caritate de provincia Francie (1).

Item. Assignamus lectorem in conventu Tholosano fratrem Gerardum de Dommaro de provincia Tholosana (2).

Item. Assignamus lectorem in conventu Salemantino fratrem Iohannem de Turre de provincia Yspanie.

Item. Assignamus lectorem in conventu Ulisbonensi fratrem Fernandum Lupi de provincia Yspanie.

Item. Assignamus lectorem in conventu Neapolitano fratrem Iohannem de Aversa iuniorem de provincia regni Sicilie.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Mediolanensi in provincia Lombardie superioris, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, etsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante ·vi^{am}· feriam festum pentecostes immediate precedentem.

Quicunque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit, vel cum intencione veniendi ad capitulum de conventu suo iter arripuerit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non possit, nisi per magistrum ordinis vel per capitulum generale.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Rostagno de Anceduna (3), procuratori ordinis in Romana curia, pro qualibet provincia tres florenos pro anno presenti et pro anno preterito alios tres

---

1) pro *om.* B. — 2) ad legendum sentencias *om.* B. — 4) conventu Tholosano] Tholosa B. — Gerardum] Geraldum A2F: Corradum B. — 5) Dommaro] Daumario A2; Cromaro B; Vimaro E: Daumaro F; Doumaro G. — 6) item — Hispanie *om.* A2FG. — 8) Ulisbonensi] Elibonensi E. — 11) Aversa] Alysa F. — 12) et — generalium *om.* A2. — 13) lectoribus biblie] bachalariis EF. — 19) veniant] conveniant B. — 20) veniendi *om.* F. — 23) ad — generale *om.* E. — 27) de — assensu *om.* B. — 30) Rostagno] Rostando BF; Bestanno E. — Rostangno G. — de *om.* A2. — Anceduna] Enceduna B; Ansedina E; Anseduna F; *om.* A2. — 31) alios *om.* B.

---

(1) De fr. Petro de Caritate cf. SSOP. I. pag. 633.

(2) De fr. Gerardo de Domaro cf. ibid. pag. 609.

(3) De fr. Rostagno cf. Masetti l. c. I. pag. 376.

florenos; qui non solverunt sub eodem tenore precepti infra natale domini proximo futurum satisfacere teneantur.

Expliciunt acta capituli generalis apud Claromontem celebrati.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cfr. app. n. LXXXV.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS CELEBRATI APUD MEDIOLANUM ANNO DOMINI · M°· CCC°· XL°·

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum secundum nostri ordinis instituta omnes in communi debeamus vivere et orare, omni districtione, qua possumus, imponimus prioribus provincialibus et conventualibus ac vicariis eorumdem, quod circa sequelam communitatis in choro et in refectorio diligenter insistant nec ab illa se absentent nisi tantum in casibus, in quibus secundum constituciones nostras foret cum fratribus aliis racionabiliter dispensandum, et ad illam omnes et singulos sine personarum accepcione compellant. Caveant insuper, ne dispensent cum aliquo vel ipsum licencient in premissis nisi ex causa legitima, que evidenter racionabilis debeat iudicari. Declaramus autem, quod ex eo quod sint lectores, nullam habeant libertatem a choro vel a refectorio remanendi, sed volumus, quod priores, pensatis eorum laboribus in continuacione lectionum, cum eis quandoque, non tamen assidue, sed raro dispensent. Omnem autem graciam seu licenciam generalem datam sub quacunque forma verborum cuicunque persone per magistrum ordinis vel priores provinciales aut vicarios eorumdem, de absentando se a choro, de comedendo extra refectorium et fratres alios secum ad comedendum vocando, de accedendo ad monasteria sororum vel mittendo quoscunque fratres ad illa, et quod de sibi commissis non teneantur singulis annis suis superioribus reddere racionem, magister de diffinitorum consilio revocat et annullat et imponit prioribus provincialibus, ut tales et consimiles gracias de cetero non concedant.

Item. Cum in omnibus sextis feriis ieiunare debeamus indispensabiliter, imponimus prioribus provincialibus et conventualibus universis,

1) florenos *om.* B. — 2) futurum] venturum B. — 3) expliciunt — celebrati *om.* BEFG. — 6) hec] ista F. — 7) apud Mediolanum] Mediolani F. — 11) omni] ea A2 G; ea *add.* G. — 12) et] ac A2. — et conventualibus *om.* B. — 13) in *post* et *om.* B. — 15) foret] fuerit A2; fore G. — 16) accepcione] accedere *add.* A2. — 17) ipsum *om.* B. — 18) legitima *om.* BF. — evidenter] ostenderetur B. — 19) autem] lectores *add.* G. — libertatem] licenciam G. — 20) pensatis *om.* E. — 22) tamen *om.* G. — 23) cuicumque persone *om.* A2. — persone] ordinis *add.* A2. — 24) vel] per *add.* A2. — 25) de] vel A2E. — 28) singulis annis] omni anno A2. — suis superioribus *om.* A2. — superioribus] prioribus B. — magister] ordinis *add.* A2. — 29) imponit] imponimus A2BF.

ut dictum ieiunium sexte ferie faciant ubique et ab omnibus diligencius observari, nec in hoc, excepta sola causa infirmitatis, cum aliquo dispensetur. Priores autem provinciales debite puniant quoslibet presidentes, quos in huiusmodi ieiunio invenerint irracionabiliter dispensasse.

Item. Cum apostatarum discursus et evagacio preter dampnacionem animarum suarum cedant in scandalum ordinis et ad reducendum eos ad deum, ubi et quando possumus, ex caritatis debito teneamur, mandamus et imponimus prioribus provincialibus et conventualibus et eorumdem vicariis, ut apostatas quoslibet infra terminorum suorum limites evagantes, cuiuscunque provincie vel conventus existant, capiant vel capi faciant subdentes eos, prout eorum demerita requirent, ordinis discipline. Et super hoc dat singulis eorum reverendus magister ordinis licenciam generalem. Rogamus autem venerabilem patrem predictum, ut cum fratribus privatis graciis ordinis et officiis propter apostasiam vel condempnacionem ad carcerem non dispenset, nisi prehabito consilio prioris provincialis et diffinitorum capituli provincialis illius provincie, de qua fuerit frater, qui dispensacione huiusmodi indigebit.

Item. Cum discursus fratrum inutiles evagacionem mentis inducant, studium impediant et plerumque dent occasionem delinquendi, imponimus districte presidentibus quibuslibet nostri ordinis, ut discursus fratrum extra suos conventus diligenter cohibeant, nullum extra terminos suarum provinciarum vel conventuum licencient, nisi ex causa racionabili, iudicio discretorum, nec ire permittant, nisi testimoniales litteras secum ferant. Circa fratres autem illos, qui in locis aliquibus deliquerunt, constituciones ordinis inviolabiliter observent et faciant observari, ut videlicet ad loca, in quibus crimina commiserunt, ulterius non redeant, nisi merito religiose conversacionis per diffinitores generalis vel provincialis capituli super eorum reversione fuerit iudicatum.

Item. Cum nota carere non possit, quod priores pecunias pro communitate donatas recipiant et pertractent contra ordinaciones plurium capitulorum generalium et modum in ordine consuetum, interdicimus prioribus universis, ut pecunias huiusmodi per se ipsos nec recipiant vel

---

3) debite *om.* A2. — 5) dampnacionem] dampnum A2. — 6) eos *om.* B. — 8) et] prioribus *ante* conventualibus *add.* B. — 9) eorumdem] earum A2. — 10) cuiuscumque] cuiusquam EF. — 11) demerita] merita A2. — 12) singulis eorum reverendus *om.* A2. — 14) et officiis *om.* A2. — 15) prehabito] habito A2. — consilio] testimonio G. — 18) cum *om.* A2. — inutiles] et *add.* A2. — 19) dent] prebeant BF. — 20) districte] districtione qua possumus A2. — 21) cohibeant] exhibeant B; aut *add.* A2. — terminos] terminum B. — 22) vel conventuum *om.* A2. — racionabili] legitima A2. — 24) illos alios A2. — constituciones] constitucionem BF. — 25) et faciant *om.* A2. — observari *om.* A2 E. — 26) in quibus] ubi B. — 27) vel provincialis *om.* A2. — 28) reversione] reversionem EG; eversione A2. — 30) pro communitate] pro conventu A2. — plurium] plurimorum E. — 31) capitulorum] ordinis *add.* A2. — et — consuetum *om.* A2. — interdicimus] imponimus A2. — 32) ut] quod A2. — pecunias huiusmodi *om.* A2 B. — vel] nec BG.

pertractent aut dispensent, sed omnia recipiantur et dispensentur per manus illius vel illorum, qui consilio fratrum discretorum cuiuslibet conventus ad hoc fuerint deputati.

Item. Cum circa execuciones testamentorum multa pericula et scandala valeant imminere, quanta districtione possumus, inbibemus presidentibus universis, ne cuicumque fratri licenciam concedant acceptandi et deducendi execucionem testamentorum quarumcumque personarum, nisi tali de quo, prehabito consilio discretorum, probabiliter iudicent, quod execuciones huiusmodi prudenter sciat et possit deducere ad honorem ordinis et secundum intencionem testatoris ac de eisdem fideliter reddere racionem, ubi et quando fuerit opportunum.

Item. Ordinaciones factas in precedenti capitulo generali apud Claromontem celebrato de exhibendo reverenciam rectoribus ecclesiarum, de non assumendo occasionem litigandi, de duobus studiis phylosophie et theologie in qualibet provincia, cum suis circumstanciis renovamus et mandamus inviolabiliter observari (1). Et preter hoc imponimus prioribus provincialibus et eorum capitulis provincialibus, quod cuilibet conventui provideant de lectore; et ubi forte non invenirentur fratres ydonei pro officio lectoratus, secundum numerum conventuum absolvantur priores, si qui sint ad hoc utiles et in lectoratus officio reponantur; nec idem simul lector et prior existat, nisi forsitan ad tempus modicum et ex causa necessaria et urgente. Redeuntes quoque de generalibus studiis non eligantur nec confirmentur in priores, donec lectoratus officium exercuerint per tres annos. Lectores eciam capitulis cotidianis prioris intersint et in observanciis regularibus se prebeant exemplares. Mandamus autem prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, ut fratres omnes tam studentes quam alios compellant cum diligencia sequi scolas, contra non sequentes penas graves iuxta regionum exigenciam imponentes, et priores conventuales ac eorum vicarii penas illas faciant inviolabiliter observari. Tam lectores autem quam studentes, opinionibus et doctrinis variis et frivolis pretermissis, doctrine venerabilis doctoris sancti Thome studiose insistant. Si qui vero studentes ad generalia studia

1) pertractent] tractent G. — et] vel A2. — 2) qui] cum *add.* G. — 3) conventus *om.* B. — 4) execuciones] executores E. — 5) quanta *om.* A2. — districtione] qua *add.* A2 E. — 6) cuicumque] cuiquam B. — 9) sciat et *om.* A2. — 12) precedenti *om.* A2. — 14) litigandi] huiusmodi A2. — 17) provincialibus *om.* A2. — 18) forte] forsitan BF. — 20) sint *om.* E. — nec — existat *om.* B. — 21) et *ante* ex *om.* BFG. — 24) exercuerint] exerceant G. — eciam] autem BF; vero G. — prioris] priorum G; *om.* E. — 25) regularibus] cotidianis E. — 26) prioribus *om.* BF. — ut] quod A2. — 28) scolas] et *add.* A2. — iuxta — exigenciam *om.* A2. — regionum] regionis B: religionis E. — 29) imponentes] imponant A2. — et *om.* A2. — illas *om.* A2. — 32) sancti] beati A2F: *om.* B.

(1) Cf. supra pag. 252 l. 24 sqq.

missi extra suas provincias inventi fuerint in moribus vel studio notabiliter deficientes, per priorem provincialem illius provincie, cuius studio deputati sunt, de consilio prioris et lectoris ad suas provincias remittantur.

Item. Cum fervor iuvenilis etatis pronam reddat adolescenciam ad malum, nisi ipsum cohibeat rigor et regula discipline et adolescens perverse morigeratus a via sua mala, cum senuerit, non recedat, unde graves turbaciones in ordine sequi possent, omnibus et singulis rectoribus ordinis imponimus et eorum super hoc conscienciam oneramus, ut si quos habeant iuvenes studentes vel non studentes, audaces, procaces, presumptuosos, rebelles, inquietos et vagos, superioribus obedienciam et senioribus reverenciam debitam non exhibentes aut in studio notabiliter negligentes, tales humiliare et eorum procacitatem et effrenacionem refrenare et cohibere ac defectus alios prefatos punire studeant per penas graves eisdem sine misericordia infligendas. Volumus eciam et mandamus, ut priores provinciales in suis capitulis provincialibus necnon in visitacionibus conventuum contra tales iuvenes insolentes penas convenientes secundum qualitatem culparum inveniant et ordinent, compellant eas inviolabiliter observari. Et ubi repererint inter tales conspiracionis vel colligacionis cuiuslibet ligamentum, sine mora colligaciones impietatis dissolvant et eos dispergant per conventus varios, absolutos a studiis, et penis aliis debitis puniendos. Si qui vero senes seu fratres alii, cuiuscumque gradus vel condicionis existant, talibus iuvenibus indebitum favorem prebere aut illos ad huiusmodi temeritates animare vel eos in ipsis favere aut eorum puniciones impedire deprehensi fuerint, tanquam ordinis destructores penis consimilibus puniantur.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: Theutonie, Ungarie et Grecie.

Et conventuales Pergamensem, Cremonensem, Modoeciensem, Alexandrinum, Savonensem, Albinganensem, Iporegiensem, Saluciarum.

Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus isto anno nullatenus assumantur.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre ac domino nostro summo pontifice et bono

1) moribus] et sciencia *add.* E. — 3) de] cum B. — 7) cum senuerit *om.* A2. — 8) sequi] consequi A2E. — 9) ordinis *om.* A2. — 11) et *ante* senioribus *om.* G. — 13) et effrenacionem *om.* A2; et] ac B. — 14) per *om.* A2. — 15) infligendas] infligendo A2. — ut] quod EF. — 16) provincialibus *om.* A2E. — 18) et] ac G. — 19) repererint] invenerint A2. — inter] contra B; *om.* A2. — vel] et EF. — 20) cuiuslibet ligamentum *om.* A2. — 21) et eos] eosque BG. — studiis] studio A2. — 23) gradus — prebere *om.* A2. — 24) illos ad *om.* A2. — ipsis] eis BF. — 25) favere] fovere G. — deprehensi *om.* B. — 29) Pergamensem — ave Maria dicant] Cremensem etc. F. — Modoeciensem] Mediolanensem G. — 30) Savonensem] Sagonensem BG. — 32) provinciis et *om.* A2. — 34) *suffragia tam pro vivis quam pro defunctis om.* EFGH. — pro — de Ramuldo] summa missarum pro vivis ·XLIII· A2.

statu universalis ecclesie, quilibet sacerdos tres missas. Et volumus et ordinamus, quod in quolibet conventu sit ebdomadarius pro eodem.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Matheo cardinali episcopo Sabinensi (1) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Gauselino episcopo Albanensi cardinali summo penitenciario quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis episcopis cardinalibus domino Hostiensi, domino Penestrine vicecancellario, domino Cortensi et domino Anibaldo quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis episcopis cardinalibus Ebredunensi, Petragoricensi, Heduensi, de Monte Favencio, Rutinensi, domino Gocio, domino de Puteo, domino Napoleone, domino Iacobo, Gayetano, dominis de . . . . de Mota, domino Iohanne de Columpna, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis cardinalibus domino Ebredunensi, domino Albo, domino Montis Olivi, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili domino domino archiepiscopo Tholosano quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino patriarcha Ierosolymitano (2) et passaggio Terre sancte quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Iohanne de Vicecomitibus Mediolanensi, Novariensi, episcopo quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis patriarchis Aquilegionensi (!) et dominis archiepiscopis Panormitano nepote domini Mathei, Lugdunensi, Senonensi et dominis episcopis Legionensi, Bisaciensi (3), Papiensi, Terdonensi, Astensi, Vercellensi, Yporiensi, Taurinensi quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino archiepiscopo Pisano (4) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item pro venerabilibus patribus ac dominis dominis episcopis Cremonensi (5), Adriensi, Albensi (6), Vigintimiliensi, Saonensi, Laudensi, Aquensi, Senensi quilibet sacerdos ·i· missam.

---

(1) De fr. Matthaeo aliisque cardinalibus cf. supra pag. 255 l. 5 sqq. et Eubel l. c. pag. 15. sqq.

(2) De fr. Petro de Palude cf. ibid. l. 22.

(3) Francisco de Bestagno (Berragno) O. Praed.; cf. Eubel l. c. pag. 139.

(4) Simone Saltarelli O. Praed.; ibid. pag. 420.

(5) Hugolino de s. Marco O. Praed.; ibid. pag. 222.

(6) Petro Arthaudi O. Praed.; ibid. pag. 79.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino episcopo Cumano quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus abbatibus Clarevallensi ordinis cisterciensis, sancti Ambrosii, sancti Vincentii, sancti Simpliciani, sancti Celsi, sancti Victoris de Garrosillo, sancti Dyonysii, domino preposito sancti Nazarii et toto capitulo, preposito sancti Laurencii, preposito de Sexio, preposito de Segarre, preposito s. Ambrosii, preposito s. Georgii quil. sac. ·i· mis.

Item. Pro venerabilibus collegiis dominarum religiosarum monasterii maioris virginum de Supra Murum, de Vinea Veterum, de Bancate, sancti Augustini, sancti Petri martiris de Castagneto, sancti Dominici, sancte Agnetis de Vedano, sancte Marie Nove et sancti Luce, qui. sac. ·i· mis.

Item. Pro serenissimo principe ac domino Philippo rege Francie et domina regina consorte sua ac bono statu regni sui quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro domino rege Anglie et domina regina consorte sua et liberis eorum, ac bono statu regni sui quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino rege Roberto, domina regina consorte sua et liberis eorum ac bono statu regni sui quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino rege Cypri et domina regina consorte sua, prole et bono statu regni sui quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustri domina domina Iohanna regina Francie et Navarre, relicta quondam domini Karoli regis Francie et Navarre et recommendatis per eam quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dominis regibus Navarre, Aragonie, Maioricarum, Ungarie, Boemie, Portugallie, Suecie, Norwegie, Scocie, reginis et liberis eorumdem, ac pro bono statu regnorum suorum quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustrissimo principe domino dalfino Viennensi, domina dalfina consorte sua et bono statu terre sue quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro nobilibus principibus dominis Burbonie, Burgundie, Brittannie, et dominis comitibus Sabaudie, Barrensi, uxoribus et liberis, et domina de Castro Iuliani, domina Sybilla de Banneco, relicta quondam Ademarii Pictaviensis, et domina Iohanna de Scarabociñ., et domino Braccino quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro nobili viro et domino domino Luchino de Vicecomitibus domino Mediolanensi et domina eius consorte quil. sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina domina de Aleto, matre domini Iohannis Cabillonie.

Item. Pro illustri domina domina Iohanna de Carlle, Iohanna filia eius, comitissa Bartensi quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro sororibus Maria de Gallomonte (!), Isabella de Valesio, Isabella de Atrabato, Maria de Brittania, Beatrice de Caioto, Eufemia de Nichiboñ. quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustrissimis principibus marchione Montis ferrati, Iacobi de Sabaudia, principe Achaie, marchione Saluciarum, et sororibus eorumdem, pro domino Iohanne Emmanuelis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Francisco Burgongnon et domina Iohanna de Laya quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Francisco Burgoñ. et domina N. consorte sua quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Guillelmo depastensi capellano domini pape et domino Petro de Morato, et pro Musla de Ungaria, de Armoroca, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro fratre Marcho cappellano domini pape et domino archiepiscopo Mediolanensi ac toto capitulo maioris ecclesie Mediolanensis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro fratribus nostris et sororibus, et fratribus minoribus, et pro omnibus, qui benefecerunt capitulo et pro omnibus, qui receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeuntes, et pro hiis, qui habent literas de beneficiis ordinis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dominis Rodunco Martini, Degonna, Broncio de Cimonis, Anchresta, dominabus Coradina de Pusterula, Catherina uxore Castellani de Beccaria, et Iohanna de Strata, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro nobili domino domino Braccino, filio domini Bucani vicecomitis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Thomasio Relandino de Yardis, dominis de Conconerano, de Grassellis, Crassanno, Piccardolo de Garretis, dominabus Martina, Catherina de Guchtuariis, Exmalda de Ramuldo quilibet sacerdos ·i· missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro dominis regibus Francie quondam patre Lodovico, Philippo et Carulo filiis eius, domino Karulo comite quondam Valexie et domina Clemencia quondam regina Francie et Navarre quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus principibus et dominis dominis Guillelmo Petri quondam Sabinensi (1) episcopo cardinali quil. sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino quondam archiepiscopo Nichosiensi quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina Iohanna filia quondam regis Aragonie et patriarcha Alexandrie, et domino episcopo Claromonti, quilibet sacerdos ·i· missam.

---

28) pro — III missas] summa missarum pro defunctis XV. A2. —

---

(1) De fr. Guilelmo cf. supra pag. 212 l. 9.

Item. Pro domino Alphonso quondam comite Pictaviensi, domino Lodovico quondam domino Edunetañ., domina Matida quondam Altredañ. et aliis, pro quibus eleemosynas recepimus ad capitulum quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina Maria de Barzeman matre reverendi patris magistri ordinis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina Blanca uxore quondam Iohannis Emanuelis, pro domino Ademario Pictaviensi, domino Grazando filio quondam Azemarii Pictaviensis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus dominis Tubaldo quondam archiepiscopo Panormitano, Iohanne quondam episcopo de Casencino quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dominis Iacobo protonotario domini pape, Francisco de Ursinis, germano domini Mathei cardinalis, Rossello germano fratris Petri de Stroziis (1) baccellario Parisiensi quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro nobili viro domino Azçone de vicecomitibus, domino Iohanne Pugano de Pusterula, domino Cubectolo de Serxa, Thoma de Asinariis, Olovero et Katerina de Rancis, Nicholao de sancto Iusto, quondam thesaurario regis Maioricarum quilibet sacerdos ·iii· missas.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos ·vii· psalmos cum letania et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Instituimus et facimus priorem provincialem Grecie fratrem Raffum de Magdalena de provincia Lombardie superioris de conventu Ianuensi.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Theutonie fratrem Iohannem de duobus montibus, priorem Coloniensem (2), donec prior provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in insula Sicilie fratrem Bertrandum Riquerii de provincia Aragonie de conventu Molicensi lectorem conventus Maioricensis. Et volumus, quod fratres Martinus de Panormio et Iacobus Presso simul et coniunctim regant auctoritate nostra insulam prefatam, donec dictus frater Bertrandus presens extiterit in eadem; quo presente auctoritatem eorum volumus expirare.

---

22) dicant] iste sunt instituciones *add.* G. — 23) instituimus et] item BE. — priorem *om.* BEG. — provincialem] in provincia *add.* F. — 28) insula] provincia A2. — 29) Bertrandum] Bertramum B. — Bernhardum] F. — Riquerii] Richaria E; Richeria F; *om.* B. — de conventu Molicensi *om.* EG. — 30) lectorem conventus Maioricensis *om.* B. — et *post* Panormio *om.* EG. — 31) Presso] Pressa FG; Presalsiter B. — 32) prefatam] predictam A2 E. — Bertrandus] Bertramus B; Bernhardus F. — 33) eorum] predictam B.

---

(1) De fr. Petro de Strozzis cf. supra pag. 258 l. 34.

(2) De fr. Ioanne de Duobus Montibus cf. supra pag. 255 l. 8.

Item. Assignamus in vicarium magistri ordinis super fratres de societate peregrinancium ad gentes propter Christum (1) fratrem Iacobum de Fossano de conventu Ianuensi provincie Lombardie superioris.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Petrum de Karitate (2) de provincia Francie de conventu Parisiensi.

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti ad legendum sentencias Parisius fratrem Gerardum de Domario de provincia Tholosana, lectorem Tholosanum (3).

Item. Assignamus lectorem in conventu Tholosano fratrem Bertrandum de sancto Michaele, de provincia Tholosana (4).

Item. Assignamus lectorem in conventu Veneto fratrem Franciscum de Beluno de provincia Lombardie inferioris (5).

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bachalariis ac lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali studio viderit expedire.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Carcassonensi in provincia Tholosana, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum capituli intret ante ·vi^am^· feriam pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione veniendi ad capitulum de conventu suo iter arripuerit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXVI.

---

1) in *om.* B. — vicarium] generalem *add.* FG. — 2) de societate] super societatem E. — ad gentes *om.* B. — 3) Fossano] Foxano A2. — provincie Lombardie superioris *om.* F; — iste sunt assignaciones *add.* G. — 4) assignamus — Parisiensi *om.* F. — isto anno *om.* B. — 5) de provincia Francie *om.* A2. — 6) quantum — pro *om.* F. — 7) sentencias *om.* B — Gerardum] Conradum B; Gunridum F. — Domario] Danario B; Demar F. — 9) in conventu Tholosano] Tholosanum B. — 12) de Beluno] Trivisium B; Beluno] Buluris F. — 19) Carcassonensi] Carconensi F. — 20) Tholosana] Provincie A2; et volumus *add.* F. — et ordinamus — vel capitulum generale *om.* A2. — 24) precedentem] precedentis F. — 26) venerit *om.* B. — 27) ad quam] a qua E. — 28) generale] expliciunt acta capituli generalis apud Mediolanum celebrati *add.* A2.

---

(1) De societate peregrinacium cf. supra pag. 232 l. 14 sqq.
(2) De fr. Petro de Caritate cf. supra pag. 259 l. 2.
(3) De fr. Gerardo cf. ibid. 5.
(4) De fr. Bertrando cf. Denifle l. c. pag. 500.
(5) De fr. Francisco de Beluno cf. supra pag. 234 l. 25.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT
ACTA CAPITULI GENERALIS CELEBRATI APUD AVENIONEM ANNO DOMINI · M°· CCC°· XLI°·

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum ex devota sequela completorii sequatur magna recollectio animarum ac reddantur fratres magis dispositi ad ea, que dei sunt, devocionis et studii toto tempore noctis et diei, mandamus ac districte imponimus prioribus universis ac vicariis eorumdem, quod fratres sibi subditos compellant cum omni diligencia completorio diebus singulis interesse, nullique dent licenciam a completorio remanendi nisi ex causa necessaria et urgente.

Item. Cum ex eo quod aliqui extra conventus dormitorium cameras habeant et loca specialia ad iacendum, multa religionis deordinacio subsequatur, inhibemus prioribus provincialibus et conventualibus ac vicariis eorumdem, ne cuicumque fratri concedant ad iacendum cameram specialem extra clausuram dormitorii nisi causa infirmitatis aut debilitatis notabilis vel fratribus emerite senectutis et illis, quibus racione gradus vel officii fuit actenus concessum communiter per ordinem, quod provideretur de loco vel camera speciali.

Item. Cum secundum nostri ordinis instituta fratres nostri in locis, in quibus conventum habemus comedere non debeant extra claustrum nisi cum certis personis et domibus ibidem expressis, mandamus presidentibus universis, ut dictam constitucionem observent et faciant ab omnibus observari, inhibentes eisdem, ne quemquam licencient ad comedendum extra conventum, nisi cum personis et in locis, qui in constitucionibus exprimuntur vel nisi esset persona tam spectabilis, quod negacio licencie esset multum scandalosa contra ordinem vel dampnosa; super quo presidens, antequam concedat licenciam, plurium fratrum sui conventus discretorum consilium requirat, et quod eis videbitur de concedendo vel negando, facere teneatur.

Item. Cum in conventibus omnia debeant fieri ordinate, volumus et ordinamus, quod in quolibet conventu ordinis prior de discretorum

---

7) ac] et A2. — 8) et] ac A2. — toto] suo A2. — et] ac BG. — diei] subsequenti *add.* A2 G. — 9) ac] et G. — 13) dormitorium] dormitoria A2. — 17) aut] ac BG. — aut debilitatis *om.* A2. — 19) fuit] fuerit A2. — 22) in quibus] ubi BG. — 23) et] in *add.* A2 G. — 25) inhibentes] iubentes BE. — 27) spectabilis] expectabilis A2. — 28) esset] posset esse G. — 30) requirat] requirere A2. — 33) ordinis] idem A2.

fratrum consilio procuratorem instituat, ad cuius officium pertineat omnes obvenciones recipere et secundum prioris ordinacionem et iudicium dispensare. Prior autem per se nichil recipiat nisi necessitate cogente, et tam ipse quam fratres alii quicumque aliquid receperint, quamcito commode poterunt, dicto procuratori tradere integraliter teneantur ad usum communitatis et fratrum secundum presidentis arbitrium dispensandum. Dictus autem procurator de omnibus receptis et dispensatis semel in quolibet mense coram priore et antiquis de conventu compellatur plenam et integram reddere racionem.

Item. Cum illi, quibus incumbit ex officio, quod sint excessuum correctores, debeant esse pre ceteris religione ferventes et honestate ac discrecione pollentes, mandamus et imponimus prioribus provincialibus ac diffinitoribus capitulorum provincialium, quod ipsi tales visitatores in suis provinciis deputent et assignent, qui sint inter alios magis probi, virtuosi, maturi et discreti, deum habentes pre oculis et sui ordinis zelatores; et deputentur eis conventus in tali numero, quod possint plenarie et diligenter ac sine notabili gravamine visitare.

Item. Quia fratres, quorum officium est evangelizare pacem, nimis est indecens ac sue religioni repugnans aliquid in dictis vel factis ostendere, per quod pax et concordia valeat perturbari, et ob hoc constituciones nostre iudicant percussores pena graviori culpe debita puniendos, mandamus et districte imponimus prioribus universis et eorum vicariis, quatinus dictam constitucionem contra percussores editam faciant efficaciter et inviolabiliter observari.

Item. Caveant suppriores, quod in assignacione diei ad tractandum de hiis, que ad generale vel provinciale capitulum sunt mittenda, et in omnibus ad tractatum ipsum pertinentibus sic iuste, racionabiliter et prudenter procedant iuxta ordinis instituta, quod nulla possit eis calumpnia imputari. Quod si priores provinciales in suis provinciis invenerint suppriores aliquos in hiis, que ad tractatum pertinent, notabiliter deliquisse vel fratres aliquos quoscumque in pertinentibus ad tractatum tumultuose vel alias comminatorie processisse, suppriores ipsos a suis absolvant officiis, et tam suppriores quam fratres alios in huiusmodi delinquentes in actis capitulorum suorum provincialium taliter puniant, quod sint ceteris in exemplum et de cetero similia non attentent. Inhibemus eciam, quantum possumus, prioribus universis, ne de tractatu se quomodolibet intromittant nec suppriorem imminente tractatu absolvant, quod si contrarium fecerint, in penam a prioratus officio absolvant.

---

10) illi] illis in A2. — 14) qui] quod A2. — 16) quod] quos G. — 18) quia *om.* E; circa *add.* A2. — 20) et] vel A2. — perturbari] conturbari A2. — 23) quatinus] quamcicius A2. — editam] eidem E. — 28) prudenter] provide B. — 31) aliquos] alios A2. — 32) comminatorie] temerarie A2 G.

Item. Cum multiplicacio preceptorum interdum pericula pariat animarum, iubemus prioribus provincialibus et conventualibus ac vicariis eorum, quod precepta non faciant nec multiplicent nisi ex causa multum racionabili examinata et digesta de consilio discretorum.

Item. Volentes vitare notam et scandala, que apud graves personas non immerito oriuntur ex inordinacione nostri habitus in quantitate et qualitate, imponimus, quod priores provinciales in suis provinciis et conventuales in suis conventibus cum omni diligencia studeant reducere fratres, per preceptum eciam si oporteat, ut in habitu nostri ordinis nichil habeant, quod nostram paupertatem valeat deformare; quinimo fratres omnes compellant portare habitum, in brevitate capparum et capuciorum ac resecacione omnium curiositatum et superfluitatum, conformem nostri ordinis institutis; et taliter exequatur, quod sequens capitulum generale certificari valeat, quod hec omnia per totum ordinem sint correcta.

Item. Cum ex insufficiencia lectorum ordo noster veniat in contemptum, omni districtione, qua possumus, imponimus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, quod in assignando lectores et sublectores semper preponant illos, quos pensatis moribus et sciencia iudicaverint meliores, et iam assignatos, de quorum insufficiencia clare constiterit, si sufficienciores convenienter habere valuerint, a dictis officiis amoveant et absolvant. Lectores vero et sublectores a prioribus provincialibus compellantur per penas graves, et si oporteat per preceptum, legendo, studendo et disputando studio insistere et lectiones cum ceteris actibus scholasticis continuare. Quicumque vero lectores principales et sublectores lectiones suas non continuaverint, nisi causam legitimam habuerint, volumus, quod nulla gracia fungantur titulo lectoratus vel sublectoratus, nec lectores re vel nomine reputentur; et nichilominus in penam a suis officiis absolvantur. Provideant eciam priores provinciales et capitula provincialia de modo compellendi efficaciter studentes et fratres alios sequi scholas; et singuli diffinitores provinciarum referre teneantur ad sequens generale capitulum, qualiter singula puncta huius ordinacionis in suis provinciis fuerint observata.

Item. Mandamus et omni districtione, qua possumus, iniungimus prioribus provincialibus et conventualibus Grecie, Terre Sancte ac vicariis eorumdem necnon et vicario generali societatis fratrum peregrinancium propter Christum, quod si quos fratres invenerint in suis provin-

3) eorum] eorumdem A2. — nec] vel BG. — 4) de] cum G. — 7) priores *om.* EG. — 8) cum *om.* A2B. — 9) nichil] non A2. — 11) et] ac A2G. — 12) ac] et G. — 13) et] hoc *add.* G. — 19) meliores] ceteris apciores A2. — 20) valuerint] possint A2. — 21) prioribus] suis A2. — 22) et] eciam *ante* si E. — 23) studio] diligenter *add.* G. — 25) et] vel A2G. — 26) habuerint] habeant A2. — 27) vel sublectoratus *om.* A2G. — 33) et *om.* BEG. — omni *om.* A2G. — iniungimus] imponimus A2. — 34) et conventualibus *om.* A2. — 35) societatis *om.* A2.

ciis, terminis aut regionibus inutiliter vagantes, qui de assignacionibus suis non possint facere plenam fidem, statim eos ad conventum venire compellant, et eos ibidem arctatos teneant, quousque de eorum assignacione et de causis sui discursus per magistrum ordinis vel eius vicarium vel per provinciales suos, possint fieri cerciores. Quod si arctacionem noluerint humiliter sustinere a prioribus eorum conventuum, ad quos reducti fuerint obedire, continuo carceri mancipentur. Fratres vero socii episcoporum in dictis regionibus deputati pretextu cuiuscumque gracie vel licencie concesse dictis episcopis vel fratribus a quocumque superiore ordinis, nullo modo permittantur nec soli incedere nec abeuntibus episcopis soli manere. Quod si contrarium fecisse fuerint deprehensi, per presidentes dictarum regionum ad conventus redire cogantur ibique secundum qualitates personarum et excessuum debite puniantur, nulla gracia in oppositum suffragante. Omnem enim graciam seu licenciam cuicumque concessam, que premissis obviare possit, revocat magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, subiciens eos correctioni eorum priorum provincialium et conventualium, in quorum terris extiterint simpliciter et ex toto.

Item. Cum ex eo, quod magistri ac bacalarei Parisienses quandoque expensas faciant in suis principiis notabiliter excessivas, graventur ipsimet facientes et paupertas nostra non sine gravi scandalo deformetur, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod supradicti magistri ac bacelarei nullas pitancias faciant die aule sue nec in diebus, in quibus suas incipiunt lectiones. Et volumus, quod priores provinciales in suis provinciis consimiles excessus lectorum quorumcumque studeant impedire; inhibentes insuper, ne studentes quicumque titulo alicuius actus scolastici permittantur expensas facere quascumque.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priorem provincialem Boemie et priores conventuales Montispessulanum, Narbonensem, Massiliensem, Draguinianensem, Aniciensem, Avinionensem, Niciensem, Cistaricensem et Bituricensem. Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in eisdem provinciis et conventibus isto anno ad eadem officia nullatenus assumantur.

---

1) terminis] terris A2. — 5) vel] et A2. — 6) eorum *om.* E. — 7) socii] societati A2 G. — 10) abeuntibus] habentibus E. — 12) ibique] ibidem G; *om.* A2. — 13) puniantur] puniendi G. — 14) in oppositum *om.* E. — 15) possit] posset G. — 16) subiciens] subicientes BE. — eorum] omnium BG. — 19) ac] et G. — 21) et] eciam *add.* E. — 23) ac] et E. — faciant] in *add.* G. — 24) in *post* nec *om.* B. — 26) quorumcumque] si faciant in suis provinciis *add.* G. — 28) quascumque] qualescumque A2. — 29) iste — satisfacere teneantur *om.* E. — 31) Montispessulanum] Montispessulani A2 B. — Draguinianensem] Traquiniani A2. — 32) Aniciensem *om.* B. — Cistaricensem et *om.* A2 G. — Bituricensem] Buxi *add.* G.

Absolvimus omnes vicarios insule Sicilie, per quemcumque fuerint instituti.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo patre nostro et domino domino summo pontifice et bono statu universalis ecclesie quilibet sacerdos ·iii· missas; et volumus et ordinamus, quod in quolibet conventu sit hebdomadarius pro eodem.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Beltrando Hostiensi et Velletrensi episcopo cardinali quilibet sacerdos ·i· missam (1).

Item. Pro venerabili patre et domino domino Guauselino cardinali episcopo Albanensi summo penitenciario quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Ispano Sabinensi episcopo cardinali quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Petro Palestrinensi episcopo cardinali sancte Romane ecclesie vicecancellario quil. sac. ·i· mis.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Convenarum Portuensi episcopo cardinali quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Annibaldo Tusculano episcopo cardinali quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Petragoricensi presbitero cardinali quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Petro Eduensi presbitero cardinali quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Raymundo de Fargis dyacono cardinali quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Rotomagensi presbitero cardinali quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino de Monte Favencio dyacono cardinali quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Ebredunensi presbitero cardinali quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis cardinalibus domino de Puteo, domino Gocio, domino Rutinensi et domino de Monte Alvo quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis cardinalibus Iacobo Gaietano, et domino Napuleone, domino Gagliardo de Mota, et domino Iohanne de Columpna quilibet sacerdos ·i· missam.

---

3) ista — ave Maria dicant *om.* GH. — 4) pro — missas *ante* ista] summa missarum pro vivis ·LVII· A2.

---

(1) De dd. cardinalibus cf. supra pag. 264 l. 5 sqq.

Item. Pro venerabili patre et domino domino Petro patriarcha Ierosolymitano (1) et pro passagio Terre sancte quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino Avinionensi episcopo quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus dominis archiepiscopis Compostellano, Aquensi, et dominis episcopis Cracoviensi, Albiensi, Mirapiscensi (2) et Paviensi, Carcassonensi, Uticensi, Nicchosiensi, Senecensi, Aptensi, Sistericensi, Dinensi, Autogicensi (3), Tricastrinensi quil. sacerd. ·i· mis.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis episcopis Bononiensi, Brissiensi et Cumano quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabilibus patribus ac dominis dominis patriarchis Constantinopolitano, Aquilensi (4) et dominis archiepiscopis Panormitano, Lugdunensi, Senonensi, Rotomagensi, Remensi, Pisano (5) et dominis episcopis Novariensi, Careliansi (6), Parisiensi, Belvacensi, Carpetacensi (7), Aquilano (8) et Vasinensi quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domina abbatissa et sororibus Montis sancte Katerine Avinionensis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro sorore Dossolina Iubeta dicti Montis quil. sacerd. ·i· mis.

Item. Pro serenissimo principe ac domino domino Philippo rege Francie et domina regina consorte sua ac bono statu regni sui et liberis eorumdem quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro domino rege Anglie et domina regina consorte sua et liberis eorumdem ac bono statu regni sui quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro domino Roberto rege Sicilie et consorte sua ac bono statu regni sui et terrarum suarum quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro domino rege Castelle et domina regina consorte sua ac liberis eorumdem et bono statu regni sui quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino rege Aragonie et domina regina consorte sua et liberis eorumdem ac bono statu regni sui et terrarum suarum quilibet sacerdos ·i· missam.

---

7) Senecensi] Senadiensi B. — 8) Tricastrinensi] Tricastricio B.

---

(1) De fr. Petro de Palude cf. supra pag. 255 l. 22.

(2) Petro de Lapeiraweda; cf. supra pag. 198 l. 22.

(3) « Autogicensi » legendum esse puto « Augustensi (Aosta) ».

(4) Loco « Aquilensi » legas « Aquilegensi ».

(5) Fr. Simone Saltarelli O. Praed.; cf. supra pag. 264 l. 29.

(6) « Careliansi » forsitan error librarii pro « Calinensi (Carinola) ».

(7) « Carpetacensi » legendum esse arbitror « Capritanensi » vel « Carpentoratensi ».

(8) Angelo de Azaiolis O. Praed.; cf. Eubel l. c. pag. 99.

Item. Pro domino rege Cipri et domina regina consorte sua, prole et bono statu regni sui quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dominis regibus, Ungarie, Dacie, Svecie, Norvegie et consortibus ac liberis eorum quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Iohanne duce Normannie, primogenito regis Francie et domina ducissa consorte sua ac liberis eorumdem ac domino Philippo fratre suo quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustri domina domina Iohanna regina Francie et Navarre, relicta quondam domini Karuli regis Francie et Navarre et recommendatis per eam quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dominis regibus Navarre, Polonie, Portugallie, reginis ac liberis eorum et pro bono statu regnorum suorum, dominis ducibus Borbonie, Burgundie, dominis comitibus Alençonie, Sabaudie, Barensi, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustrissimo principe domino dalfino Viennensi, domina dalfina consorte sua ac bono statu terrarum suarum quil. saç. ·i· mis.

Item. Pro domino vicecomite Talardo et domina Constancia consorte sua et liberis eorum, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustri domina Beatrice de Vienna, domina de Alleto, matre domini Iohannis de Calulone, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustri domina domina Iohanna de Britannia, domina de Casleto, et domina Iesanda, filia eius, comitissa Barensi quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Paulo de Saulis, uxore, liberis eius ac recommendatis per eam quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro civibus et bono statu civitatis Avenionensis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro mercatoribus Florentinis et Lucanis quil. sacerd. ·i· mis.

Item. Pro dominis auditore camere domini pape, domino Nicholao electo, domino Iohanne Amelii archidyacono Foroiulensi, Guiglielmo Desiderato registratore domini pape, maliscallo domini pape, magistro Bernardo Brum, domino Guillelmo de Campis, domino Bernardo de Sabrano, et domino de Saltu et Sancia Cistede, domino Bernardo Ribaldi, domina Dengorda Mabillia de Castilione et domicella et Iohanna de Fossatis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Alberto Marsiliensi et procuratore cruciferorum . . . . domina Maria uxore quondam vicecomitis Narbonensis et domina Attaviana Florentina quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili domina domina Alexancia abbatissa monasterii Desberdivicensis et domina bona cara, uxore condam domini Andraci ac liberis eius et domino Dementestino quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili fratre . . . . de sancto Michaele, lectore sacri palacii, et recommendatis per eum quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre magistro ordinis et recommendatis per eum, et specialiter pro domino Rogerio de Valterim quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro bono statu montis Pluriani et Povacci (1), sororibus Maria de Claramonte, Ysabella de Valesio, Ysabella de Atrabato, Maria de Britania et Eufemia, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro fratribus nostris et sororibus et pro omnibus, qui benefecerunt capitulo, pro hiis, qui receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeuntes, et pro hiis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos ·iii· missas.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro dominis regibus Francie Philippo et Ludovico, Phylippo et Carulo filiis eius, domino Karulo, comite Valesii et domina Clemencia regina Francie et Navarre, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Guillelmo Petri, Sabinensi episcopo cardinali (2), quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro venerabili patre ac domino domino Matheo episcopo Sabinensi cardinali (3) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Nichosiensi et domino Iohanne de Rupe, senescallo Catahasonensi quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Alfonso comite Pictaviensi, Ludovico comite Ebroicensi, domina Macelda comitissa Atrabatensi, domina Iohanna de Reusemusel priorissa montis Argi, et aliis, pro quibus eleemosyne misse sunt ad capitulum, et pro avio filii Guglielmi Arcensis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Petro Raymundi comite Convenarum quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro Raymundo Sofredi et Saura filia eius et recommendatis per dominam Sanciam Sifrede, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro Bernardo de Fargis archiepiscopo Narbonensi quilibet sacerdos ·i· missam.

---

13) pro — Maria dicant] summa missarum pro defunctis ·XII· A2.

---

(1) « montis Pluriani et Povacci » legendum esse arbitror « monasterii Pruliani et Pissiaci »; cf. supra pag. 185 l. 8 et pag. 199 l. 23.

(2) De fr. Guilelmo Petri Godin cf. supra pag. 67 not. 3.

(3) De fr. Mattheo de Ursinis cf. supra pag. 182 not. 2, obiit 18 Aug. 1340; Eubel l. c. pag. 15.

Item. Pro domina Maria de Valsaman, matre reverendi patris magistri ordinis, et Ubertino de Strozzis et Rossello filio eius quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro fratribus nostris et sororibus defunctis, et pro hiis, qui habuerunt litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos ·iii· missas.

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos ·vii· psalmos cum letania et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Facimus vicarium generalem in provincia Ungarie fratrem Iohannem Iauriensem, priorem Pestensem, donec in eadem provincia Ungarie prior provincialis electus fuerit et confirmatus ac presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Boemie fratrem Hermannum, lectorem Pragensem, donec in eadem provincia Boemie, prior provincialis electus fuerit et confirmatus ac presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in insula Sicilie fratrem Petrum de Figarola, priorem Ilerdensem de provincia Aragonie, ipsum a prioratus officio absolventes. Et precipit ei magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod quam cito commode poterit, ad dictam insulam accedat dicti vicariatus officium impleturus secundum graciam a domino sibi datam; et concedimus eidem, quod possit secum assumere duos fratres bonos et honestos de provincia Aragonie, voluntarios illuc ire et eosdem dicte insule assignare et conventui vel conventibus, de quibus sibi videbitur, deputare; et volumus, quod fratres Martinus de Panormio et Antonius de Messana simul et coniunctim regant auctoritate magistri ordinis predictam insulam, mandantes eisdem, quod dicti vicariatus officium secundum deum et iusticiam diligenter exerceant, donec predictus frater Petrus ad dictam insulam venerit et presens fuerit in eadem. Quo presente auctoritatem eorum denunciamus expirasse.

Denunciamus, fratrem Iacobum de Nichosia non esse priorem conventus Panormitani, provincie regni Sicilie.

Item. Absolvimus fratrem Bartholomeum Pennensem ab officio prioratus conventus eiusdem et facimus dictum fratrem Bartholomeum vicarium conventus Panormitani predicti, quousque dictus conventus priorem electum et confirmatum habeat et presentem in eodem.

Item. Imponimus fratri Petro de Figarola vicario supradicto, quod exacte et acriter puniat fratres omnes conventus Panormitani, qui propria

---

10) Iauriensem] Trarriann A2. — Pestensem] Pestenderi A2. — 13) Hermannum] Arminium A2. — Pragensem] Tragensem A2. — 16) Figarola] Sigerola A2; Figuerola G. — Ilerdensem] Gerasdensem A2; Izlardensem G. — 20) domino] deo A2. — 22) et eosdem] eosque A2. — 27) predictus] dictus B. — 32) Pennensem] Penzencle A2; Pensevelie G; Perseueke H. — 33) Bartholomeum *om.* E. — 36) Figarola] Fagella A2. — supradicto] predicto B.

temeritate fratrem Bartholomeum predictum ab execucione sui officii excluserunt et fratrem Iacobum de Nichosia ad ipsum prioratus officium intromiserunt, omni iuris ordine pretermisso. Volumus eciam, quod idem vicarius illos gravius puniat, quos in hac materia magis repererit excessisse.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Geraldum de Domaro de provincia Tholosana (1).

Item. Assignamus, quantum nostra interest, pro anno sequenti, ad legendum sentencias Parisius fratrem Simonem Lingonensem de provincia Francie (2).

Item. Assignamus lectorem in conventu Barchinonensi fratrem Bartholomeum Ferrari de provincia Aragonie.

Item. Assignamus lectorem in conventu Bononiensi fratrem Iacobum de Ancona de provincia Lombardie inferioris.

Item. Assignamus lectorem in conventu Montispessulani fratrem Iohannem Mercatoris de provincia Provincie (3).

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et baccalareis et lectoribus biblie ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Carcassonensi provincie Tholosane; et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam ·vi· festum pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et eorum vicariis gene-

---

3) eciam] autem G. — 5) excessisse] deliquisse A2. — 7) Domaro] Daumario A2; Donmaro H. — de provincia Tholosana *om.* E. — 8) item *om.* A2. — 11) item *om.* A2. — 15) item *om.* A2. — lectorem *om.* B. — 27) immediate *om.* E. — 32) item — teneantur *om.* H.

---

(1) De fr. Gerardo cf. supra pag. 268 l. 7.

(2) De fr. Simone Lingonensi cf. DENIFLE l. c. pag. 519; SSOP. I. pag. 636 MOPH. VII. pag. 25 l. 13 sqq.

(3) De fr. Ioanne cf. supra pag. 235 l. 15.

ralibus, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Rostagno de Anseduna, procuratori ordinis in Romana curia, pro qualibet provincia tres florenos pro anno presenti et pro anno preterito tres alios; qui non solverint sub eodem tenore precepti infra natale domini proxime futurum satisfacere teneantur.

Expliciunt acta capituli generalis apud Avinionem celebrati.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis cf. app. n. LXXXVII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD CARCASSONAM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XLII°·

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum valde periculosum existat, ut ecclesiastica sacramenta ministrentur ab illis, qui execucione suorum ordinum sunt quomodolibet privati, mandamus et imponimus universis prioribus ac eorumdem vicariis, ut ipsi diligenter advertant, ne fratres, qui apostataverunt vel de lapsu carnis convicti aut carceri sentencialiter et legitime fuerunt mancipati, confessiones fratrum nostri ordinis seu quorumcumque aliorum audire permittant, donec ad confessionum audienciam per generale vel provinciale capitulum fuerint restituti; et si quos ante restitucionem huiusmodi repererint confessiones quorumcumque secularium vel regularium, fratrum nostri ordinis vel aliorum, audivisse, sine misericordia puniant reos efficaciter tantis et talibus penis, quod ipsi et alii de cetero similia attemptare non presumant.

Item. Cum ex recepcione personarum disposicionem ad perversos mores habencium iacturam gravem incurrere posset ordo noster, volumus et ordinamus, quod nullus, qui defectum paciatur in natalibus, recipiatur ad ordinem absque prioris provincialis licencia speciali.

---

1) infra] in B. — Rostagno] Rostanno A2: Rostago B. — 2) Anseduna] Ansoduna BFG. — 3) alios] florenos *add.* B. — 6) expliciunt — celebrati *om.* BEG. — 9) Anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo fuit celebratum capitulum [generale] in Carcassona, in quo fuit electus frater Geraldus de Domaro in magistrum ordinis, qui presens non fuit in capitulo; sed erat Parisius legens sentencias, quibus finitis de mandato domini Clementis pape sexti factus est magister in theologia; postmodum in ordinibus septembris factus est cardinalis sancte Sabine. Fuit autem celebratum predictum capitulum per provinciales et diffinitores et per fratrem Petrum de Palma provincialem Francie electum in vicarium secundum formam constitucionum propter hoc, quia magister non fuit presens, nulla littera fuit missa [propter absenciam magistri *add.* G]. — 10) apud Carcassonam] Carcassone G. — 13) existat] sit B. — 14) quomodolibet *om.* A2. — 15) ac] et A2. — 16) ipsi *om.* E. — 17) aut] vel A2. — 18) seu] vel A2. — 21) quorumcumque] quorum G. — fratrum *om.* A2. — 22) reos] eos A2B. — 23) tantis *om.* L. — cetero] talia vel *add.* A2. — 25) ad] ac G.

Item. Cum ex discursu corporis sequi possit evagacio mentis ac per hoc tranquillitati cordis et studio litterarum plurimum derogetur, imponimus prioribus et supprioribus ac vicariis universis, ut per omnem viam, per quam poterunt, coherceant fratres a discursibus inutilibus nec licencient ad discurrendum extra conventus et loca ordinis nisi ex causa racionabili et honesta.

Item. Cum ex sufficiencia et honestate studencium, illorum precipue qui ad studia generalia mittuntur, resplendeat ordo noster, districtione, qua possumus, inhibemus prioribus provincialibus, ne fratrem aliquem mittant extra suam provinciam pro studente, nisi sit bene morigeratus, maturus, securus et quietus et in literatura sufficiens et ydoneus. Et rogamus reverendum patrem magistrum ordinis, quod assignaciones huiusmodi studencium non concedat, nisi constet sibi testimonio priorum provincialium illorum, qui mittendi fuerint, de ipsorum sufficiencia in predictis.

Item. Cum doctrina venerabilis doctoris sancti Thome de Aquino per totum orbem resplendeat, et tanquam sana et solida inter doctrinas omnium post principales ecclesie catholice doctores cum testimonio magistrorum Parisiensium fuerit solempniter commendata, imponimus lectoribus et studentibus universis, ut spretis et postpositis doctrinis vanis, curiosis et frivolis, quarum plures a veritate abducunt, in dicta doctrina sancti Thome studeant eamque substineant et explanent et se suosque auditores in illa instruant et informent.

Item. Cum pauperes mendicantes pompas et vanitates mundi, quas fore contempnendas aliis predicant, in seipsis deceat evitare, volumus et ordinamus, quod magistri, bacalarii, lectores sentenciarum, cursores ac philosophiam legentes in principiis suis festum quodcumque non faciant in publico vel ad partem. Quam ordinacionem eciam extendimus ad studentes, quando eos respondere contigerit in scolis vel ad clerum in publico predicare.

Item. Cum ex facilitate venie prestetur incentivum delinquendi, volumus et ordinamus, quod apostate ordinis, qui antequam apostataverint, crimen aliquod commiserunt, pro quo meruerant carceri mancipari, sine pena carceris non recipiantur ad ordinem quomodocumque.

---

3) et *om.* E. — ac] eorum *add.* B. — 9) provincialibus] et capitulis provincialibus *add.* G. — 11) maturus *om.* G. — et] ac *ante* quietus E. — 12) quod] quatenus EG. — 14) mittendi] sunt vel *add.* E. — 17) orbem] ordinem B. — sana] firma A2. — 19) magistrorum] doctorum G. — 20) et] ac *post* spretis BG. — doctrinis *om.* E. — 21) dicta] illa B. — doctrina] instantes B. — 22) sancti — illa *om.* B. — 25) seipsis] se E — 26) magistri] et *add.* B. — sentenciarum] et *add.* BG. — 27) in] pro G. — 28) eciam *om.* E. — 29) contigerit] continget B. — 30) in publico *om.* G. — 31) incentivum] incendium E. — 33) pro quo] propter quod E. — meruerant] meruerunt E. — 34) pena] penitencia E. — quomodocumque] quoquomodo G.

Item. Ordinacionem factam in precedenti capitulo generali Avinione celebrato de fratribus inutiliter vagantibus et discurrentibus in provinciis Terre sancte et Grecie ac terris peregrinancium propter Christum et sociis episcoporum in dictis regionibus, cum omnibus suis circumstanciis renovamus et volumus observari (1).

Iste sunt declaraciones.

Cum in nostris constitucionibus sit expressum, quod in electione prioris et eius socii ad capitulum generale vel provinciale scrutinium cum suppriore recipiant duos fratres, qui primitus habitum nostri ordinis susceperunt, declaramus hanc primitatem debere intelligi de illis, qui nunquam habitum temere dimiserunt, et illos dicimus debere recipere scrutinium, non qui prius tempore habitum susceperunt, sed qui diucius portaverunt.

Item. Declaramus, quod ordinaciones et precepta ac sentencie excommunicacionum, que ponuntur in actis capitulorum generalium et provincialium, non obligant fratres, nisi solum usque ad recepcionem actorum immediate sequentis capituli generalis vel provincialis.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores: Brivensem, Figiacensem, Rivensem, sancti Emiliani, Bellividere, Podiensem, Marciaci, Condomiensem.

Item. De provincia Provincie: Biterrensem et ipsum conventui Montispessulani assignamus.

Item. De eadem provincia Provincie Aurasicensem et ipsum Podiensi conventui assignamus. Et volumus et ordinamus, quod predicti priores absoluti ad eadem officia in eisdem conventibus isto anno nullatenus reassumantur.

Iste sunt penitencie.

Fratrem Simonem de Herbech de Villa, priorem in conventu Rothomagensi provincie Francie, quia propter indiscrecionem ipsius in regimine multe turbaciones et disceptaciones in spiritualibus et temporalibus in dicto conventu contigerunt et graviores futuras verisimiliter formidamus, absolvimus ab officio prioratus et conventui Montis Relaxi eiusdem provincie assignamus.

Item. Cum in nostris constitucionibus sit expressum, quod quicumque litteras magistri ordinis vel priorum provincialium seu eorum sigilla

3) ac] et G. — 4) cum — observari *om.* E. — 11) debere] deberi G. — 16) fratres *om.* B. — 18) iste — patet evidenter *om.* E. — 19) priores] de provincia Tholosana *add.* G. — 20) Bellividere] Veiliadere B; *om.* A2. — Podiensem *om.* BG. — 21) Biterrensem] Tenensem B. — 23) Provincie *om.* G. — 24) conventui *om.* G. — 26) reassumantur] resumantur A2G. — 28) Herbech] Herlort A2: Herbeci G; de Hebwilla.— 29) quia] qui A2BE.— ipsius] sua G.— 30) disceptaciones] dissipaciones G.

(1) Cf. supra pag. 271 l. 33 sqq.

falsificaverit vel falsificatis scienter usus fuerit aut aliquod predictorum fieri fecerit, carcerali custodie mancipetur, et ad nostram pervenerit noticiam testimonio fide digno, quod frater Guillelmus Calatot de provincia Francie litteris falsificatis prioris provincialis Francie scienter est usus, nos dicto fratri Guillelmo misericorditer a carcere parcimus, sed ipsum predicacione generali, voce et omnibus graciis ordinis privamus et eum conventui Constanciensi provincie Francie assignamus.

Imponimus vicario et diffinitoribus capituli provincialis provincie Provincie huius anni, quod ipsi diligenter inquirant de priore Aquensi et aliis prioribus et supprioribus illius provincie, qui fratres declinantes ad eos miserunt ad iacendum in tabernis, et eos in penam absolvant et penis aliis puniant taliter, quod sit ceteris in exemplum.

Denunciamus fratribus universis, quod nos fratrem Petrum Nicholai de provincia Dacie, qui fuit condempnatus in capitulo provinciali dicte provincie Dacie, voce et omnibus graciis ordinis privatus et incarceratus pro eo, quod fratrem Ionam, tunc priorem suum, infamaverat mendaciter et maliciose, reperimus innocentem, et non mendaciter, sed vere dictum priorem de illo crimine detulisse, sicut per confessionem et recognicionem dicti fratris Ione factam magistro ordinis coram pluribus et dicti fratris Ione propria manu scriptam patuit et patet evidenter.

Committimus singulis prioribus provincialibus, quod omnes et singulos fratres incarceratos seu aliter punitos in suis provinciis, de quibus cum discretorum fratrum consilio videbitur, possint a carcere et penis aliis liberare et ad gracias ordinis restituere; et omnes et singulos, quos dicti provinciales liberaverint ac restituerint, liberamus ac restituimus, et tenore presencium liberatos ac restitutos denunciamus auctoritate nostri capituli generalis. Hanc tamen commissionem extendi nolumus ad illos, qui in actis capituli presentis sunt puniti.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Simonem Lingonensem de provincia Francie (1).

Item. Quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno sequenti fratrem Franciscum de Beluno de provincia Lombardie inferioris (2).

2) pervenerit] pervenit BG. — 3) Calatot] Calaroc G. — 4) litteris — Francie *om.* A2. — 12) sit] sint G. — 15) ordinis *om.* G. — 16) tunc *om.* A2. — 19) et recognicionem *om.* B. — 22) seu] sive G. — punitos] penitenciatos G. — 23) consilio] eis *add.* BG. — possint *om.* G. — carcere — aliis] suis penitenciis E. — 25) ac] et *post* liberamus G. — 26) et] ac G. — ac] et B. — 33) pro *om.* G.

(1) De fr. Simone cf. supra pag. 278 l. 9.

(2) De fr. Francisco de Beluno cf. supra pag. 268 l. 12.

Item. Assignamus lectorem in conventu Avinionensi fratrem Garinum de Giaco de provincia Francie, magistrum in theologia (1).

Item. Assignamus ad legendum sentencias in conventu Avinionensi fratrem Guillelmum Grossi de provincia Provincie (2).

Item. Assignamus lectorem in conventu Bononiensi magistrum Nicholaum de Lee de provincia Anglie.

Item. Assignamus lectorem in conventu Tholosano fratrem Petrum de Salgis, et ipsum propter hoc absolvimus ab officio prioratus Tholosani (3).

Item. Assignamus lectorem sentenciarum in conventu Tholosano fratrem Bernardum de Parentinis (4).

Item. Assignamus lectorem sentenciarum in conventu Florentino magistrum Petrum de Strozzis de provincia Romana (5).

Item. Assignamus lectorem in conventu Mag[de]burgensi fratrem Conradum de Alverstat iuniorem (6).

Item. Assignamus lectorem sentenciarum in conventu Montispessulani fratrem Bernardum de Ysblicis.

Committimus prioribus provincialibus aliarum provinciarum, ut ipsi aliis studiis suarum provinciarum provideant de lectoribus et cursoribus ac lectoribus sentenciarum et magistris studencium, prout utilitati ordinis viderint expedire.

Committimus reverendo patri magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalariis ac cursoribus biblie ordinet et disponat, ut generali utilitati ordinis viderit expedire.

Ponimus vicarium generalem in Romana provincia fratrem Andream de Gallo de conventu Florentino, et omnem alium vicarium positum seu nominatum in dicta provincia revocamus, dictoque fratri Andree imponimus et mandamus, ut omnes, quos in dicta provincia rebelles invenerit aut ipsius provincie turbatores, refrenet et puniat, prout pensatis eorum excessibus iusticia suadebit. Volumus autem, quod fratres Raynerius de Scolaribus regat dictam provinciam et sit ibidem vicarius generalis, quousque dictus frater Andreas presens in eadem existat.

2) de provincia Francie *om.* E. — 6) Lee] Lec A2. — 10) Parentinis *om.* E. — 14) Alverstat] Ancstat G. — 16) Ysblicis] Yboricis G: Ysloricis A2. — 17) committimus — iudicaverit expedire *om.* A2. — 19) ac] aut G. — 23) ac] et G.

(1) De fr. Garino cf. supra pag. 242 l. 13.
(2) De fr. Guilelmo Grossi cf. Denifle l. c. pag. 526.
(3) De fr. Petro de Salgis cf. Denifle l. c.
(4) De fr. Bernardo de Parentinis cf. ibid. et SSOP. I, 674.
(5) De fr. Petro de Strozzis cf. supra pag. 267 l. 15; 258 l. 34.
(6) De fr. Conrado de Halberstadt cf. Denifle l. c. n. 526; SSOP. I, 610.

Item. Ponimus vicarium generalem in provincia Provincie fratrem Iohannem Bricii de conventu Montispessulani.

Revocamus omnes vicarios per quoscumque positos in insula Sicilie et volumus et mandamus priori provinciali regni Sicilie, ut ipse dicte insule provideat de vicario vel vicariis, prout secundum deum et bonum ordinis iudicaverit expedire.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie fratribus universis, ne frater aliquis, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam presumat accedere vel de suo conventu iter assumere cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine magistri ordinis licència speciali; de qua per eiusdem magistri ordinis litteras suo priori provinciali vel suo generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, voce et omnibus graciis ordinis sit privatus et per dictum procuratorem ordinis de curia expellatur.

Concedimus tamen singulis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis communibus suarum provinciarum possint illuc ire et mittere duos fratres.

Committimus tamen procuratori ordinis, ut possit licenciare fratres de provincia Provincie ex causa racionabili et urgente, donec per magistrum ordinis aliter fuerit ordinatum.

Item. Committimus et mandamus procuratori ordinis in Romana curia, ut si quos fratres in dicta curia repererit insolentes seu vagantes indebite contra ordinis honestatem vel ibidem sine iusto et racionabili titulo existentes, eos debite puniat et ad ordinis disciplinam reducat. Cui eciam committimus, ut tales fratres possit quibuscumque provinciis, de quibus ei videbitur, assignare, et ad eundum cogere auctoritate nostri capituli generalis. Quoscumque enim assignaverit cuicumque provincie vel conventui ex nunc pro tunc auctoritate nostri presentis capituli assignamus.

Item. Mandamus et precipimus in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant ante sequens capitulum generale fratri Rostagno de Ansetuna procuratori ordinis in curia Romana pro qualibet provincia ·iii· florenos aureos pro anno presenti et pro preteritis annis illi, qui non satisfecerunt, infra natale domini proximo futurum satisfacere teneantur.

Letania et salve regina more solito dicantur.

---

8) aliquis] quicumque A2B. — aut status *om.* E; status] gradus G. — 11) priori *om.* B. — 12) suo generali *om.* B. — sue *om.* E. — 16) et] vel G. — 19) tamen *om.* E. — 23) fratres *om.* E. — 27) cogere] compellere B. — nostri *om.* B. — 31) item — teneantur *om.* A2. — sancte *om.* G. — 33) Rostagno] Restagno E. — Ansetuna] Ancedina E. — 34) aureos *om.* BG.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Parisiensi in provincia Francie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante ·vi· feriam vigiliam pentecostes precedentem. Quicumque autem ad sequens capitulum generale sine magistri ordinis licencia venerit vel de suo conventu cum intencione veniendi exierit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam non possit restitui nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Expliciunt acta capituli generalis.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS PARISIUS IN FESTO PENTHECOSTES CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XLIII°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: tres de ipsis electoribus aliis ab electo etc., deleatur totum usque ad locum illum, ubi dicitur: provincialis autem prior etc., et dicatur sic: quod si ordo magistrum non habuerit, ipsum electum confirmandi vel infirmandi et ad suscepcionem dicti officii compellendi vicarius ordinis habeat potestatem. Et infra, ubi dicitur: in hoc casu tantum, deleatur et dicatur: consimiliter.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: nullus recipiatur infra ·xviii· annos, addatur statim sic: nec quicumque illegitime natus nisi de prioris provincialis licencia speciali. Si vero illegitime natus ad ordinem receptus fuerit, et dispensatum fuerit cum eodem, quod fieri possit prior, non propter hoc fiat diffinitor capituli generalis aut provincialis vel vicarius provincialis nec predicator generalis absque magistri ordinis vel capituli generalis licencia speciali.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: non possint habere officium prioratus vel supprioratus vel lectoratus, addatur

---

1) sentencias — generalis *om.* E. — 3) et ordinamus — generalis *om.* A2. — 11) expliciunt — generalis *om.* B. — 12) Anno domini ·M°CCC°XLIII°· fuit capitulum generale Parisius et fuit electus in magistrum ordinis magister Petrus de Palma; qui fuit decem annis prior provincialis in provincia Francie. [de terminis conventus Bisuntini oriundus *add.* G.] *add.* GH. — in — amen *om.* E. — 14) in festo penthecostes *om.* BG. — 16) iste — ordinis electores *om.* E. — 17) de electione *om.* B. — 18) ipsis *om.* G. — etc. *om.* E. — 19) etc. *om.* E. — 21) dicti *om.* G. — 23) consimiliter] similiter G. — 29) aut] et E. —

statim post et dicatur sic: nec possint fieri diffinitores capituli generalis vel provincialis nec predicatores generales nec magistri ordinis electores.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Cum absque magno discrimine provincia quecumque non valeat sine capite remanere, volumus et ordinamus, quod singuli priores provinciales quacumque ex causa suas provincias exeuntes et vicarium dimittentes, taliter ordinent et disponant, quod unus frater alius ab ipso vicario vices eorum in omnibus obtineat; in casu tamen, in quo ipsum prefatum vicarium morte contigerit preveniri vel aliter legitime impediri.

Item. Volentes vitare notam et scandalum, que interdum apud graves personas non immerito oriuntur, ex eo quod fratres aliqui de arte cirurgie vel medicine se quantum ad practicam intromittunt, in quibus cum sint ut in pluribus inexperti, precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod nullus frater de cetero de arte cirurgie vel medicine inter seculares practicando se aliqualiter intromittat, nisi a priore provinciali super hoc habuerit licenciam specialem. Quod si contra fecerit, postquam legitime convictus fuerit, per presidentem in conventu pena transgressori precepti debita puniatur.

Item. Cum ex eo quod magistri et bacalarei Parisienses expensas faciunt in suis principiis notabiliter excessivas, graventur ipsimet facientes et paupertas nostra non sine gravi scandalo deformetur, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod supradicti magistri et bacalarei nullas pitancias faciant nisi unam forte pitanciam fratribus, exclusis secularibus, in die aule sue nec in diebus, in quibus suas incipiunt lectiones; et volumus, quod priores provinciales in suis provinciis consimiles excessus lectorum quorumcumque studeant impedire. Inhibentes insuper, ne studentes quicumque titulo cuiuscumque actus scolastici permittantur expensas facere qualescumque.

Item. Cum in monasteriis sororum nostrarum fratres ita religiosi et maturi debeant deputari, quod ex ipsis quecumque non valeat suboriri suspicio, volumus et ordinamus, quod frater quicumque, qui ab ordine alias apostataverit aut in carcere legitime positus fuerit, in dictis monasteriis sororum nullatenus recipiatur nec alias assignetur.

Item. Cum ex sufficiencia et honestate studencium, illorum precipue, qui ad studia generalia mittuntur, resplendeat ordo noster, districtione, qua possumus, inhibemus prioribus provincialibus et capitulis provincialibus, ne fratrem aliquem mittant extra suam provinciam pro studente,

---

4) quecumque] queque B. — 9) contigerit] contingeret B. — 12) cirurgie] surgie A2. — quibus] tamen *add.* A2. — 14) cirurgie] surgie A2. — 16) contra *om.* EB. — 19) item — qualescumque *om.* E. — 20 principiis] provinciis BE. — notabiliter *om.* A2. — 26) quorumcumque] si faciant in suis provinciis *add.* A2G. — 29) in *om.* A2. — 31) suspicio *om.* A2. — 34) item — et ex toto *om.* E.

nisi sit bene morigeratus, maturus, securus et quietus et in literatura sufficiens et ydoneus. Et rogamus reverendum patrem magistrum ordinis, quod assignaciones huiusmodi studencium non concedat, nisi constet sibi testimonio priorum provincialium istorum, qui mittendi fuerint, de ipsorum sufficiencia in predictis.

Item. Mandamus et districtione, qua possumus, iniungimus prioribus provincialibus et capitulis provincialibus Grecie et Terre sancte ac vicariis eorumdem necnon et vicario generali societatis fratrum peregrinancium propter Christum, quod si quos fratres invenerint in suis provinciis, terminis aut regionibus inutiliter vagantes, qui de suis assignacionibus non possint facere plenam fidem, statim eos ad conventus venire compellant et eos ibidem arctatos teneant, quousque de eorum assignacione et de causis sui discursus per magistrum ordinis vel eius vicarium vel per provinciales suos possint fieri cerciores. Quod si arctacionem humiliter noluerint substinere ac prioribus conventuum, ad quos reducti fuerint, obedire, continuo carceri mancipentur. Fratres vero societati episcoporum in dictis regionibus deputati, pretextu cuiuscumque gracie, vel licencie concesse quibuscumque episcopis vel fratribus a quocumque superiore ordinis, nullo modo permittantur nec soli incedere nec abeuntibus episcopis soli remanere. Quod si qui contrarium fecisse fuerint deprehensi, per presidentem dictarum regionum ad conventus redire cogantur, ibidem secundum qualitates personarum et excessum debite puniendi, nulla eis gracia in opposito suffragante. Omnem enim graciam seu licenciam cuicumque concessam, que premissis obviare posset, revocat magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu subiicientes eos correctioni omnium provincialium et priorum conventualium, in quorum terminis extiterint, simpliciter et ex toto.

Item. Gracias omnes et singulas seu licencias exemptorias sub quacumque forma verborum quibuscumque fratribus ordinis concessas sive per magistros ordinis sive per priores provinciales vel quoscumque alios revocamus, adiicientes, quod fratres quicumque cum quibuscumque prelatis remanere non valeant absque magistri ordinis vel suorum priorum provincialium petita licencia et obtenta, non obstantibus quibuscumque litteris seu graciis quibuscumque prelatis concessis hactenus per quoscumque.

Item. Ut ordo noster, qui a suis primordiis in eminencia sciencie singulariter floruit, in ipsa continue valeat augmentari, volumus et ordinamus, quod fratres in literis minime sufficientes conventibus pro stu-

1) morigeratus] et *add.* G. — 9) pereg inancium] inter gentes *add.* A2. — 10) vagantes] evagantes G. — 11) eos] eosdem A2. — 17) regionibus] sunt *add.* G. — 23) suffragante] sufficiente A2. — 30) per *post* sive *om.* E. — 36) item — augmentari *om.* E.

dentibus vel cum titulo studencium nullatenus assignentur, ne impedimentum prestent aliis quibuscumque, nisi forsan de talibus esset aliqua spes probabilis de profectu; sufficientes vero, qui ad studium apti et ydonei fuerint, ut conveniencius studio vacare valeant, in conventibus, quibus pro studio assignati fuerint, favorabiliter pertractentur.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne frater, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam accedat vel de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi, nec in eadem curia stet sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali; de qua per litteram magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, voce et omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sentenciam excommunicacionis ipso facto se noverit incurrisse; quam sentenciam excommunicacionis prefatus magister ordinis coram diffinitoribus protulit iuridice in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem de dicta sentencia sibi soli retinens et reservans. Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres. Concedit eciam magister ordinis priori provinciali provincie Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum negociis viderint expedire.

Item. Mandamus et precipimus in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Rostagno de Anceduna procuratori ordinis in Romana curia pro qualibet provincia ·iii· florenos pro anno presenti, et pro preteritis annis illi, qui non satisfecerunt, infra natale domini proximo futurum satisfacere teneantur.

Declaramus, quod quicumque prior provincialis seu diffinitor capituli generalis veniens ad capitulum generale in alia provincia auctoritatem non habet secum adducendi vel licenciandi fratrem ad capitulum generale, nisi illum, quem de sua provincia secum duxit, nisi forsan socium suum morte contingeret preveniri seu in infirmitate aliqua detineri vel aliqua causa legitima impediri. In quo casu fratrem alium potest assumere et secum adducere ad capitulum generale.

---

1) cum *om.* A2E. — 3) qui] et A2EG. — 4) fuerint *om.* E. — 6) item — expedire *om.* E. — 8) status] gradus G. — 9) Romanam] predictam A2. — 21) concedit — fratres *om.* A2. — 25) item *om.* A2. — 27) Rostagno] Rostano A2. — de Anceduna *om.* A2E. — 31) declaramus — cassata *om.* E. — 36) potest *om.* A2.

Item. Declaramus, quod sicut in capitulo de electione prioris provincialis dicitur: quod si priorem provincialem in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso provinciali capitulo mori vel amoveri contigerit, ad ipsum provinciale capitulum electio pertinebit, idem censemus esse faciendum, si electio prioris provincialis in capitulo generali vel usque ad provinciale capitulum inclusive infirmata fuerit vel cassata.

Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu omnibus fratribus, quod omni fraude sublata iocalia quecumque aurea vel argentea vel pecuniam non teneant apud quascumque personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas.

Quod si aliqui de huiusmodi apud huiusmodi personas habeant, totum infra mensem a noticia presencium reportari faciant ad conventum; alias dictis rebus ipsos privamus tenore presencium et conventibus, ubi conventuales fuerint, applicamus et imponimus prioribus provincialibus, quod super hoc excommunicacionis sentenciam in suis capitulis provincialibus ferant, si eis videatur expedire.

Item. Ad tollendum omnia dubia questionum, que super bonis priorum, qui fuerunt, sunt aut erunt in monasterio sororum beati Ludovici de Pissiaco provincie Francie, de cetero verti possent, denunciamus, quod visis graciis et privilegiis serenissimo regi ac domino domino Philippo quondam dei gracia Francorum regi predicti monasterii Pissiaci fundatori, necnon et priorisse ac sororibus eiusdem monasterii per felicis recordacionis dominos dominos nostros summos pontifices Clementem ·V· et Iohannem ·XXII·um, in favorem predicti monasterii in bullis concessis, quarum tenorem vidimus sub publico instrumento, quod bona omnia et singula, que spectant ad priorem ipsius monasterii predicti vel fratres quoscumque alios dicto monasterio deputatos pro tempore vite sue, post decessus eorum pertinent ad conventum fratrum dicti monasterii simpliciter et ex toto iuxta prioris, qui erit pro tempore, prudenciam in usus necessarios et utiles pro dicto conventu fratrum de discretorum consilio dispensanda.

Significamus fratribus universis, quod magister ordinis committit omnibus provincialibus, quod possint mittere et assignare quilibet quatuor fratres bonos et religiosos, attamen voluntarios, provincie Terre sancte ac totidem societati fratrum peregrinancium propter Christum.

---

4) contigerit] contingeret G. — 5) censemus] censentes G. — 8) precipit] item precipit G. — in — obediencie *om.* B. — 11) quascumque personas] quamcumque personam E. — 12) huiusmodi] predictis *post* de E. — 14) dictis] ipsis E. — 15) ubi conventuales] de quibus E. — 18) item — vel capitulum generale *om.* E. — 24) dominos *ante* nostros *om.* G. — 25) favorem] eiusdem *add.* A2. — 32) dispensanda *om.* A2. — 35) attamen] ad hoc tamen A2G.

Item. Cum in provincia Romana in capitulo provinciali Perusii celebrato fratres Dominicus de Collazone, Petrus de Fructa et Andreas de sancto Antonio electum in provincialem a minori parte longe confirmaverint in provincialem et electum a maiori parte cassaverint indebite, et similiter in provincia Aragonie frater Bernardus de Podio Circoso [et] frater Rodericus Lupi bis cassaverint electionem factam de fratre Petro Bernardo de Scala in conventu Hylardensi, cum tamen haberet tres partes omnium electorum; item cum predicti duo fratres et frater Michael Martini confirmaverint electionem factam ibidem de fratre Garcia de Gongorra, qui tamen non habebat nisi quartam partem electorum, predictos sex fratres confirmatores et cassatores dictarum electionum citamus peremptorie, ut ipsi compareant personaliter ad sequens capitulum generale.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos provinciales: Terre sancte et facimus eum ibidem vicarium generalem, donec provincialis fuerit presens in provincia supradicta.

Item. Dacie et facimus eum ibidem vicarium generalem, donec provincialis electus fuerit et confirmatus et presens extiterit in provincia Dacie memorata.

Absolvimus hos priores conventuales provincie Francie: Aurelianensem, Altissiodorensem, Virdunensem, Divionensem, Gracianopolitanum, Belveariensem, Gebennensem, Brugensem, Insulensem, Valencenensem, Bergensem, Dinanensem, Ebroycensem, Argentomensem, Guingapensem, Rupellensem, Cenomanensem, Belvacensem, sancti Iohannis et Fontiniacensem. Et volumus et ordinamus, quod predicti provinciales et conventuales absoluti ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus isto anno nullatenus resumantur.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Summa missarum pro vivis ·xliii·.

Summa missarum pro defunctis ·x·

Iste sunt assignaciones.

Assignamus lectorem in conventu Bononiensi magistrum Nicholaum de Lee de provincia Anglie (1).

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Franciscum de Belluno de provincia Lombardie inferioris (2).

1) Perusii] Perusiis A2. — 2) Collazone] Collatone A2; Collarone G. — 5) Circoso] Cerroso A2: Cruca G. — 6) Rodericus] Hodericus E; Andericus GH. — Petro *om.* A2GH. — 9) Martini] Mathei A2; Mancini G. — 15) provincialis — donec *om.* A2. — 17) provincia Dacie *om.* G. — Dacie *om.* A2. — 18) memorata] eadem G. — 19) hos *om.* G. — 20) Divionensem *om.* E. — 21) Belveariensem *om.* BG. — 22) Argentomensem] Argentinum G. — Guingapensem] Ginguacensem G; *om.* B. — 24) Fontiniacensem] et ceteros G. — 27) ista — decem *om.* BEG.

(1) De fr. Nicolao de Lee cf. supra pag. 283 l. 6.

(2) De fr. Francisco de Beluno cf. supra pag. 282 l. 33.

Item. Quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias ibidem anno sequenti fratrem Guillelmum Munerii de provincia Francie (1).

Committimus reverendo patri magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et omnium studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacchalariis et biblie cursoribus ordinet et disponat, prout utilitati ordinis viderit expedire.

Ponimus vicarium generalem in provincia Aragonie, donec provincialis sit electus et confirmatus et presens sit in eadem, fratrem Iohannem Fortis, magistrum in theologia (2).

Instituimus et facimus priorem provincialem in provincia Terre sancte fratrem Franciscum Henrici Florentinum de provincia Romana, iniungentes eidem in remissionem peccatorum, quod quamcicius poterit, illuc vadat et secum portet ad dictam provinciam litteram magistri ordinis et acta capituli generalis una cum transcripto bulle domini pape et articulis contentis in processibus factis contra Ludovicum de Bavaria, sicut fuerunt publicati in capitulo generali (3).

Letania et salve regina more solito dicantur.

Denunciamus fratribus universis, quod tenentur omnes ad suffragia pro fratre Bertrando de Cadarossa, diffinitore provincie Provincie, qui defunctus est in capitulo generali.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Podiensi provincie Provincie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius frater, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante ·vi^{am}· feriam vigiliam pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem frater ad sequens generale capitulum sine magistri ordinis licencia venerit vel de suo conventu cum intencione veniendi exierit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam vocem non possit restitui nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Expliciunt acta capituli generalis.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXVIII.

---

2) ibidem] Parisius G. — Munerii] Muyerii G. — 11) Henrici] Eurici G. — 20) defunctus est] obiit A2. — 21) sentencias iudicum approbamus *om.* BEG. — 25) autem] vero G. — frater *om.* G. — 29) intencione] ad ipsam *add.* G. — 31) vel capitulum generale *om.* A2. — 32) expliciunt — generalis] explicit E; *om.* B.

---

(1) De fr. Guilelmo Munerii cf. **Denifle** l. c. p. 538, 550.

(2) De fr. Ioanne Fortis cf. supra pag. 150 l. 11.

(3) Cf. supra pag. 201 l. 10 sqq.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD PODIUM CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°· CCC°· XLIIII°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: Quod de beata Martha venerabili Christi hospita fiat per totum ordinem festum simplex in die octavarum beate Marie Magdalene, qua die ipsa beata Martha dicitur in domino quievisse; et quod de beatis martyribus Felice, Simplicio, Faustino et Beatrice die ·iii°· post festum Iacobi apostoli fiant tres lectiones; et magister ordinis pro beata Martha de officio providebit.

Item inchoamus hanc: Quod de beata Elisabeth fiant per totum ordinem tres lectiones illa die, quo antea fiebat memoria de eadem; et magister ordinis de officio providebit.

Item inchoamus hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: ipse prior provincialis vices obtineat supradictas, addatur statim sic: ordinacionem vero, nominaciones et precepta, que et quas fecit, et sentencias, quas tulit in capitulis generalibus vel in conventibus prefatus magister ordinis mortuus vel amotus, in suo robore permaneant, usque ad rumores certos habitos de proximo sequenti capitulo generali. De ordinacionibus, monicionibus, sentenciis et preceptis priorum provincialium in provinciis, in quibus, dum viverent vel regerent, prefuerunt, idem fiat, donec de sequenti capitulo provinciali conventus habuerint certa nova. Et hanc volumus medio tempore observari.

Item inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris conventualis, ubi dicitur: si vero infra mensem non elegerint vel postulaverint, prior provincialis conventui provideat de priore, addatur statim: quod si die ad eligendum statuta priorem infra tercium scrutinium inclusive canonice non elegerint, que quidem tria scrutinia, antequam ad alia divertant, et ante horam prandii fiant, ad priorem provincialem vel eius vicarium generalem eo ipso devolvatur provisio de priore; quam facere debebit de discretorum fratrum consilio et assensu. Et hoc ipsum, scilicet de non

---

1) in — amen *om.* B. — anno domini ·m·ccc°·xliiii°· fuit capitulm generale in Podio in provincia Provincie, quod tenuit magister P. de Palma, magister ordinis, anno secundo magisterii sui *add.* G. — 6) venerabili Christi hospita *om.* B. — 8) ipsa *om.* B. — quievisse] concuisse B. — 9) beatis] sanctis BG. — 10) festum] beati *add.* G. — 12) item — providebit *om.* B. — 15) in capitulo *om.* E. — 18) fecit] fecerit E. — et sentencias] sive A2 G. — 19) prefatus *om.* E. — permaneant] remaneant A2 B. — 22) in provinciis *om.* B. — 23) habuerint] habuerit E. — 24) volumus] in *add.* B. — 27) si *om.* BG. — 30) ante horam] hora E.

multiplicandis scrutiniis ultra tria observetur in electione socii conventus in die tractatus super mittendis ad generale vel provinciale capitulum eligendi. Quod si secus actum fuerit a quibusdam, privati sint socio illo anno, et nichilominus per priorem provincialem et diffinitores capituli provincialis rigide puniantur.

Item inchoamus hanc: In capitulo de provinciali capitulo, ubi dicitur: capitulum autem provinciale appellamus priores conventuales cum singulis sociis et cetera et predicatores generales, addatur: et omnes magistros in theologia et bacalareos, qui in studiis generalibus, in quibus conferri solet licencia in facultate theologica, legerunt sentencias vel in posterum sunt lecturi.

Item inchoamus hanc: Quod a septuagesima usque ad dominicam in passione et ab octava pasce usque ad dominicam ante rogaciones fiat singulis sabbathis in conventibus officium de beata virgine, sicut in aliis sabbathis ab octava epiphanie usque ad septuagesimam, et a deus omnium usque ad adventum fieri consuevit, quantum ad alleluia dicendum vel non dicendum, proprietate temporum observata, de officio beate virginis in sabbatis a conventu in choro fiendo in locis debitis annotetur.

Item inchoamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali ceterisque nostrarum constitucionum capitulis, ubi provincia Saxonie nominatur, deleatur: Saxonie, et dicatur: Theutonie inferioris.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Tres de ipsis electoribus aliis ab electo etc., deleatur totum usque ad locum illum, ubi dicitur: provincialis autem prior etc., et dicatur sic: quod si ordo magistrum non habuerit, ipsum electum confirmandi vel infirmandi et ad suscepcionem dicti officii compellendi vicarius ordinis habeat potestatem. Et infra ubi dicitur: in hoc casu tantum, deleatur et dicatur: consimiliter. Et hec habet duo capitula.

Item approbamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: Nullus recipiatur infra ·xviii· annos, addatur statim sic: nec quicumque illegitime natus nisi de prioris provincialis licencia speciali; si vero illegitime natus ad ordinem receptus fuerit et dispensatum fuerit cum eodem, quod possit esse prior, non propter hoc fiat diffinitor capituli generalis aut provincialis vel vicarius provincialis nec predicator generalis nec elector magistri ordinis absque magistri ordinis licencia speciali. Et habet duo capitula.

---

3) socio] sociis A2 B. — 7) autem *om*. B. — 8) cetera et] eciam E. — 9) qui in — legerunt *om*. B. — 13) octava] octavis B. — dominicam ante] lxx^am· et a deus omnium usque ad adventum et ab octavis pasce usque ad B. — fiat] in *add*. A2 B. — 14) in conventibus *om*. E. — officium *om*. B. — sicut — annotetur *om*. B. — 19) in capitulo *om*. B. — ceterisque] ubi dicitur tres de ipsis E. — 24) etc. *om*. E. — 25) locum illum] illud. E. — etc. *om*. B. — 34) esse] fieri BG.

Item approbamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: non possint habere officium prioratus vel supprioratus vel lectoratus, addatur statim post et dicatur sic: nec possint fieri diffinitores generalis vel provincialis capituli nec predicatores generales nec magistri ordinis electores. Et hec habet duo capitula.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: Quod constitucio de apostatis, de non recipiendo scrutinio, solum extendat se ad illos apostatas, qui post edicionem dicte constitucionis ad ordinem redierunt.

Item. Approbacionem de illegitime natis, quod non fiant diffinitores capituli generalis aut provincialis cum suis clausulis et addicionibus volumus intelligi de illis dumtaxat, qui post edicionem huius approbacionis ordinem sunt ingressi vel, si erant in ordine, nichilominus cum eis in prefatis nondum fuerat dispensatum.

Item declaramus hanc: Quod illegitime natus non potest esse supprior nec prioris vicarium in aliquo conventu, priore illius conventus mortuo vel amoto, nisi cum eo fuerit dispensatum.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum iuxta beati Pauli sentenciam spiritualem milicie Christi militem non liceat secularibus se negociis implicare, districtione, qua possumus, inhibemus fratribus universis cuiuscumque gradus existentibus, ne ambasciatas aut legaciones quascumque gerendas suscipiant sine sui prioris provincialis vel eius vicarii generalis licencia speciali; que licencia absque utili, urgente vel honesta causa, iudicio prioris provincialis aut sui vicarii minime concedatur, et tunc cum religioso socio, provido et maturo. Imponentes prioribus provincialibus ac generalibus vicariis eorumdem sub pena absolucionis a suis officiis, ut ipsi pena graviori culpe debita puniant, ambasciatas vel alias legaciones super brigiosis negociis admittentes; statuentes pena puniri consimili omnes et singulos fratres, qui legacionem vel ambasciatam ad Romanam curiam suscipere presumpserint sine expressa magistri ordinis licencia petita et obtenta. De aliis vero ambasciatis, ex quibus nullum potest suboriri periculum, poterit se frater intromittere et eas suscipere de sui prioris conventualis licencia, communicato consilio discretorum, si prioris provincialis haberi non possit copia bono modo.

Item. Cum predicatores unitatis et pacis guerrarum dissidia et anfractus pre cunctis debeant declinare, cum hec innumera salutis animarum

8) scrutinio] scrutinium E. — 10) approbacionem] approbamus A2. — 11) aut] vel A2. — 19) iuxta] secundum A2. — spiritualem] spiritualis G. — milicie *om.* B. — 21) universis] omnibus B. — 22) aut] vel A2. — quascumque] quaslibet G. — 23) eius] sui B. — 24) iudicio] sui *add.* E. — 25) sui] eius E. — 26) imponentes — obtenta *om.* B. — 28) puniant] puniantur E. — 34) communicato] convocato B. — 36) et] vel *post* dissidia A2; *om.* B. — 37) anfractus *om.* B; hec *om.* A2.

et corporum discrimina committantur, necnon exinde conventuum subversio sit timenda, prohibemus fratribus universis, ne de principum aut aliorum quorumcumque gueris se quomodolibet intromittant, et volumus contrarium facientes per suos superiores, postquam de hoc legitime constiterit, carceri mancipari.

Item. Cum ad inquisitores heretice pravitatis pertinere noscatur hereticos et errantes quosque ad catholice fidei unitatem atque sacrosancte ecclesie obedienciam non minus exemplo vite quam verbo, aliisve modis reducere, propter quod seipsos debent singularem formam obediendi ceteris exhibere, volumus et ordinamus, quod inquisitores prefati sicut ceteri fratres ordinis teneantur superioribus ordinis sive conventuum, ad quos pertinent vel aliquociens declinabunt, in omnibus, que directe suum non concernunt officium, obedire; ceterum, ne fratres quoscumque ad villam vel extra conventum possint propria auctoritate mittere nec sibi socium deputare nec sibi socium aliquem assumere sine prioris provincialis vel conventualis, aut vices eorum gerencium licencia et assensu, imponentes exacte prioribus provincialibus eorumque vicariis generalibus, ut si quos inquisitores aut eorum vicarios defectuosos in aliquo invenerint, punire eos non omittant, secundum quantitatem et exigenciam suorum defectuum aut culparum, eciam per amocionem ab officio inquisicionis, si expediens iudicaverint de consilio discretorum; presertim cum hoc eciam possint virtute privilegii cuiusdam super hoc ordini nostro indulti, cuius tenor talis est: Illos vero ipsius ordinis fratres, qui ad predicandum crucem vel ad inquirendum contra pravitatem hereticam seu ad alia huiusmodi negocia sunt vel fuerint ubique a sede apostolica deputati, tu magister fili, tuique successores removere seu revocare penitusque transferre, ipsisque, quod supersedeant, iniungere, aliosque substituere cum expedire videritis, licite ac libere valeatis, et in eos, si contravenerint censuram ecclesiasticam exercere, ac quilibet prior provincialis vel eius vicarius eiusdem ordinis idipsum in sua provincia circa fratres sui ordinis, quibus ab eadem sede similia contigerit in illa committi, facere possit, non obstantibus aliquibus litteris vel indulgenciis apostolicis impetratis, vel eciam in posterum impetrandis, que de hoc non fecerint mencionem.

Supradicte autem ordinacioni et admonicioni adiicimus, quod priores provinciales magistro ordinis denuncient, si quos inquisitores aut vicarios eorumdem invenerint notabiliter deliquisse. Volumus tamen et imponimus

---

1) discrimina] pericula G. — necnon] et *add.* G. — 3) aliorum] de B. — 8) aliisve] aliis vere A2. — 11) conventuum] conventibus B. — 13) ne] ut A2. — 17) eorumque] ac eorum E; eorumdemque G. — 19) quantitatem] qualitatem A2. — 20) eciam] et A2E. — 22) hoc *ante* eciam *om.* E. — 23) indulti] concessi B. — talis] iste G. — 24) ad *om.* A2EG. — 26) removere — perturbent] etc. B. — 33) in posterum *om.* BE.

prioribus conventualibus et vicariis eorumdem, ut ipsos inquisitores pertractent et recipiant reverenter, favorabiliter et benigne, eisdem de una camera pro se, socio suo et uno famulo, prout melius et commodius poterunt, providendo; caventes attente, ne inquisitores ipsos in hiis, que ad inquisicionis pertinent officium, impediant vel perturbent.

Item. Cum inter cetera diabolice sevicie iacula crudelissima sit lingua in aliene et precipue fraterne fame lesione sive patulis infamacionibus sive clandestine detractionis, delacionis, seu informacionis vagitibus resoluta, cupientes omnia tela nequissimi ignea extinguere in ordine isto sancto, sub pena talionis inhibemus, ne frater aliquis de alio fratre crimen dicat aut recitet cuicumque vel quibuscumque quacumque ex causa seu motivo, nisi posset probare et in lucem deducere, preterquam prelato suo, cum prodesse valeat et debeat non obesse, et tunc quantum testimonio consciencie sue verum esse iudicaverit, quod proponit. Et ut hoc sedulius et firmius observetur, volumus, quod priores provinciales ac conventuales, nisi excessum tam execrandum, mox ut ad ipsorum noticiam pervenerit, nec pena pretaxata indilate puniverint, a suis officiis absolvantur. Premissis adiicientes, quod si quis frater penam seu punicionem inventus fuerit fratri alteri obiecisse, puniatur indilate, ac si culpam, propter quam pena talis imponitur, obiecisset.

Item. Cum sine vigilanti et sollicita educacione iuvenum ad ordinem receptorum vix aut numquam iuvenes ipsi ad melioris vite et sciencie frugem surgant nec ordini suo fructum ferant expectatum, quinimo ex incuria tam circa ydoneitatem recipiendorum, quam circa informacionem debitam receptorum, iam cernimus in ordine nostro multiplicari fratres ydiotas, deordinatos, scandalosos, proh dolor, et rebelles materne sue religionis latera velut viperina progenies disrumpentes, mandamus prioribus provincialibus ac sub pena absolucionis ab officio provincialatus iniungimus, ut circa recipiendorum sufficienciam tam in natalibus quam in moribus, quam in sciencia cautelam adhiberi mandent et statuant diligentem. Insuper et noviciis aliisque iuvenibus iam professis, sive in propriis, pro quibus recepti fuerint, sive in aliis sue provincie conventibus, si eque bene in propriis quantum ad religionem, cerimonias ordinis atque scienciam non valuerint educari de convenienti maturo et scientifico informatore provideri faciant, qui circa iuvenum ipsorum, prout cuilibet expedire viderit facultati seu capacitati, disciplinam et erudicionem ver-

3) uno *om.* A2 G. — 5) perturbent] conturbent A2. — 6) sevicie *om.* A2. — crudelissima] crudelissimum A2 G. — 11) cuicumque] cuiuscumque A2. — 12) deducere] perducere B. — preterquam — iudicaverit *om.* A2 BE. — 14) sedulius] melius G. — 16) nisi] ubi A2 B. — 17) nec] nisi BG. — 23) nec] neque G. — ferant] afferant BG. — 25) nostro *om.* A2 B. — 28) provincialatus] imponimus et *add.* A2. — 29) quam] eciam *add.* E. — 32) aliis sue] alienis B. — 33) si — educari *om.* B. — 35) qui — insistat *om.* B.

setur iugiter et insistat, nec in aliis officiis ab hoc opere distractoriis occupetur. Volentes, quod in casu, in quo iuvenes ad extraneos conventus erudicionis causa missi fuerint moraturi, conventus, pro quibus ad ordinem sunt recepti, eisdem teneantur de necessariis preterquam de victualibus providere.

Item. Cum bonorum fratribus appropriatorum reservacio et dispensacio per eosdem fratres facta sine scitu et licencia suorum conventualium prelatorum proprietatis vicium sapere videatur, insuper et ad hoc compertum sit subsequi expensarum excessus, combinaciones inutiles et discursus, unde finaliter scandala et pericula statui nostro graviter adversancia generantur, imponimus prioribus provincialibus universis, ut ipsi super hoc sedule vigilent et attente et observari faciant per priores, quod videlicet fratres omnes bona ad ipsos pertinencia sine presidencium suorum speciali licencia non dispensent.

Item. Cum maximus doctor et precipuus sanctus Thomas supra saniorem, planiorem et tuciorem sacre scripture et sanctorum doctorum necnon et magis approbatorum philosophorum intellectum et sensum doctrine sue fundamenta tanquam sapientissimus architectus collocaverit, ad quod infallibiliter sequitur doctrinam illam casum pati non posse, quamdiu scriptura sacra, doctrina sanctorum ac philosophorum commune et rectum naturalis luminis iudicium sequencium ab inconcussibili non excident firmitate, et intellexerimus nonnullos in nostro ordine legentes ad hanc vaniloquii et curiositatis stulticiam devolutos, ut spreta iam salubri solidaque doctrina peregrinis doctrinis et variis abducantur, adeo ut eciam ipsam veritatis doctrinam audeant ausu temerario frivolis laceracionibus improbare, mandamus prioribus provincialibus, ut si quos huiusmodi deinceps invenerint, omni lectione simpliciter eos privent.

Item. Cum fervor iuvenilis etatis ad malum adolescenciam reddat pronam, nisi ipsum cohibeat rigoris frenum ac regula discipline et adolescens perverse morigeratus a via sua mala, cum senuerit, non recedat, unde graves tribulaciones in ordine pullulant et insurgunt, omnibus et singulis rectoribus ordinis imponimus et eorum super hoc consciencias oneramus, ut si quos habeant iuvenes studentes vel non studentes, audaces, procaces, presumptuosos, rebelles, inquietos et vagos superioribus obedienciam, senioribus reverenciam debitam non ferentes, aut in studio notabiliter negligentes, tales humiliare et eorum procacitatem retundere et effrenacionem cohercere ac defectus alios prefatos punire studeant per

2) volentes — providere *om.* B. — 4) de *post* preterquam *om.* G. — 5) victualibus] necessariis victus E. — 6) item — eos privent *om.* B. — 13) bona *om.* EG. — 18) fundamenta] fundata A2E. — 19) quod] qui *add.* A2E. — 20) doctrina] dicta A2G. — 22) excident] excideret G. — 29) ac] et G. — 31) pullulant] pullulantur EG; postulant A2. — 34) presumptuosos] et *add.* G. — et — notabiliter *om.* E.

penas graves eisdem sine misericordia infligendas. Volumus eciam et mandamus, ut priores provinciales in suis capitulis provincialibus necnon in visitacionibus conventuum contra tales iuvenes insolentes secundum qualitatem et quantitatem culparum penas convenientes inveniant et statuant atque compellant eas inviolabiliter observari. Et ubi compererint inter tales conspiracionis vel colligacionis cuiuspiam ligamentum, sine mora colligaciones impietatis dissolvant eosque dispergant per conventus varios, absolutos a studiis et penis aliis debitis puniendos. Si qui vero senes vel fratres alii, cuiuscumque gradus vel condicionis existant, talibus iuvenibus indebitum favorem prebere aut illos ad temeritates huiusmodi animare vel eos in ipsis fovere aut eorum puniciones impedire fuerint deprehensi, tanquam ordinis destructores penis consimilibus puniantur.

Item. Ordinaciones immediate in precedenti capitulo generali Parisius celebrato editas primo de prioribus provincialibus provincias suas exeuntibus, quod vicarium instituant cum addicione hac, quod non solummodo unicum vicarium generalem provincie sue relinquant, sed ultra hoc secundum, ·iii·um et ·iv·um fratres ad hoc ipsum ydoneos, quorum quilibet vicarie in solo illo casu fungatur officio, in quo vicarium sibi immediate previum morte preveniri contingeret vel alias legitime impediri (1).

Item. Aliam, qua per preceptum cavetur, ne frater quicumque de practica medicine vel chirurgie inter seculares se intromittat, nisi forte de sui prioris licencia speciali; item preceptum, quo magistris et baccalareis Parisiensibus inhibetur, ne pitancias aut convivia faciant ulla, nisi forte ipsi magistri unam tantum pitanciam modicam in die aule sue occasione suorum scolasticorum actuum quorumcumque et tunc solis fratribus, non admissis secularibus, cum duabus adiectionibus, que sequuntur: videlicet, quod non racione sermonis, et quod sicut non per se ita nec per alium pro aliquo ipsorum fiant, volumus sub precepti huius vinculo permanere imposicionem factam in clausula finali dicte ordinacionis prioribus provincialibus de expensis lectorum et studencium racione actuum scolasticorum eis incumbencium per ipsos priores provinciales in suis provinciis efficaciter cohercendis, mandamus firmiter observari (2).

Item. Aliam, qua districte impositum fuit prioribus provincialibus et capitulis provincialibus Grecie et Terre sancte ac vicariis eorumdem

1) infligendas] infligentes B. — 9) alii *om.* A2. — 10) aut *om.* E — 13) item — acta ista *om* B. — ordinaciones *om.* E. — in *om.* G. — 22) chirurgie] surgie A2. — 24) aut] seu A2 — 25) modicam] moderatam G. — 27) fratribus] scolaribus *add* E. — secularibus *om.* E. — duabus *om.* A2. — 29) huius *om.* EG.

(1) Cf. supra pag. 286 l. 4 sqq.
(2) Cf. ibid. l. 10 sqq.

nec non et vicario generali societatis fratrum inter gentes peregrinancium propter Christum de fratribus evagantibus arctandis et arctacionem non ferentibus incarcerandis, atque de fratribus societati episcoporum deputatis, ne soli dimittantur, remaneant vel incedant (1).

Item. Preceptum de bonis seu rebus fratrum apud personas, que nostre religionis non sunt, non habendis, ponendis vel reservandis has, inquam, tam ordinaciones quam precepta quantum ad singulas sui clausulas observari iniungimus et legi ex integro, prout in actis prenotati generalis capituli Parisiensis continentur, quocienscumque lecta fuerint acta ista (2).

Item. Serenitati conscienciarum fratrum et paci volentes, quantum cum deo possumus, providere, prohibemus prioribus conventualibus ac vices eorum gerentibus, ne in suis conventibus preceptum seu precepta presumant facere, nisi de discretorum fratrum consilio et assensu, et quod precepta sic facta presidentes ipsi ea facientes primitus in scriptis ea redigant et coram conventu legi faciant, ad minus quolibet mense semel, quod si in preceptis faciendis premissorum aliquid fuerit pretermissum, nolumus precepta illa in aliquo obligare nisi duntaxat in casu, in quo frater examinaretur iuridice de crimine vel delicto.

Item. Cum non sine gravi ambicionis vehementis nota et sine ordinis infamacione, que vere obediencie filio obviant et repugnant, frater non possit per personas extra sui ordinis obedienciam constitutas promocionem aliquam procurare vel facere procurari, sub pena privacionis vocis et omnium graciarum ordinis inhibemus, ne frater quicumque gradum, statum vel promocionem sibi per personam seu personas extra nostre religionis obedienciam positas procurari faciat vel procuret.

Item. Cum intellexerimus, quod in provinciis quibusdam fratres aliqui lectiones sollempnium conventuum tenuerint et teneant annis quam pluribus in multorum aliorum fratrum eque sufficiencium preiudicium et verecundiam, volumus et ordinamus, quod nullus frater ultra quatuor vel quinque annos continuos lectoriam alicuius conventus teneat, si eque sufficiens pensatis omnibus in eadem provincia habeatur.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne frater, cuiuscumque

---

2) evagantibus] vagantibus G. — 4) remaneant vel incedant *om.* A2. — 6) reservandis] servandis A2. — 7) inquam] quinque *add.* A2 G. — 8) iniungimus] precipimus A2 — prout] quod A2E. — 12) cum deo *om.* B. — 13) preceptum seu *om.* E. — 15) ea *post* scriptis *om.* A2 G. — 17) aliquid] quidem A2. — 28) et] vel E. — quam *om.* B. — 33) item — supradictis *om.* B.

---

(1) Cf. supra pag. 287 l. 6 sqq.
(2) Cf. supra pag. 289 l. 8 sqq.

condicionis aut gradus existat, ad Romanam curiam accedat vel de suo conventu iter arripiat cum intencione ad Romanam curiam accedendi, nec in eadem curia stet sine licencia eiusdem magistri ordinis speciali, de qua per litteram magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem, et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, voce et omnibus graciis ordinis sit privatus, et nichilominus sentenciam excommunicacionis ipso facto se noverit incurrisse. Quam sentenciam excommunicacionis dictus magister ordinis coram diffinitoribus protulit iuridice in diffinitorio de diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sentencia sibi soli retinens et reservans.

Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Concedit eciam magister ordinis priori provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum negociis viderit expedire; postquam vero fratres de licencia, prout premittitur, curiam intraverint, infra tres dies a procuratore ordinis statuta et ordinaciones in curia factas de cortesanis teneantur petere per preceptum.

Item. Mandamus et precipimus in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens generale capitulum fratri Rostagno de Anceduna, procuratori ordinis in curia Romana, pro qualibet provincia tres florenos pro anno presenti, et preteritis annis illi, qui non satisfecerunt, infra natale domini proxime futurum satisfacere teneantur. Adiicientes sub eodem tenore precepti, quod duobus fratribus, scilicet fratri Albano Thome et Bertrando Bonerii, qui urgente necessitate negociorum ordinis in curia gerendorum eidem procuratori nuperrime sunt adiuncti, mittat quilibet prior provincialis infra sequens capitulum generale tres florenos, quibus duobus fratribus priores provinciales et conventuales omnium fratrum curiam Romanam adeuncium culpas in casu, in quo pro culpis vel alias causas, si propter alias ad dictam curiam se conferunt, ceteraque tangencia facta et negocia, propter que curiam petunt, scribere sub sigillis propriis teneantur, et procuratoria sufficiencia ad comparendum in omni iudicio coram iudice quolibet procuratori ordinis mittant et fratribus supradictis.

Item. Mandamus ac imponimus omnibus prioribus provincialibus et conventualibus ac vicariis eorumdem, ut cum omni diligencia perquirant et perquiri faciant apostatas nostri ordinis, de quibuscumque provinciis

1) vel — accedendi *om* G. — 12) tamen] eciam A2. — 21) item — supradictis *om.* E. — 27) scilicet] videlicet G. — 35) sufficiencia] sufficiencius A2. — 38) ac] et B.

aut conventibus existentes, inventosque capiant seu capi faciant ac carcerali custodie mancipent, secundum suorum demeritorum exigenciam puniendos, siquidem quoad hoc magister ordinis committit prefatis prioribus plenarie vices suas.

Item. Volumus ac omni districtione, qua possumus, mandamus et iniungimus prioribus universis tocius nostri ordinis, quatenus septima die maii quilibet in suo conventu solempnem missam de spiritu sancto celebrari et cantari faciat cum omni devocione ab omnibus fratribus pro domino nostro summo pontifice, de cuius dignissima sanctissimaque persona die prenotata ecclesie sancte sue ac ipso ordini divina clemencia de clementissimo propicioque patre et patrono providit clementer, quam missam, modo et die, quibus premittitur, imponimus et mandamus dici et celebrari annis singulis, quamdiu beatissimum patrem ipsum populo suo et nobis sanctitatis sue affectissimis cultoribus pater misericordiarum conservaverit in hac vita, ac post felicem eius decessum die sui obitus perpetuis temporibus fiat in singulis conventibus tocius ordinis nostri annis singulis eius anniversarium, sicut pro magistris ordinis per totum ordinem fieri consuevit.

Item. Imponimus et mandamus prioribus provincialibus et vicariis generalibus eorumdem, ut ipsi privilegiorum papalium transcripta totum ordinem tangencium sub manu publica procuratori ordinis in Romana curia quamcicius mittere non omittant.

Item. Volumus et ordinamus, (quod) transcriptum bulle indulgencias in festo beati Thome doctoris eximii concessas continentis, a singulis diffinitoribus huius capituli ad sua provincialia capitula et sociis conventuum singulorum ad suos conventus a provinciali capitulo, omni excusacione postposita, fideliter deportari.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: Lombardie inferioris et facimus ibi vicarium fr. Andream de Saxo, inquisitorem Vincentinum, donec dicta provincia priorem provincialem electum habuerit, et presens extiterit in eadem.

Regni Sicilie et facimus ibi vicarium fr. Nicholaum de s. Victore, inquisitorem terre Laboris, donec dicta provincia priorem provincialem electum et confirmatum habuerit, et presens fuerit in eadem.

Ungarie et facimus ibi vicarium fr. Nicholaum, priorem Iauriensem,

---

1) ac] et G. — 3) siquidem] nam A2. — 4) plenarie *om.* A2. — 5) item — omittant *om.* B. — 12) modo *om.* A2. — imponimus *om.* E. — 14) affectissimis] sanctissimis A2. — 17) nostri *om.* A2. — 20) transcripta *om.* G. — 23) quod *om.* B. — bulle] in *add.* BE. — 28) iste — expediens indicabunt *om.* E. — 29) absolvimus — domini ·M·CCC·XLIIII· *om.* B. — 31) electum] et confirmatum *add.* G. — extiterit] fuerit G. — 36) Iauriensem] Yadriensem A2.

donec dicta provincia provincialem electum et confirmatum habuerit, et presens fuerit in eadem.

Polonie et facimus ibi vicarium fr. Stanislaum, inquisitorem Cracoviensem, donec dicta provincia provincialem habuerit electum et confirmatum, et presens fuerit in eadem (1).

Provincie Provincie et facimus eum vicarium in eadem provincia, donec dicta provincia electum habuerit priorem provincialem et confirmatum, et presens fuerit in eadem; et facimus eum lectorem in conventu Avinionensi; et volumus et mandamus vel ordinamus, quod predicti provinciales absoluti ad eadem officia in eisdem provinciis isto anno nullatenus resumantur.

Absolvimus hos priores de provincia Provincie: Tarasconensem, Podiicerdani, Barchilonie, Arelatensem, Grassensem. Et volumus et ordinamus, quod dicti priores absoluti non resumantur ad eadem officia in eisdem conventibus isto anno.

Iste sunt penitencie.

Fratribus omnibus et singulis conventuum Marsiliensis, Grassensis, Aurasicensis et Tholoni, qui vocem habuerunt in tractatibus conventuum predictorum hoc anno, ieiunium ·iii· dierum in pane et aqua imponimus per presentes in virtute sancte obediencie precipientes eisdem, quatenus dictam penitenciam faciant infra tres septimanas, postquam ad ipsorum noticiam pervenerit penitencia supradicta.

Item. Fratrem Bartholomeum Martini omni voce privamus per triennium, nec volumus, quod possit esse prior, supprior vel vicarius in aliquo conventu usque ad tres annos, et nichilominus faciat penitenciam per preceptum, sicut illi, qui in presenti capitulo socio caruerunt, et hoc quia in conventu Aurasicensi vicarius existens tractatum fraudulenter anticipare presumpsit; et volumus ac eciam ordinamus, quod suppriores non possint in socios eligi in quocumque conventu nisi in illo, in quo capitulum celebratur isto anno.

Item. Fratribus Rostagno Ernaldi et Iordano Dregoli conversis in conventu Aurasicensi, qui fardellum prioris dicti conventus ad predictum conventum reduci fecerunt in grave secularium scandalum et fratrum grande periculum et iacturam, imponimus penam culpe debitam graviori, quam saltem per quindenam infra ·iii· hebdomadas infra noticiam presencium facere compellantur.

---

1) electum et confirmatum *om.* G. — 3) fratrem *om.* A2. — Stanislaum] Stanilaurum A2. — 9) mandamus vel *om.* G. — 13) Grassensem] et Tholoni *add.* G. — 26) et hoc *om.* A2. — 31) Rostagno] Rostano A2. — Ernaldi] Arer A2. — 32) dicti conventus] Aurasicensis G. — predictum *om.* G.

---

(1) De fr. Stanislao cf. supra pag. 251 l. 17.

Et fratri Petro de Vachonis imponimus et mandamus in virtute sancte obediencie, quod statim post istud capitulum ad dictum conventum Aurasicensem se conferat et diligenter inquirat, qui fratres dictis conversis imposuerunt aut eos induxerunt, ut tale facinus perpetrarent, et taliter puniat, quos in hoc invenerit deliquisse, quod ceteri fratres ad excessus tam temerarios non se laxent, et nichilominus de penis, quas imponet fratribus, quos culpabiles repererit in predictis, certificare quamcicius reverendum magistrum ordinis non omittat.

Item. Fratrem Simonem Comitis de provincia regni Sicilie, qui se vicariis reverendi patris magistri ordinis opposuit et eisdem in quam pluribus contrarius extitit et rebellis, absolvimus ab officio prioratus et omni vicaria, privamus eumdem voce et omnibus graciis ordinis, ad quas non possit restitui nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale; et nichilominus eum Beneventano conventui assignamus, parcentes eidem misericorditer a pena culpe graviori debita, quam incurrit propter suos ausus temerarios et rebelliones multiplices aliosque excessus suos graves, notorios et patentes. Imponimus insuper vicario generali dicte provincie regni Sicilie, quod diligenter inquirat complices dicti fratris Simonis in excessibus et rebellionibus supradictis et aliis quibuscumque et acriter puniat, quoscumque invenerit huius vie.

Item. Cum intellexerimus fide digno relatu fratrem Thomam de Neapoli, lectorem Neapolitanum, non solum contra doctrinam eximii doctoris sancti Thome, sed et multa periculosa frequencius docuisse, ipsum a dicta lectoria absolvimus, nichilominus imponentes eidem, ut articulos sibi per fratrem Nicholaum diffinitorem provincie regni exhibendos in scholis solempniter et publice revocet aut declaret (1).

Item. Absolvimus priorem Bononiensem provincie Lombardie superioris, quia in iniuriam non modicam prioris provincialis simul et provincie Lumbardie superioris duos fratres de provincia dicte Lombardie superioris predicto conventui Bononiensi per provincialem predictum Lombardie superioris de iure et consuetudine dicte provincie superioris Lombardie assignatos recipere noluit, sed eos crudeliter et inhumane expulit de conventu; insuper et titulos cellarum duarum deputatarum studentibus dicte provincie Lombardie superioris per recolende memorie fratrem Barnabam patrem venerabilem quondam magistrum ordinis appositos irreverenter et impudenter abrasit, per hoc gestiens, ut videtur, dictam provinciam Lombardie iure suo, ordinantes, ut dicti studentes expulsi vel

1) Vachonis] Vacheriis G. — 5) fratres] alias *add.* G. — 18) regni Sicilie *om.* G. — 28) quia — superioris] qui A2. — 30) predicto] prefato G.

(2) De fr. Thoma de Neapoli cf. Denifle l. c. pag. 614.

alii duo possint ibi mitti per provincialem Lombardie superioris uno anno ultra numerum consuetum.

Denunciamus fratrem Renericum de Scolaribus Romane provincie pluries et per plures in dicta Romana provincia vicarium institutum verum fuisse vicarium in eadem provincia, non obstantibus racionibus propositis per quosdam fratres illius provincie, quas nullas, inefficaces et frivolas reputamus. Intimantes fratribus universis reverendum patrem magistrum ordinis fratribus omnibus et singulis dicte Romane provincie penas omnes tam positivas, quam privativas, quas hiidem fratres incurrerunt vel incurrisse dicuntur propter inobediencias et rebelliones ipsorum ad vicarium memoratum vel alios superiores ordinis et prelatos misericorditer remisisse de diffinitorum consilio et assensu. Et imponimus et mandamus priori provinciali Romane provincie sepe dicte, quatenus favorabiliter et benigne pertractet et foveat dictos fratres eisdem de statibus, officiis et graciis providendo secundum suorum exigenciam meritorum, non obstantibus inobedienciis et rebellionibus et excessibus memoratis.

Concedimus provincie Francie unam domum ponendam, ubi priori provinciali et diffinitoribus capituli provincialis videbitur expedire.

Item. Provincie Tholosane unam domum ponendam in villa de Bagneriis diocesis Tarbensis.

Item. Provincie Aragonie domum unam ponendam, ubi provincialis et diffinitores capituli provincialis expediens iudicabunt.

Item. Provincie Hispanie unam domum ponendam ubi, prior provincialis cum diffinitoribus capituli provincialis expediens iudicabit.

Item. Provincie regni Sicilie duas domos unam in terra firma, ubi priori provinciali vel eius vicario et diffinitoribus capituli provincialis videbitur expedire; et aliam in insula, ubi vicario insule videbitur expediens, communicato plurium consilio discretorum.

Item. Provincie Ungarie duas domos ponendas, ubi prior provincialis vel eius vicarius generalis et diffinitores capituli provincialis expedire iudicabit.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Guillelmum Munerii de provincia Francie (1).

Item, quantum nostra interest, assignamus ad legendum Parisius anno sequenti fratrem Petrum de Salgis de provincia Tholosana (2).

---

17) provincie] provinciali A2. — 20) Bagneriis] Baygneriis G. — diocesis *om.* A2. — 29) prior provincialis... vicarius generalis et diffinitores... expedire iudicabunt] priori provinciali... vicario generali et diffinitoribus... visum fuerit expedire E. — 36) Salgis] Sargis G.

---

(1) De fr. Guilelmo Munerii cf. supra pag. 291 l. 2.

(2) De fr. Petro de Salgis cf. supra pag. 283 l. 8.

Item. Absolvimus priorem Neapolitanum et facimus eum lectorem in conventu beati Dominici de Neapoli.

Item. Assignamus ad legendum sentencias in conventu beati Dominici Neapolitano fratrem Benedictum de Campomellis de conventu Gaietano.

Item. Assignamus ad legendum sentencias in conventu Bononiensi fratrem Luppum Bononiensem de predicto conventu.

Item. Assignamus ad legendum sentencias in Montepessulano fratrem Guillelmum Imberti de conventu Tholoni.

Item. Assignamus lectorem in Compostella fratrem Lupum magistrum in theologia (1), et mandamus priori provinciali et diffinitoribus capituli provincialis, quod ibi ponatur studium generale, quod assignacione solempnicent studencium atque artistarum.

Committimus prioribus provincialibus aliarum provinciarum ac vicariis generalibus in iisdem, ut ipsi in studiis suarum provinciarum provideant de lectoribus et cursoribus seu lectoribus sentenciarum et magistris studencium, prout utilitati ordinis videbitur expedire.

Committimus reverendo magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris et bacalareis et cursoribus biblie nec non et magistris studencium ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis expediens iudicabit.

Revocamus omnes et singulos vicarios positos per quoscumque superiores ordinis in insula Sicilie et denunciamus, fr. Iacobum dictum Phicara de Messina factum esse vicarium per reverendum patrem magistrum ordinis in insula supradicta. Cui iniungimus et mandamus, quod ipse conventus dicte insule sollicite visitet, insolentes debite corrigendo, ac quod de lectoribus et studentibus in eadem ordinet, prout sibi secundum dominum honori ordinis videbitur expedire. Imponentes eidem, quod mittat unum studentem Parisius de dicta insula pro rata provincie regni Cicilie isto anno; et volumus ac eciam ordinamus, quod conventus dicte insule solvant collectam, sicut hactenus extitit consuetum, ita tamen, quod studentibus ad dictam insulam pertinentibus, sicut aliis studentibus eiusdem provincie fiat provisio de collecta supradicta.

Item. Denunciamus fratrem Iacobum de Nicosia, priorem monasterii sancte Katharine, et fratrem Iacobum Fraxia inquisitorem insule per re-

1) item — predicto conventu *om.* E. — 5) Gaietano] Gagetano G. — 7) Luppum] Lappum G. — Bononiensem *om.* A2. — 9) conventu Tholoni] Tholono G. — 12) studium] provincie *add.* AG. — 13) atque] et A2. — 15) ipsi *om.* E. — 17) videbitur] viderint A2 G. — 19) et *post* magistris *om.* A2. — 20) et] ac *ante* cursoribus G. — 22) revocamus — Maria dicant *om.* E. — 24) Phicara] Ficara G. — 28) dominum] deum G. — 33) supradicta] predicta G. — 35) Fraxia] Fricia G.

(1) De fr. Lupo cf. supra pag. 200 l. 30; Denifle l. c. pag. 545.

verendum patrem magistrum ordinis de diffinitorum consilio et assensu esse a suis officiis absolutos, et fratrem Petrum Perronum de Augusta per eumdem patrem in dicto monasterio sancte Katharine priorem et inquisitorem dicte insule institutum.

Item. Denunciamus fratribus universis, reverendum patrem magistrum ordinis de diffinitorum consilio et assensu imposuisse et mandasse priori provinciali regni Cicilie, qui erit pro tempore, quatenus fratrem Nicholaum dictum Citerelli de Monopoli inquisitorem instituat in regno Cicilie, cum dictus frater ab inquisicionis officio amotus fuerit indebite et iniuste.

Ista sunt suffragia.

Suffragia pro vivis ·xliiii·

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Suffragia pro defunctis ·xiii·

Pro qualibet missa superius posita quilibet clericus non sacerdos ·vii· psalmos cum letania, et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania et salve regina more solito dicatur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in conventu Brivensi provincie Tholosane, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno futuro diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem alius frater, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam ·vi^am^· festum penthecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione ad capitulum veniendi de conventu suo iter arripuerit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis aut capitulum generale.

Expliciunt acta capituli generalis apud Podium celebrati anno domini ·m°· ccc°· xliiii°·

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. LXXXIX.

---

2) Perronum] Perrenium (?) A2 E. — 3) eumdem] reverendum *add.* G. — 8) Citerelli] Sicerelli G. — 11) ista — dicant *om.* G. — 12) ·XLIIII·] ·XLV· H. — 14) ·XIII·] XIV· H. — 22) veniant *om.* E. — 29) aut] vel A2.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT
ACTA CAPITULI GENERALIS APUD BRIVAM CELEBRATI
ANNO DOMINI · M°· CCC°· XLVI°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: tres de ipsis electoribus aliis ab electo etc., deleatur totum usque ibi: si vero post confirmacionem etc.

Item. In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: et confirmacione priorum provincialium, quando de suis provinciis assumuntur, hoc totum deleatur.

Item. Amodo de sancto Vincencio fiat festum totum duplex; et hec in calendario et ordinario suis locis annotetur, et magister de sequencia providebit.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de recipiendis et apostatis, ubi dicitur: nullus recipiatur infra ·xviii· annos, addatur statim sic: nec quicumque illegitime natus, nisi de prioris provincialis licencia speciali; si vero illegitime natus ad ordinem receptus fuerit, et dispensatum fuerit cum eodem, quod fieri possit prior, non propter hoc fiat diffinitor capituli generalis aut provincialis nec predicator generalis nec elector magistri ordinis absque magistri ordinis licencia speciali.

Item confirmamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: nec possit habere officium prioratus nec supprioratus vel lectoratus, addatur statim post et dicatur sic: nec possit fieri diffinitor generalis vel provincialitus capili nec predicator generalis nec magistri ordinis elector. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc, quod supprior et vicarius prioris in nostro ordine non possint recipere fratrem ad ordinem, ad professionem vel probacio-

---

1) Anno domini ·M° CCC° XLV°· non fuit capitulum generale propter mortem magistri fratris Petri de Palma, magistri in Theologia *add. in marg.* EG. — In hoc capitulo electus est frater Garinus de Giaco iam sepe lector in Parisiensi studio et aliis ordinis celebrioribus, erat conventus Altissiodorensis oriundus de Giaco vulgo Guy le veque. Iste fuit valde graciosus, magnus clericus et egregius praedicator *add.* H. — Anno domini ·M·CCC·XLVI°· tunc fuit electus in magistrum ordinis frater Garinus provincie Francie sacre theologie professor *add* G. — 5) iste sunt inchoaciones *om.* E. — 13) et magister] magister autem G. — 15) iste sunt confirmaciones *om.* E. — 24) nec] vel G. — 25) post] etc. *add* E. — et dicatur sic *om* G. — 28) iste sunt declaraciones *om.* E.

nem, nisi ex commissione speciali et expressa per priorem provincialem vel conventualem aut magistrum ordinis sibi facta.

Iste sunt ordinaciones.

Cum ordo noster a spiritu sancto in soliditate veritatis et existencie ab exordio fundatus, de scienciis vanis et curiosis non curans veritati scienciarum studuerit hattencius virtute constancie inherere, ac sanctissimus pater et dominus dominus noster summus pontifex nos super hoc monuerit, ne contrarium a quibuscumque valeat attemptari, imponimus districte fratribus universis, quod nullus frater legendo, determinando seu respondendo, audeat assertive tenere contrarium eius, quod in communi doctrina continetur et quod contra opinionem doctoris venerabilis sancti Thome communiter creditur extitisse, nec determinare presumat nec recitare aut confirmare aliquam singularem opinionem contra communem sentenciam doctorum in hiis, que ad fidem vel ad mores pertinere noscuntur, nisi reprobando et statim obiectionibus respondendo. Quicumque autem per provincialem vel eius vicarium, qui super hiis inquirere teneantur, ex certa sciencia in aliquo premissorum inventus fuerit deliquisse, per eosdem, cum legitime constiterit, a lectoratus officio vel studio absolvatur in penam, si tamen alias de huiusmodi sit notatus. Quod si ex talibus opinionibus scandalum sit subortum, volumus, quod acrius puniatur et ad revocandum nichilominus compellatur (1).

Item. Volumus et ordinamus, quod provinciales et diffinitores capitulorum provincialium teneantur tam de lectoribus quam sublectoribus sufficientibus providere, et quod per preceptum inquirere teneatur provincialis in sua visitacione et ipse cum diffinitoribus in provinciali capitulo a fratribus litteratis et fide dignis, qui super hoc valeant testimonium ydoneum perhibere. Ipsi autem assignati lectores et sublectores suas teneantur continuare lectiones; communes vero fratres singulis diebus ad scolas vadant lectoris principalis et ibidem lectiones audiant, alias illa die a vino vel a pitancia sine dispensacione abstineant, si eos sine causa racionabili vel licencia speciali deesse contingat. Priores autem observatores ponant, qui in hoc excedentes notent et denuncient et transgressores

1) probacionem] approbacionem E. — 3) iste sunt *om.* E. — 7) noster *om.* E. — super hoc *om.* G. — 9) seu *om.* G. — 23) tam *om.* E. — 24) et *om.* G. — 26) et *om.* G. — 29) lectiones] lectores E. — 31) autem] vero E.

(1) Cf. supra pag. 303 l. 21 sqq. « Non est dubium, haec statuta fuisse provocata per motum anti-tomisticum in Universitatibus Paris. et Angliae, quem et quidam ex Ord. Praed. sequebantur, ut Robertus Holcot, provinciae Angliae (de quo Quetif-Echard, I, 629 sqq. D'Argentré *Coll. jud.*, I, 340) et per errores quorumdam theologorum, ut Nicolai de Ulticuria et Iohannis de Mirecuria ». Denifle l. c. pag. 592, not. I.

predictos taxatas penas faciant observare. Priores vero et eorum vicarii, qui inventi fuerint premissa cum diligencia non observasse et reos in hoc non punivisse, a suis officiis absolvantur in penam, nec illo anno possint reassumi ad officium prioratus vel eciam lectoratus; eorum autem vicarii locum presidentis tenere non valeant infra annum.

Item. De mittendis ad studia ordinamus, quod nullus ad studium logicale mittatur, nisi saltem in ordine duobus annis fuerit religiose conversatus vel alias in seculo fuerit etate provectus et in grammaticalibus instructus; ad naturarum vero studium nullus mittatur, nisi in grammaticalibus et logicalibus fuerit sufficienter informatus, testimonio lectorum et magistri studencium et sublectoris, de cuius sufficiencia per preceptum a priore provinciali vel eius vicario seu visitatore requiratur. Ad sentencias vero audiendas non mittantur fratres nisi in naturalibus, testimonio premissorum sub precepto requisitorum, fuerint sufficienter instructi. Volumus autem et ordinamus, quod in studiis tam logicalibus quam naturalibus repetantur singulis diebus lectiones per magistrum studencium vel fratrem alias ydoneum, qui ad hoc officium per priorem, lectorem et sublectorem fuerit deputatus. Lectiones autem studentes in dictis studiis reddant suis magistris semel vel pluries in qualibet septimana. Ad generale autem studium nullus mittatur, nisi ordine premisso in logicalibus et naturalibus sufficienter profecerit, et saltem duobus annis in aliquo particulari studio sentencias audierit, et testimonio lectoris, cursoris ac magistri studencium per preceptum requisitorum de eo spes multum probabilis habeatur, quod ad lectoratus officium ydoneus sit futurus. In ipsis vero studiis generalibus magistri studencium ad partem, nisi legitimum impedimentum occurrat, disputent omni septimana per totum annum saltem semel; illi vero, qui legerunt sentencias in studiis theologie, anno sequenti sint ibidem magistri studencium et phylosophiam moralem legere teneantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod qui positi fuerunt ad legendum logicalia, legant totam logicam in duobus annis, et tam lectores quam studentes in logicalibus et naturalibus insistant potissime circa textum.

Item. Volentes cum effectu fratrum infirmorum indigenciis plenius provideri, volumus et ordinamus, et in virtute sancte obediencie precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, quod singuli priores provinciales vel eorum vicarii de consilio diffinitorum sui provincialis capituli et aliorum discretorum modum convenientem inveniant et ordinent hoc anno in suis provincialibus capitulis de providendo infirmis,

---

2) observasse] observare E. — 22) lectoris] et *add.* G. — 33) volentes *om.* E. — effectu] affectu E. — plenius] plurimum E. — 36) provinciales *om.* E. — 38) providendo] fratribus *add.* E.

ad quem modum firmiter observandum priores conventuales et eorum vicarios obligent per penas graves.

Item. Cum ex insufficiencia predicancium et confessiones audiencium ordo noster veniat in contemptum et vergat in periculum animarum, volumus et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales ac vices eorumdem gerentes diligentissime caveant, ne committant predicacionis officium seu confessionis audienciam nisi fratribus ad hoc ydoneis, moribus et vita et sciencia sufficienter approbatis, adiicientes nichilominus, ne frater exponatur ad predicandum populo, nisi qui in capitulo coram fratribus pluries predicaverit in vulgari; nec aliquis admittatur ad confessionum audienciam, nisi iudicio discretorum sufficienter instructus fuerit in casibus et aliis ad huiusmodi officium requisitis.

Item. Cum secundum sentenciam apostoli servos Christi non deceat litigare, precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, ne frater de cetero quoquomodo verbo vel scripto (se) de placitis seu negociis secularibus ex se odiosis aliquatenus se intromittat, nisi in casu aliquo multum utili et necessario eius priori provinciali vel conventuali, communicato super hoc plurium discretorum consilio, aliud videretur. Nullusque, cuiuscumque condicionis aut auctoritatis existat, sub eodem tenore precepti de guerris aut guerrarum negociis se presumat intromittere directe vel indirecte, alioquin ex vi presentis statuti se reputet condempnatum ad penam carceris.

Item. Cum sathanas frequenter se in angelum lucis transfiguret, ordinamus et imponimus fratribus universis, ut constitucionem de litteris testimonialibus ab itinerantibus deferendis diligenter observent, nec sine huiusmodi litteris de licencia et causa vie sue facientibus mencionem de conventu ad conventum (non) transeant. Quicumque autem sine talibus litteris ad conventum aliquem accesserint, nisi essent persone tam spectabiles, quod de eorum condicionibus non posset dubitari aliquatenus, ibidem graviter puniantur. Fratres vero fugitivi et inutiliter sine licencia priorum discurrentes pena graviori culpe debita puniantur.

Item. Ut detractores deo odibiles de suis excessibus compescantur, volumus et ordinamus, quod quicumque frater fratrem alium scienter apud extraneos diffamaverit aut crimen falsum imposuerit, postquam de hoc legitime constiterit, pena gravioris culpe, omni dilacione postposita, puniatur.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne frater, cuiuscumque

---

7) seu *om.* E. — ydoneis] in E. — 8) et vita *om.* G. — 9) nichilominus ne] ut nullus G. — 13) deceat] liceat G. — 15) ne] ut G. — 16) se *ante* de *om.* G. — 20) sub — precepti *om.* E. — 25) nec] ut G. — 26) facientibus] ibi *add.* E. — 29) aliquatenus] aliqualiter G. — 32) de] a G.

condicionis aut gradus existat, ad curiam Romanam accedat nec in eadem curia stet sine eiusdem magistri licencia speciali, de qua per litteras magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem et in curia procuratori ordinis eandem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, voce et omnibus graciis ordinis sit privatus, et nichilominus sentenciam excommunicacionis ipso facto se noverit incurrisse. .Quam sentenciam excommunicacionis dictus magister coram diffinitoribus protulit iuridice in diffinitorio de diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sentencia sibi soli retinens et reservans. Concedit tamen magister ordinis priori provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie, secundum quod honori ordinis et eorum negociis viderit expedire. Postquam vero fratres de licencia, prout permittitur, curiam intraverint, infra ·iii· dies a procuratore ordinis statuta et ordinaciones in curia factas de cortesanis teneantur petere per preceptum.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Denunciamus fratribus universis, quod tenentur ad suffragia pro fratre Arnando Barrani diffinitore provincie Terre sancte, qui mortuus est in via, rediens de capitulo generali Podiensi.

Sentencias iudicum approbamus.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Gaufridum de Serans de conventu Parisiensi provincie Francie (1), et quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias pro anno sequenti ibidem fratrem Bonifacium de Piguena de provincia Romana.

Assignamus lectorem in conventu Bononiensi fratrem Franciscum de Belluno, sacre theologie magistrum (2), et ad legendum sentencias in eodem conventu assignamus fratrem Franciscum de Tervisio (3).

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de lectoribus, bachalaureis, magistris studencium et biblie provideat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Ponimus vicarium in provincia Francie fratrem Herbertum Senonensem, priorem Parisiensem (4), donec prior provincialis in eadem provincia sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

17) denunciamus — approbamus *om.* E. — 22) Gaufridum] Oaifridum E. — Serans] Cerens G. — 23) pro *om.* E. — 24) Piguena] Pinqua G. — 27) in eodem conventu] ibidem G. — 28) committimus — eadem *ante* sequens *om.* E. — committimus — expedire *om.* H.

(1) De fr. Gaufrido de Serans cf. DENIFLE l. c. nn. 1089, 1092.

(2) De fr. Francisco de Belluno cf. supra pag. 290 l. 34.

(3) Franciscum de Belluno a Francisco de Tervisio esse distinguendum, minime verisimile arbitratur DENIFLE l. c. pag. 592.

(4) De fr. Herberto Senen. cf. supra pag. 242 l. 7.

Ponimus vicarium in provincia Provincie fratrem Parisium Parisii lectorem Avinionensem, magistrum in theologia (1), donec prior provincialis sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Bononiensi provincie Lombardie inferioris; et ordinamus, quod diffinitores, qui futuro anno diffinient, illuc dominica infra octavam ascensionis veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante sextam feriam vigiliam pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione ad capitulum veniendi de suo conventu iter arripuerit, ipso facto omni voce sit privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Ponimus vicarium generalem in conventibus Sicilie fratrem Iacobum de Ficara.

Expliciunt acta capituli generalis apud Brivam celebrati.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XC.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD BONONIAM CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°·CCC°·XLVII°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris conventualis et institucione supprioris, ubi dicitur: fratres autem post annos quatuor a professione, deleatur: quatuor, et dicatur: decem.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: infra quinquennium vero ab ingressu ordinis, deleatur hoc, et dicatur: infra decennium vero a professione.

Item hanc: In ordinario de oracionibus dicendis in missa, ubi dicitur: a deus omnium usque ad adventum, feria tercia, secunda oracio de beato Dominico, tercia: deus omnium fidelium, addatur: si vero missa de beato Dominico fuerit, secunda de sancto Thoma de Aquino.

Item. Quod de beato Petro confessore, quondam papa Celestino, fiat memoria ·xvi· kalendas iunii (2).

5) et — celebrati *om.* E. — 26) capitulo de *om.* G. — infra *om.* E.

(1) De fr. Parisio Parisii cf. supra pag. 251 l. 21.

(2) De s. Petro Caelestino cf. supra pag. 66 l. 6 sqq.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione priorum provincialium, ubi dicitur: tres de ipsis electoribus aliis ab electo etc., deleatur totum usque ibi: si vero post confirmacionem etc.

Item. In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: et confirmacione priorum provincialium, quando de suis provinciis assumuntur, hoc totum deleatur. Et hec habet ·ii· capitula.

Item hanc: Quod de sancto Vincencio fiat festum totum duplex. Et hec habet ·ii· capitula. Et hoc in calendario et ordinario suis locis annotetur; magister autem de sequencia providebit.

Iste sunt ordinaciones.

Cum ordo noster in soliditate veritatis fundatus, de scienciis vanis et curiosis non curans, veritati sciencie et doctrine semper studuerit virtute constancie inherere, imponimus districte fratribus universis, quod nullus legendo, determinando, respondendo audeat assertive tenere contrarium eius, quod in communi doctrina continetur, et quod contra opinionem doctoris venerabilis sancti Thome communiter creditur extitisse, nec determinare presumat nec recitare aut confirmare aliquam singularem opinionem contra communem doctorum sentenciam in hiis, que ad fidem vel mores pertinere noscuntur, nisi reprobando et statim obiectionibus respondendo. Quicumque autem per provincialem vel eius vicarium, qui super hiis requirere teneantur, ex certa sciencia in aliquo premissorum inventus fuerit deliquisse, per eosdem cum legitime constiterit, a lectoratus officio vel studio absolvatur in penam, si tamen alias de huiusmodi sit notatus. Quod si ex talibus opinionibus scandalum sit subortum, volumus, quod acrius puniatur et ad revocandum nichilominus compellatur (1).

Item. Volumus et ordinamus, quod provinciales et diffinitores capitulorum provincialium teneantur tam de lectoribus quam sublectoribus sufficientibus providere, de quorum sufficiencia per preceptum inquirere teneatur provincialis in sua visitacione, et ipse cum diffinitoribus in provinciali capitulo a fratribus litteratis et fide dignis, qui super hoc valeant testimonium ydoneum perhibere. Ipsi autem lectores et sublectores assignati suas teneantur continuare lectiones; omnes vero fratres singulis diebus ad scolas vadant lectorum principalium, et ibidem lectiones au-

4) etc. *om.* G. — 9) hec] similiter *add.* G. — 12) noster] a spiritu sancto *add.* E. — de scienciis *om.* I. — 14) fratribus *om.* I. — 15) nullus] frater *add.* E. — 16) quod *post* et *om.* E. — 20) vel] ad *add* E. — 21) obiectionibus] conclusionibus I. — 22) qui *om.* I. — ex *om.* G. — 24) vel] et I. — alias *om.* I. — 26) subortum] exortum E. — 29) quam] de *add.* I. — 30) de quorum sufficiencia] quod G; *om.* I. — 31) visitacione] provincia G. — visitacione et *om.* EI.

(1) De eodem argumento cf. supra pag. 308 l. 4 sqq.

diant, alias illa die a vino vel pitancia sine dispensacione abstineant, si eos sine causa racionabili vel licencia speciali deesse contingat. Priores autem observatores ponant, qui in hoc excedentes notent et denuncient, et transgressores predictos taxatas penas faciant observare. Priores autem et eorum vicarii, qui inventi fuerint premissa cum diligencia non observasse et reos in hoc non punivisse, a suis officiis absolvantur in penam nec illo anno possint resumi ad officium prioratus vel eciam lectoratus, eorum autem vicarii locum presidentis tenere non valeant infra annum (1).

Item. De mittendis ad studia ordinamus, quod nullus ad studium loycale mittatur, nisi saltem in ordine duobus annis fuerit religiose conversatus vel alias in seculo fuerit etate provectus et in grammaticalibus sufficienter instructus. Ad naturarum vero studium nullus mittatur, nisi in grammaticalibus et logicalibus fuerit sufficienter instructus testimonio lectorum, magistri studencium et sublectorum, de cuius sufficiencia per preceptum a priore provinciali vel eius vicario, seu visitatore requiratur. Ad sentencias vero audiendas non mittantur fratres, nisi in naturalibus testimonio premissorum sub precepto requisitorum fuerint sufficienter instructi. Volumus autem et ordinamus, quod in studiis tam logicalibus quam naturalibus, repetantur singulis diebus lectiones per magistrum studencium vel fratrem alium ydoneum, qui ad hoc officium per priorem, lectorem et sublectorem fuerit deputatus. Lectiones autem studentes in dictis studiis reddant suis magistris vel semel vel pluries in qualibet septimana. Ad generale autem studium nullus mittatur, nisi ordine premisso in logicalibus et naturalibus sufficienter profecerit et saltem duobus annis in aliquo particulari studio sentencias audierit, et testimonio lectoris et cursoris et magistri studencium per preceptum requisitorum de eo spes multum probabilis habeatur, quod ad lectoratus officium ydoneus sit futurus. In ipsis vero studiis generalibus magistri studencium ad partem, nisi legitimum impedimentum occurrat, disputent omni septimana per totum annum saltem semel; illi vero, qui legerunt sentencias in studiis theologie, anno sequenti sint ibi magistri studencium et phylosophiam moralem legere teneantur. Qui autem positi fuerint ad legendum logicalia, legant totam logicam in duobus annis, et tam lectores quam studentes in logicalibus et naturalibus insistant potissime circa tex-

1) vel] a *add.* E. — 2) vel] de *add.* I. — 7) prioratus vel eciam *om.* I. — 8) presidentis] presidencium I. — 10) mittendis] mittendo I. — 11) loycale] logice E. — 13) sufficienter *om.* EI. — studium] studia E. — 15) lectorum] et *add.* E. — 17) vero *om.* E. — in *om.* E. — 19) logicalibus] loycalium I. — 20) naturalibus] naturalium I. — 23) vel *ante* semel *om.* G. — 25) premisso] premissorum E. — 27) testimonio lectoris] per testimonium E. — studencium *om.* I.

(1) Idem legitur in cap. praecedenti pag. 307 l. 22 sqq.

tum. Precipit autem magister ordinis in virtute spiritus sancti et sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus ac diffinitoribus capitulorum provincialium et visitatoribus, quod ipsi de sufficiencia predictorum studencium in moribus et litteris et doctrina lectorum et modo legendi diligenter inquirant, onerans eorum consciencias apud deum, quod premissa omnia et singula observent et faciant communiter et [ab] omnibus observari (1).

Item. Mandamus et iniungimus prioribus provincialibus et conventualibus universis, quod constituciones de predicatoribus instituendis observent et faciant inviolabiliter observari, nec alicui committatur predicacionis officium, nisi sit vita et moribus approbatus, et antequam instituantur, examinentur et compellantur predicare coram fratribus in capitulo in latino vel vulgari, prout fuerit consuetum.

Item. Ad subtrahendum studentibus evagandi materiam ac discursus inutiles compescendos ordinamus et volumus, quod priores conventuales vel eorum vicarii fratres quibuscumque studiis deputatos extra terminos suorum conventuum licenciare non possint sine provincialis vel sui vicarii licencia speciali, nisi pro gravi infirmitate parentum vel eorum morte vel ad evitandum grave scandalum ordinis vel pro evidenti utilitate conventus.

Item. Ne studentes propter defectum librorum et aliorum necessariorum a suis studiis retrahantur, iniungimus prioribus provincialibus et conventualibus eorumque vicariis, ut de libris necessariis secundum condicionem studii et studencium provideant, et in omnibus dictos studentes benigne pertractent et faciant pertractari.

Item. Cum servos dei non deceat litigare, inhibemus fratribus universis, ne coram quocumque conservatore ordinis per sedem apostolicam deputato pro quacumque causa vel negocio quamcumque personam citari faciant vel litem moveant sine sui prioris provincialis licencia speciali; qui dictam licenciam non concedat nisi causa prius diligenter examinata, si ipse cum consilio discretorum iudicaverit, quod sit necessarium pro honore ordinis litigare.

Inhibemus autem districtissime, ne fratres cessiones dubias a quibuscumque extra ordinem recipiant et in casu, quo cessiones omni carentes dubio receperint, ullo modo lites moveant pro eisdem. Fratres eciam singulares pro causis et negociis personas eorum tangentibus in propriis personis non litigent coram quibuscumque iudicibus ecclesiasticis

---

1) autem] reverendus pater *add.* I. — spiritus sancti et *om.* G. — 5) et] de *ante* doctrina *add.* I. — 6) premissa *om.* I. — 23) eorumque] ac eorum G. — 26) deceat] liceat I. — 33) districtissime *om.* E.

---

(1) Cf. supra pag. 309 l. 6 sqq.

vel secularibus, sed omnia deducantur per communem sindicum, a priore cum consensu conventus vel maioris partis ipsius in capitulo deputatum.

Item. Mandamus et imponimus prioribus et fratribus universis, quod constitucionem de non procurandis promocionibus per personas extra obedienciam ordinis constitutas cum omnibus clausulis ibidem positis observent et faciant observari. Quicumque autem contrarium fecerint, preter penam ibidem taxatam, ipso facto gravioris culpe penam incurrant.

Item. Ne quid inhonestum in nostris fratribus appareat, quod oculos extraneorum offendat, imponimus prioribus universis et eorum vicariis, quod in combinacionibus fratrum extra conventum ad quecumque loca pergencium diligenter advertant, quod semper altera pars copule sit honesta, secura et matura.

Quicumque autem frater petens licenciam eundi extra conventum socium determinatum sibi dari pecierit, ipso facto illo socio sit privatus nec ei possit per quemcumque presidentem dari in socium illa vice.

Item. Cum ex eo, quod aliqui extra commune dormitorium cameras habent et loca specialia ad iacendum, propter quod multe deordinaciones subsequuntur, inhibemus prioribus universis et eorum vicariis, ne alicui concedant alia loca extra clausuram dormitorii, nisi causa infirmitatis vel debilitatis notabilis vel fratribus emerite senectutis et illis, quibus racione gradus vel officii fuit actenus concessum communiter per ordinem, quod provideretur de loco vel camera speciali.

Item. Districtione omni, qua possumus, imponimus prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus ac diffinitoribus capitulorum provincialium, quod ipsi provideant et ordinent cum effectu singulari in provinciis suis, quod in eis studia particularia theologie, naturalium et loycalium habeant.

Item. Imponimus prioribus et supprioribus universis, quod acta capitulorum generalium et provincialium legi faciant in suis conventibus ad minus semel in quolibet mense et faciant a suis subditis observari. Quicumque vero contrarium fecerint, in penam a suis officiis absolvantur. Super quo visitatores diligenter inquirant et ad generale vel provinciale capitulum deferant, quos in hoc invenerint negligentes, et secundum culparum exigenciam puniantur.

Item. Mandamus prioribus provincialibus et conventualibus universis, quod conclusiones omnium privilegiorum ordini nostro per sedem apo-

6) positis] ab omnibus *add.* E. — 16) dari *om.* E. — 19) propter — loca *om* E. — 24) loco vel *om.* E. — 25) imponimus] inhibemus EG. — 29) naturalium et loycalium] naturarum ac loyce G. — 32) et faciant *om.* E. — 34) super] pro G. — 38) ordini nostro *om.* G.

stolicam concessorum, que in suis conventibus habentur, integraliter mittant ad sequens capitulum generale.

Item. Ordinacionem de fratribus fugitivis factam in precedenti capitulo generali volumus ab omnibus observari videlicet, quod fratres fugitivi et inutiliter sine suorum priorum licencia discurrentes pena graviori culpe debita puniantur (1).

Item. Ad refrenandum excessus quorumdam abutencium graciis eisdem concessis, gracias omnes seu licencias generales vel exemptorias sub quacumque forma verborum concessas fratribus quibuscumque sive per magistrum ordinis sive per priores provinciales vel alios quoscumque revocamus et penitus annullamus, mandantes prioribus provincialibus, quod tales gracias seu licencias generales, per quas subditi a potestate prelatorum suorum eximantur, de cetero non concedant.

Item. Quantum possumus inhibemus, ne fratres post professionem in ordine nostro factam ad religionem aliam de licencia transeuntes, postquam in ea professionem expressam fecerint, recipiantur ad ordinem nostrum iterato.

Concedimus provincie Yspanie unam domum, ponendam apud Lapidem fixum.

Mandamus fratribus universis tam inquisitoribus quam aliis, ut mandatum apostolicum in presenti capitulo nobis factum de confutando hereses Dulcini et suorum seguacium (2) diligenter in suis provinciis exequantur; quod ut melius fieri pôssit, precipit magister ordinis omnibus et singulis diffinitoribus, ut dicte littere apostolice copiam secum ferant et faciant ab omnibus prioribus in suis provincialibus capitulis copiari.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: regni Sicilie et facimus eum lectorem in conventu Adversano, et Ungarie.

Item. Priores conventuales Reginum, Mantuanum, Esinum, s. Severini, Faventinum et Ripanum.

Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in presenti capitulo non resumantur ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus isto anno.

Summa missarum pro vivis quinquaginta sex.

---

7) item — concedant *om.* E.— 22) provinciis] regionibus G. — 24) copiam] copiari G. — 26) iste sunt *om.* E. — 27) hos *om.* G. — 28) Adversano] Aversano I. — et — approbamus *om.* E. — 29) item] et G. — Mantuanum *om.* I. — 30) Faventinum] Fanensem G. — 31) et ordinamus *om.* I. — 32) in — conventibus *om.* I. — 34) summa — tres] Ista sunt suffragia pro vivis, misse sunt summarie quadraginta octo; ista sunt suffragia pro defunctis: misse sunt summarie viginti G.

---

(1) Cf. supra pag. 310 l. 23 sqq.

(2) De haeresi Dulcini cf. MÖHLER Kirchengeschichte II, 631.

Summa missarum pro mortuis triginta tres.

Pro qualibet missa superius posita clericus non sacerdos ·vii· psalmos cum letania et conversus ·c· pater noster et ·c· ave Maria dicant.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Item. Mandamus fratribus universis, quod in omnibus missis conventualibus, postquam fuerit dictum pater noster, prostrati dicant psalmum: Letatus sum, cum versiculis: Salvum fac regem, etc. Salvum fac populum tuum etc. Fiat pax etc. cum oracionibus: Ecclesie tue; Hostium nostrorum; Deus, a quo sancta etc.

Iste sunt instituciones.

Instituimus et facimus priorem provincialem in provincia Grecie fratrem Nicholaum de Cortello de Candia, de provincia Grecie.

Item. Facimus vicarium generalem in conventibus Dalmacie fratrem Nicholaum de Ancona de provincia Lombardie inferioris.

Item. Ponimus vicarium generalem in societate peregrinancium propter Christum fratrem Iohannem Libellum de provincia Lombardie superioris.

Item. Instituimus vicarium in provincia regni Sicilie fratrem Franciscum de Ebullo, donec prior provincialis in dicta provincia sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Ponimus vicarium in provincia Ungarie fratrem Iohannem Iaurinensem, priorem Budensem, donec prior provincialis sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu, prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod mittant infra sequens capitulum generale fratri Rostagno de Anseduna, procuratori ordinis in Romana curia, tres florenos pro qualibet provincia pro anno presenti, et pro anno preterito tres alios florenos, qui non solverunt.

Item. Quelibet provincia duos florenos pro expensis factis per eum pro litteris papalibus privilegiorum et quibusdam aliis. Qui vero non solverunt sub eodem tenore precepti infra natale domini proxime futurum satisfacere teneantur.

Denunciamus fratribus universis, quod tenentur ad suffragia pro fratre Raffo (1), quondam provinciali Grecie, qui obiit anno preterito redeundo de capitulo generali.

Item. Pro fratre Iohanne de Turre priore Toletano, socio diffinitoris Hispanie, qui obiit veniendo ad presens capitulum generale.

---

12) Cortello] Corsello G. — 19) in dicta provincia *om.* E. — 22) Iaurinensem] Iaurena E. — 25) quod] ut G. — 26) Anseduna] Ansede G. — 27) anno *om.* E. — 31) Raffo] Raphaele E. — 36) Turre] Tribus E.

---

(1) De fr. Raffo de Magdalena cf. supra pag. 267 l. 24.

Sentencias iudicum approbamus.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias in conventu Bononiensi fratrem Franciscum de Utino (1).

Assignamus ad legendum sentencias Parisius anno isto fratrem Bonifacium de Picena de Romana provincia (2) et quantum nostra interest, assignamus ad legendum ibi sentencias pro anno sequenti fratrem Bartholomeum de Ansiacho (3) de provincia Francie ordinantes, quod si dictum fratrem Bartholomeum casu aliquo contigerit impediri, frater Iohannes de Siaco (4) leget ibidem loco eius.

Assignamus ad legendum bibliam Parisius isto anno fratrem Iohannem de Celleriis (5) de conventu Metensi, et eidem substituimus et assignamus ad legendum ibidem bibliam fratrem Iohannem de Auriaco de conventu Parisiensi, ut legat in casu, quo dictum fratrem Iohannem de Celeriis contingeret impediri.

Assignamus lectorem in conventu Avinionensi fratrem Bernardum Baliste, magistrum in theologia (6).

Item. Fratrem Guillielmum Grossi, priorem Avinionensem, absolvimus ab officio prioratus et eum conventui Montispessulani pro lectore assignamus (7).

Denunciamus fratribus universis, quod nos ad peticionem serenissimi principis et magnifici Caroli regis Romanorum illustris assignamus et ponimus studium generale in conventu Pragensi de provincia Bohemie; dicto autem conventui Pragensi lectorem assignamus fratrem Iohannem de Tambaco, magistrum in theologia in provincia Theutonie (8).

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de lectoribus, bachalaureis, cursoribus et lectoribus biblie provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

---

2) iste sunt *om.* E. — 4) de Utino] Utinensem de conventu Bononiensi E. — 6) Picena] Pichona H. — 8) Ansiacho] Ansico G. — ordinantes — lectore assignamus *om.* E. — 10) Iohannes] Iacobus GH. — 12) Celleriis] Celleciis: Cellererris H. — 21) nos *om.* E — 23) Pragensi *om.* G. — 24) assignamus] damus in G. — 25) in provincia] provincie G. — 26) committimus — expedire *om.* E.

---

(1) De fr. Francisco de Utino cf. Denifle *Archiv* II pag. 225.

(2) De fr. Bonifacio de Picena cf. supra pag. 311 l. 24.

(3) De fr. Bartholomaeo de Ansiacho cf. Denifle l. c. pag. 223; *Chartularium* l. c. pag. 604.

(4) De fr. Ioanne de Siaco cf. Denifle l. c. pag. 648.

(5) De fr. Ioanne de Celleriis cf. Denifle l. c. n. 619.

(6) De fr. Bernardo Baliste cf. Denifle l. c. pag. 600.

(7) De fr. Guilelmo Grossi cf. supra pag. 283 l. 4.

(8) De fr. Ioanne de Tambaco cf. Denifle l. c. pag. 603 sqq.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, ne frater, cuiuscumque condicionis aut status existat, ad Romanam curiam accedat vel de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine eiusdem magistri ordinis licencia speciali, de qua per litteras eiusdem magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem; et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sentenciam iuridice excommunicacionis late sentencie, ipso facto noverit se incurrisse, quam sentenciam magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sentencia sibi soli retinens et reservans.

Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres. Concedit eciam magister ordinis priori provinciali provincie Provincie vel vicario provincie illius, in qua nunc est curia vel erit pro tempore, quod ipse cum diffinitoribus sui provincialis capituli modum inveniant, per quem refrenato discursu illius provincie ad curiam formam statuant, secundum quam provincialis illius provincie licenciare possit fratres suos ad dictam curiam; quam ordinacionem teneatur provincialis vel vicarius provincie et diffinitores absque dilacione magistro ordinis mittere, ut ipse modificet et confirmet. Omnem autem licenciam et potestatem licenciandi, a magistro ordinis quibuscumque concessam, revocat magister ordinis et annullat de diffinitorum consilio et assensu. Concedit tamen magister ordinis provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum negociis viderit expedire.

Postquam vero fratres, ut premittitur, curiam intraverint, infra tres dies a procuratore statuta et ordinaciones in curia factas de cortesanis teneantur petere per preceptum.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Lugdunensi in provincia Francie, et volumus et ordinamus, quod diffinitores, qui sequenti anno diffinient, illuc veniant dominica infra octavam ascensionis.

---

2) fratribus universis *om.* E. — 3) vel — accedendi] nec in eadem curia stet G. — 5) de qua per] deinde deferat G. — 6) eiusdem *om.* G. — 10) iuridice *om.* G. — late sentencie *om.* G. — 11) sentenciam] excommunicacionis dictus *add.* G. — 12) ipsorum *om.* G. — 13) a dicta sentencia *om.* E. — retinens et *om.* G. — 14) singulis prioribus *om.* G. — 16) necessariis et multum urgentibus *om.* G. — 17) priori *om.* E. — provincie *om.* E. — 18) illius in] eius G. — in — assensu *om.* G. — 30) postquam — preceptum *om.* E. — 34) et volumus — M°·CCC·XLVII°· *om.* E.

Nullus autem frater alius, eciamsi licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante ·vi· feriam vigiliam pentecostes immediate precedentem. Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione ad capitulum veniendi de suo conventu iter arripuerit, ipso facto est voce privatus, ad quam restitui non potest nisi per magistrum vel capitulum generale.

Expliciunt acta capituli generalis apud Bononiam celebrati anno domini ·m°· ccc°· xlvii°·

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCI.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD LUGDUNUM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XLVIII°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: ante tres annos ad minus, addatur: et si fuerit predicator generalis, dicto officio sit privatus.

Item hanc: In ordinario, ubi dicitur: dominica prima ante festum trinitatis et deinceps usque ad primam dominicam augusti etc., deleatur: prima, et dicatur: secunda.

Item hanc: Quod de translacione beati Petri martyris fiat festum totum duplex feria sexta post octavas corporis Christi, et magister ordinis de officio providebit.

Item hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: Ex Maria virgine et homo factus est, deleatur istud: ex Maria virgine et homo factus est, [et] ponatur: simul adoratur et conglorificatur.

Item. In eodem capitulo, ubi dicitur: per totam hebdomadam, addatur: et ad credo in missa ad: Ex Maria virgine et homo factus est.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione prioris conventualis et institucione supprioris, ubi dicitur: Fratres autem post annos quatuor a professione, deleatur: quatuor, et dicatur: decem.

Item. In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: infra vero quinquennium, deleatur: vero quinquennium, et dicatur: infra decennium vero a professione. Et hec habet ·ii· capitula.

---

19) etc. *om.* E. — 22) ordinis *om.* E. — 25) est *om.* E. — deleatur — est et *om.* E. — 31) post] usque ad E. — 32) a professione *om.* E. — 35) vero] ab ingressu ordinis E.

Item hanc: In ordinario de oracionibus dicendis in missa, ubi dicitur: a deus omnium usque ad adventum feria tercia, secunda de beato Dominico, tercia: deus omnium fidelium, addatur: si vero missa de beato Dominico fuerit, secunda erit de sancto Thoma. Et hec habet duo capitula.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Tres de ipsis electoribus aliis ab electo etc., deleatur: tres de ipsis electoribus, et totum, quod sequitur usque ibi: si vero post confirmacionem. Et hec habet ·iii· capitula.

Item hanc: In capitulo de electione magistri, ubi dicitur: et confirmacione priorum provincialium, quando de suis provinciis assumuntur, hoc totum deleatur. Et hec habet .iii· capitula.

Item hanc. Quod de beato Vincencio martire fiat festum totum duplex, et magister ordinis de sequencia providebit. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Cum bona consistencia nostri ordinis in personis ydoneis consistat, et, deo permittente, numerus fratrum nostrorum per communem pestilenciam sit in diversis partibus dimminutus, rogamus fratres universos et eis imponimus, quod in attrahendo bonos et aptos iuvenes ad ordinem sollicitudinem exhibeant diligentem, et recipiantur ad presens in quibuscumque conventibus, eciam si sint de terminis alienis sic tamen, quod iuvenes sic recepti ad illos conventus perpetuo pertineant, in quibus et pro quibus fuerunt recepti; et hoc intelligi volumus de fratribus iam receptis. Priores vero provinciales compellant efficaciter priores conventuales et eorum conventus ad satisfaciendum fratribus, qui expensas fecerunt tam in vestibus quam in aliis pro recepcione iuvenum predictorum. Hanc tamen ordinacionem extendi nolumus ad conventus studiorum generalium, in quibus recepti novicii pertinent ad conventum, pro quibus, non in quibus sunt recepti, et provideatur eis de vestibus et necessariis per eosdem.

Item. Precipit magister ordinis de voluntate et assensu diffinitorum in virtute sancte obediencie fratribus universis, quod opus alchymie non exerceant quoquomodo. Qui vero contrarium fecerint, postquam deprehensi fuerint aut convicti, preter penam inobediencie carceri mancipentur et omnibus graciis ordinis sint privati.

Item. Mandamus et ubique volumus observari, quod apostate, eo ipso quod apostataverint, libris et omnibus sibi appropriatis totaliter

---

4) erit *om.* G. — 8) dicitur *om.* E. — 20) diversis] multis G. — dimminutus] imminutus E. — 34) opus] artis *add.* G.

sint privati, et postquam ab apostasia redierint, nullo modo restituantur eisdem.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu, quod libri fratrum decedencium pro libraria utiles non venundentur, nisi consimiles in communi libraria habeantur. Et idem intelligi volumus de calicibus, reliquiis et iocalibus sacristie, quod non vendantur nec impignorentur nisi in articulo necessitatis et de licencia prioris provincialis. Libri tamen loycalium et naturalis phylosophie et libelli seu quaterni questionum seu sermonum concedantur studentibus et lectoribus et terminariis per priorem de consilio discretorum.

Item. Ut iuvenes ad studia promovendi possint in grammaticalibus et musicalibus fundari sufficienter, mandamus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, quod singuli in provinciis suis provideant de studiis grammatice et musice, tot quot necessaria fuerint pro suis iuvenibus in grammatica et musica instruendis, et provideant dictis studiis grammatice et musice fratribus ordinis vel secularibus ad expensas conventuum, si fuerit opportunum.

Item. Ordinaciones factas in precedenti capitulo generali de pertinentibus ad studia et de studentibus non licenciandis extra terminos suorum conventuum, et de non dando socio, qui vocatus fuerit a petente licenciam, renovamus et volumus eas in suo robore permanere (1).

Item. Ad obviandum maliciis falsariorum et refrenandum excessus quorumdam graciis sibi concessis abutencium, gracias omnes seu licencias generales et exemptorias sub quacumque forma verborum fratribus quibuscumque concessas sive per magistrum ordinis sive per priores provinciales vel eorum vicarios generales revocamus et penitus annullamus.

Concedimus provincie Romane unam domum ponendam, ubi provinciali Romano et diffinitoribus capituli provincialis videbitur expedire.

Item. Concedimus provincie regni Sicilie unam domum ponendam in Ebulo.

Item. Concedimus provincie Terre sancte duas domos, unam ponendam in Iherusalem et aliam in Bethleem.

Item. Rogat magister ordinis, quod si sint aliqui fratres devoti ad sepulchrum domini, significent eidem cum testimonio suorum priorum provincialium, et ipse libenter eos dictis domibus assignabit, dum tamen sint litterati, providi et experti.

---

3) ordinis *om.* G. — 5) venundentur] vendantur E. — 10) et *ante* lectoribus *om.* G. — de] cum G. — 12) musicalibus] musica. G. — 14) grammatice] grammaticalium G. — musice] musicalium G. — 20) socio] socium G. — vocatus] nominatus G. — 21) eas *om.* G. — 33) item] et G.

---

(1) Cf. supra pag. 313 l. 12 sqq.

Item. Concedimus provincie Anglie unam domum ponendam in civitate Vigroniensi (1).

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales Yspanie, Tholosane provincie, Lombardie inferioris et Terre sancte; et priores conventuales Aurelianensem, Beluacensem, Senonensem, Trecensem, Pruvinensem, Bergensem, Condomiensem, Lixoviensem, Kemperliensem, Constanciensem, Nannetensem, Pontensem. Et volumus et ordinamus, quod priores provinciales et conventuales in presenti capitulo absoluti ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus isto anno non resumantur.

Iste sunt instituciones.

Fratrem Robertum de Abbatisvilla absolvimus a prioratu conventus Ambianensis, et dictum fratrem Robertum instituimus et facimus priorem provincialem in provincia Terre sancte.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Tholosana fratrem Heliam de Ferreriis, priorem in monasterio Prulliani, donec prior provincialis eiusdem provincie sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in provincia Lombardie inferioris fratrem Franciscum de Belluno, magistrum in theologia (2), donec prior provincialis eiusdem provincie sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Item. Facimus vicarium generalem in Hibernia fratrem Adam Guarin, donec vicarius generalis dicte nacionis sit electus et per priorem provincialem Anglie confirmatus et in eadem nacione presens extiterit.

Item. Facimus vicarium generalem in conventibus Dalmacie fratrem Nicholaum de Ancona provincie Lombardie inferioris (3).

Iste sunt assignaciones.

Ad legendum sentencias Parisius isto anno assignamus fratrem Bartholomeum de Ansyaco (4) de provincia Francie, et quantum nostra interest ad legendum sentencias ibidem substituimus eidem fratrem Iohannem de Syaco (5) de eadem provincia.

---

1) item — Vigroniensi *om.* G. — 3) absoluciones] priorum provincialium *add.* G. — 5) et] absoluciones priorum conventualium; absolvimus hos *ante* priores *add.* G. — 6) Senonensem *om.* E. — Bergensem] Verocensem *forte* Ebroicensem H. — 14) in provincia] provincie G. — 23) in Hibernia *om.* E. — Guarin] Warim G. — 25) extiterit *om.* G. — 27) provincie] de provincia G. — 30) Ansyaco] Anxiaco G. — quantum nostra interest *om.* G. — 32) eadem] dicta G.

---

(1) « Vigroniensi » intelligas « Vigorniensi » (Worcester).

(2) De fr. Francisco de Belluno cf. supra pag. 311 l. 26.

(3) De fr. Nicolao de Ancona cf. supra pag. 318 l. 14.

(4) De fr. Bartholomaeo de Ansiacho cf. supra pag. 319 l. 8.

(5) De fr. Ioanne de Siaco cf. ibid. l. 10.

Item. Quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias ibidem pro anno sequenti fratrem Guillelmum Sudre (1) de provincia Tholosana.

Item. Quantum nostra interest, assignamus ad legendum bibliam Parisius pro anno sequenti fratrem Iohannem de Ambriaco, postquam frater Iohannes de Scelleriis (2) suas terminaverit lectiones.

Assignamus lectorem in conventu sancti Dominici de Napoli fratrem Benedictum de Campomellis (3).

Item. Assignamus lectorem in conventu Pragensi fratrem Leonem Raticensem.

Assignamus ad legendum sentencias in conventu Bononiensi isto anno fratrem Bernardum Forliniensem; et in conventu Montispessulani fratrem Guillelmum de Blaym de conventu Dyensi.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de lectoribus, bachalaureis, cursoribus et lectoribus biblie provideat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Numerus missarum pro vivis ·xlvi·, pro defunctis ·xv·

Pro qualibet missa quilibet clericus non sacerdos septem psalmos cum letania et quilibet conversus ·c· pater noster cum totidem ave Maria dicant.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod infra sequens capitulum generale tradant seu mittant fratri Rostagno de Anseduna, procuratori ordinis in curia Romana, pro qualibet provincia tres florenos pro anno presenti; sub eodem tenore precepti, qui non satisfecerunt eidem pro preterito, infra natale domini eidem satisfacere teneantur.

Item. Precepit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis in virtute sancte obediencie, ne frater, cuiuscumque condicionis et status existat, ad Romanam curiam accedat nec in eadem curia stet sine eiusdem magistri licencia speciali, de qua fidem faciat

---

5) pro anno sequenti *om.* E. — Ambriaco] Auriaco G; Adriaco H. — 6) Scelleriis] Celleriis E; Soleriis H. — 12) isto anno *om.* E. — Bernardum] Bernardinum E. — Forliniensem] Folliniensem G. — 13) Blaym] Baym E; Blami H. — 18) numerus — ·XV· *om.* E. — 19) pro — solito dicantur *om.* E. — 25) quod] ut G. — Rostagno] Rostanno G. — 28) pro preterito] de preteritis G. — 31) in — obediencie *om.* E. — frater] quicumque *add.* G.

---

(1) De fr. Guilelmo Sudre cf. Denifle l. c. pag. 619.

(2) De fr. Ioanne de Celleriis cf. supra pag. 319 l. 12.

(3) De fr. Benedicto de Campomellis cf. supra pag. 305 l. 4.

per litteras magistri ordinis priori provinciali vel vicario generali sue provincie, antequam de sua provincia exeat, et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur.

Qui vero contrarium fecerit, omnibus graciis ordinis sit privatus, et nichilominus sentenciam excommunicacionis se noverit incurrisse ipso facto, quam excommunicacionis sentenciam magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sentencia sibi soli reservans.

Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod pro negociis ordinis ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Concedit eciam magister ordinis priori provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum negociis viderit expedire. Postquam vero fratres de licencia, ut premittitur, curiam intraverint, infra tres dies a procuratore ordinis sibi statuta et ordinaciones in curia factas de cortesanis teneantur petere per preceptum.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus in conventu Barchinone; et volumus et ordinamus, quod diffinitores, qui sequenti anno diffinient, illuc dominica infra octavas ascensionis veniant.

Nullus autem frater alius, eciamsi licenciam habeat ad capitulum veniendi, locum intret capituli ante feriam ·vi· vigiliam pentecostes immediate precedentem.

Quicumque autem ad capitulum generale sine licencia magistri ordinis venerit vel cum intencione ad capitulum veniendi de conventu iter arripuerit, ipso facto sit omni voce privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum vel capitulum generale.

Expliciunt acta capituli generalis apud Lugdunum celebrati anno domini ·m°·ccc°·xlviii°· Amen.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCII.

---

9) prioribus *om.* E. — 11) ire et *om.* E. — 19) Barchinone] Barchinonensi in provincia Aragonie G. — 25) quicumque] qui G. — 30) amen *om.* G.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD BARCHINONAM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· XLIX°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: unus de fratribus electoribus in qualibet provincia, qui in provinciali capitulo ad hoc electus fuerit, ad diffinicionem pariter cum aliis admittatur, addatur: quod si ad capitulum non venerit, tunc elector alius admittatur.

Item hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: ipso facto sit excommunicatus; quam sentenciam ferimus presenti statuto etc., addatur: et cum hoc libris et omnibus aliis sibi appropriatis totaliter sit privatus; et postquam ab apostasia redierit, nullo modo restituatur eidem aliquid de premissis.

Item hanc: In capitulo de professione, ubi dicitur: usque ad mortem, addatur: dies vero ingressus fratris ad ordinem et professionis eiusdem in libro aliquo conventus, in quo professionem fecerit, diligenter annotetur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: ante tres annos ad minus, addatur: et si fuerit predicator generalis, dicto officio sit privatus. Et hec habet ·ii· capitula.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Detestabiles excessus fratrum in quibusdam provinciis de comestione cum secularibus et extra conventum, utpote dehonestante nimium statum nostrum, moleste ferentes, prioribus provincialibus ac conventualibus et eorum vicariis sub pena absolucionis districte iniungimus, ut illos pena in nostris constitucionibus contenta absque dispensacione quacumque puniant, quos in hoc invenerint deliquisse.

Item. Cum ex eo, quod magistri et bacalaurei expensas faciant in suis principiis notabiliter excessivas, gravantur ipsimet facientes, et paupertas nostra non sine gravi scandalo deformetur, volumus et precipimus in virtute sancte obediencie, quod supradicti magistri et bacalaurei nullas pictancias faciant, nisi forte magistri fratribus unam in die aule sue, non autem in diebus, in quibus suas incipiunt lectiones. Et volu-

---

1) in — amen *om.* E.

mus, quod priores provinciales in suis provinciis consimiles excessus lectorum quorumcumque summopere studeant impedire (1).

Item. Quia tenere pecuniam et iocalia quecumque aurea vel argentea absque licencia extra commune depositum proprietatis vicium sapere videatur manifeste, inhibemus districte fratribus universis, ne excedant in premissis. Quicumque vero contrarium fecisse deprehensi fuerint, vi presentis statuti, rebus, in quibus deliquerunt, sint privati; quas ex nunc eorum conventibus integraliter applicamus (2).

Item. Cum iuxta apostoli dictum servos Christi non deceat litigare, cum districtione, qua possumus, sub pena gravioris culpe prohibemus, ne frater aliquis in quocumque iudicio ecclesiastico vel civili extra nostrum ordinem compareat per se ipsum, sed per communem sindicum conventus sui fratrem aut secularem studeat flagitare, ut ea, que ad ipsum de iudicio pertinent, valeat obtinere.

Item. Quia frequenter malus angelus se in lucis angelum transformat, ordinamus et imponimus fratribus universis, ut constitucionem de litteris testimonialibus ab itinerantibus deferendis et de causa vie sue facientibus mencionem diligenter observent, sine quibus de conventu ad conventum non transeant. Quicumque autem sine talibus litteris ad conventum aliquem accesserint, nisi essent persone spectabiles, per prelatos ibidem graviter puniantur. Fratres vero fugitivos et inutiles sine licencia prioris sui discurrentes pena graviori culpe debita volumus subiacere.

Item. Quia procurare preces vel litteras quarumcumque personarum secularium, ut obtineatur aliquod officium vel ordinacio facta circa fratrem immutetur contra tenorem nostrarum constitucionem est expresse, et ex hoc perturbaciones et inconveniencia in nostro ordine quam plurimum oriantur, volumus et mandamus, quod constitucio in capitulo de itinerantibus, que huiusmodi prohibet, quantum ad omnes sui clausulas diligenter observetur. Quicumque vero contrarium fecisse deprehensi fuerint, preter penam in predicta constitucione positam pena gravioris culpe puniantur.

Item. Quia ex clausura monasteriorum ordini subditorum debite observata honestas eorumdem et sanctitas quamplurimum custoditur et nutritur devocio ad personas seculares, omni districtione, qua possumus, inhibemus, ne per provinciales aut priores sororum vel eorum vicarium dispensaciones fiant, seu concedatur licencia quibuscumque personis in-

---

13) flagitare] placitare E.

---

(1) De eodem argumento cf. supra pag. 286 l. 19 sqq.

(2) Cf. supra pag. 299 l. 5 sqq.

trandi prefata monasteria, nisi secundum formam, que in constitucionibus sororum de ingressu plenius explicatur.

Item. Propter utilitatem, que evidenter consequitur ex ordinacionibus generalium capitulorum Bononiensis et Lugdunensis de studentibus atque studiorum reformacione et de libris fratrum decedencium et de pertinentibus ad sacristiam non distrahendis, ordinaciones ipsas innovamus et volumus cum suis clausulis in suo robore integraliter remanere (1).

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: qui tunc superstites fuerint, quod si quis diffinitorum in priorem provincialem electus et confirmatus fuerit, quantum ad actum diffinitorum debitum, cum racione officii provincialatus diffinire habeat, reputatur non superstes.

Item hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: que restitucio non fiat per eosdem ante tres annos ad minus, intelligatur: non fiat, hoc est, fieri non possit ullo modo.

Tercio declaratum fuit et conclusum, quod mortuo priore provinciali vel amoto, si contingat electionem ipsius provincialis fieri per electores, si conventus aliquis tractaverit ante mortem vel amocionem dicti provincialis de electione socii vel electorum, socius vel electores per talem conventum factus vel electus non est verus socius vel veri electores, sed oportet unum de electoribus factis vel fiendis post mortem ipsius provincialis vel amocionem eligi in socium vel noviter nominari.

Concedimus provincie Lombardie inferioris unam domum ponendam in Murano.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores conventuales: Urgellensem, Callataiubensem et Stellensem; et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in presenti capitulo, isto anno, nullatenus eligantur ad eadem officia in eisdem conventibus.

Iste sunt instituciones.

Fr. Franciscum Utinensem absolvimus ab officio prioratus Tervisini, et eumdem fr. Franciscum, quantum nostra interest, instituimus et facimus in provincia Grecie priorem provincialem (2).

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Gui-

---

17) tercio — Murano *om.* E.

---

(1) Cf. supra pag. 313 l. 28 sqq. et pag. 323 l. 3 sqq.

(2) De fr. Francisco Utinen. cf. supra pag. 319 l. 4.

lielmum Subdre, priorem provincialem Tholosanum (1), et quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias ibidem pro anno sequenti fr. Iohannem de Syaco de provincia Francie (2).

Item. Ad legendum bibliam ibidem isto anno assignamus fratrem Iohannem de Ambriaco (3) et eidem substituimus fr. Guillielmum Buchini lectorem Aurelianensem, quem conventui Parisiensi assignamus.

Item. Assignamus lectorem in conventu Tholosano fratrem Petrum de Maricalmo (4), donec frater Gabertus de Orgolio (5) redierit et officium lectoratus velit et possit ibidem exercere.

Item. In conventu Bononiensi assignamus lectorem fratrem Marcum Veronensem de conventu Bononiensi.

Item. In conventu Barchinone assignamus lectorem fratrem Nicolaum Roselli de provincia Aragonie, magistrum in theologia (6).

Item. In conventu Pragensi assignamus lectorem fratrem Martinum Clatoninensem.

Item. In conventu Avinionensi assignamus lectorem fratrem Henricum, magistrum in theologia, de provincia Tholosana (7).

Item. In conventu Salmantino assignamus lectorem fratrem Alfonsum de Parano.

Item. Assignamus ad legendum sentencias in conventu Tholosano isto anno fr. Raymundum Miseti.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de lectoribus, bacalareis, magistris studencium et lectoribus biblie, quantum ad ea, que per nos non sunt ordinata, provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Precipimus in virtute sancte obediencie fratribus universis, cuiuscumque condicionis existant, ne ad Romanam curiam accedant, nec in eadem curia maneant sine magistri ordinis licencia speciali, de qua fidem faciant per litteras magistri ordinis priori provinciali vel vicario generali sue provincie, antequam de sua provincia exeant, et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneantur. Quicumque vero con-

---

3) Syaco] Gyaco E.

---

(1) De fr. Guilelmo Sudre cf. supra pag. 325 l. 2.
(2) De fr. Ioanne de Syaco cf. supra pag. 324 l. 32.
(3) De fr. Ioanne de Ambriaco cf. supra pag. 325 l. 5.
(4) De fr. Petro de Maricalmo cf. Denifle l. c. pag. 649.
(5) De fr. Gaberto *seu* Gauberto cf. l. c.
(6) De fr. Nicolao Roselli cf. l. c.
(7) De fr. Henrico Giuti cf. Denifle *Archiv II*, 222.

trarium fecerit, voce et omnibus graciis ordinis penitus sit privatus et nichilominus sentenciam iuridice excommunicacionis late sentencie ipso facto noverit se incurrisse; quam sentenciam magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem sibi soli retinens et reservans.

Concedimus tamen prioribus provincialibus vel eorum vicariis generalibus, quod pro negociis ordinis necessariis ad dictam curiam mittere valeant duos fratres. Concedimus eciam provinciali Provincie vel vicario provincie illius, in qua nunc est curia vel erit pro tempore, quod ipse cum diffinitoribus sui provincialis capituli modum inveniant, per quem refrenato discursu illius provincie ad curiam formam statuant, secundum quam provincialis illius provincie licenciare possit fratres suos ad dictam curiam; quam ordinacionem teneatur provincialis vel vicarius provincie et diffinitores absque dilacione magistro ordinis mittere, ut ipse modificet et confirmet. Omnem autem licenciam et potestatem licenciandi a magistro ordinis quibuscumque concessam revocat magister ordinis et annullat de diffinitorum consilio et assensu. Concedit tamen magister ordinis priori provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum negociis viderit expedire. Postquam vero fratres de licencia, ut premittitur, curiam intraverint, infra tres dies a procuratore ordinis statuta et ordinaciones factas in curia de cortesanis teneantur petere per preceptum.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, ut infra sequens capitulum generale mittant fratri Stephano Ecclesie (1) procuratori ordinis in curia Romana, de qualibet provincia racione contribucionis et expensis quinque florenos pro anno presenti; et sub eodem tenore precepti, qui non satisfecerunt eidem pro tempore preterito, infra natale domini sibi satisfacere teneantur.

Denunciamus fratribus universis, quod fratres singuli teneantur ad suffragia pro fratre Beuno diffinitore provincie Lombardie inferioris, et pro fratre Matheo diffinitore provincie Dacie, qui preterito anno in via generalis capituli obierunt.

Committimus et concedimus singulis prioribus provincialibus vel eorum vicesgerentibus, ut quilibet eorum quatuor fratres habiles, sufficientes et voluntarios sue provincie societati fratrum peregrinancium propter Christum in Perside et Africa valeat assignare.

---

5) et assensu — reservans *om.* E.

---

(1) De fr. Stephano Ecclesiae cf. Denifle *Archiv II, 223*.

Summa missarum pro vivis viginti octo.

Summa missarum pro defunctis viginti novem.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Montempessulanum provincie Provincie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno sequenti diffinient, illuc veniant dominica infra octavas ascensionis domini. Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante ·vi· feriam vigiliam pentecostes immediate precedentem. Quicumque autem venerit absque licencia vel cum intencione ad capitulum veniendi iter arripuerit, sit ipso facto omni voce privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

Expliciunt acta capituli generalis apud Barchinonam celebrati anno domini · m°· ccc°· xlviiii°·

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS CELEBRATI APUD MONTEMPESSULANUM ANNO DOMINI · M°· CCC°· L°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: et per totam hebdomadam, addatur: et ad credo in missa ad: ex Maria virgine et homo factus est; et istud medio tempore observetur et radatur de loco, ubi inclinari solummodo mandetur.

Item. Quod de sancta Elisabet tres lectiones per totum ordinem fiant, et magister ordinis de officio providebit.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: unus de fratribus electoribus de qualibet provincia, qui in provinciali capitulo ad hoc electus fuerit, ad diffinicionem pariter cum aliis admittatur, addatur: quod si ad capitulum non venerit, tunc elector alius valeat diffinire. Et hec habet ·ii· capitula.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: ante tres annos ad minus, addatur: et si fuerit predicator generalis, dicto officio sit privatus. Et hec habet ·iii· capitula et in constitucionibus in dicto capitulo annotetur.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

---

5) provincie *om.* E.

Prioribus provincialibus ac eorum vicariis in virtute sancte obediencie, precipimus ac sub pena absolucionis ab officiis eorumdem imponimus, quatenus penitenciam in nostris constitucionibus taxatam comedentibus carnes extra conventum cum secularibus, et eamdem sine licencia equitantibus, cum eis constiterit, faciendam imponant, super quo quantum ad inquisicionem eos esse diligentes volumus; quam penam si facere recusaverint, ipso facto sint voce privati et per superiores suos aliis conventibus assignentur. Si quis autem frater equitaverit vel equitaturam quamcumque habuerit, nisi sit confessor regum aut principum aut socius prelatorum aut inquisitorum, ubi est consuetum, ipsam vendere infra quindenam a noticia presencium habeat, alioquin ipsam equitaturam vel precium eius provinciali sue provincie et diffinitoribus capituli provincialis applicamus, quas sibi restituere non valeant vel donare sub eodem precepto districtius iniungentes; nec volumus, quod fratres et maxime iuvenes ad equitandum licenciari possint, nisi necessitas hoc requirat.

Item. Volumus et ordinamus, quod nec magistri in theologia nec quicumque alii legentes in ordine in aliqua facultate in principiis suis pictancias aliquas faciant, nisi magistri unam solam in die aule sue, alioquin officio sint privati. Volumus autem, quod in predictis diebus secundum facultatem domus commodius ipsi habeantur a conventu. Predicti autem legentes lectiones suas continuent usque ad festum apostolorum Petri et Pauli, et in festo s. Martini ad tardius incipiant, et quicumque de lectione cuiuscumque defuerit sine eiusdem licencia, eadem die extra conventum licenciari non possit.

Item. Volumus et ordinamus, quod fratres itinerantes litteram testimonialem de causa vie sue mencionem facientes expresse secum portent et presidentibus in singulis conventibus presentent, nec locum, ubi conventus est, (non) transeant nec in villa comedant aut iaceant, nisi de licencia prioris conventus eiusdem; quam eis dari nolumus sine causa necessaria et urgente. Alioquin in virtute sancte obediencie precipimus prioribus conventuum predictorum, quatenus ipsos habeant arrestare, quousque penitenciam gravis culpe fecerint; quam si ferre recusaverint, omni voce sint privati ipso facto. Magistros autem in theologia, provinciales, eorum vicarios aut lectores sollempnes vel bacalareos aut predicatores generales aut priores conventuales, maxime infra provinciam suam, ad portandum tales litteras nolumus obligari.

Item. Quod quicumque frater solus extra conventum discurrerit aut sine licencia sui superioris eciam cum alio fratre discurrerit, noverit se gravioris culpe penam incurrisse, quam sub precepto sancte obediencie per presidentem, in cuius terminis repertus fuerit, facere compellatur;

quod si manus suas evaserit, priori provinciali denunciet, ut, quod per eum fieri non potuit, per alium suppleatur.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie, quod in singulis conventibus ordinis infra mensem a noticia presencium presidens una cum tribus antiquioribus de conventu omnes fratres sibi subditos habeat convocare, et de strictura manicarum et de botonis eciam infra manicas non portandis, quantitate capuciorum, cappe secundum formam honestam habeant ordinare; quod si formam ab ipsis datam de predicto habitu non correxerint aut ipse presidens non correxerit in se ipso aut portaverit quantum ad vestes novas et antiquas, ipso facto voce privati sint etc.

Item. Serenitati et securitati consciencarum fratrum providere volentes, omnia et singula precepta generaliter vel singulariter facta in quibuscumque provinciis vel conventibus tam per priores provinciales quam conventuales et ipsorum vicarios simpliciter revocamus. Volumus tamen, quod priores provinciales in suis capitulis provincialibus sub penis privacionis vocum et aliis consimilibus ordinaciones suas et prohibiciones faciant, et easdem sub eisdem penis priores ipsi tam provinciales quam conventuales faciant sedulius observari.

Item. Volumus et ordinamus, quod, nisi sit magister in theologia, postquam frater aliquis quatuor annis continuis lector in eodem conventu fuerit principalis, a dicto lectoratu sit ipso facto amotus, et alius loco ipsius ponatur ibidem.

Item. Mandamus et imponimus, quod magistris actu legentibus Parisius et in provincia Anglie ac bacalareis actu utrobique legentibus, et magistro studencium et biblicis actu legentibus de provincia Francie et Anglie, nacio sua seu visitacio magistro actu regenti habeant ·xx· florenos, et aliis ·xv· florenos annuatim pro suis necessitatibus ministrare. Et volumus, quod priores provinciales ordinent, quod conventus huiusmodi nacionis non equaliter persolvant, sed secundum conventuum facultatem.

Item. Constitucionem, quod priores et lectores in capitulis provincialibus visitatores non ponantur, volumus inviolabiliter observari.

Item. Ordinacionem anni preteriti de clausura monasteriorum sororum ordini subiectorum, de non mendicando, vel procurando aliquod officium infra ordinem per personas seculares, et de non litigando in iudicio exteriori, cum penis appositis innovamus, inhibentes, quod quicumque frater pecuniam aut iocalia teneat in manu cuiuscumque secularis seu cuiuscumque persone extra obedienciam ordinis constitute, quod si infra octo dies aliquis inventus fuerit, in hoc deliquisse, predicta

---

12) generaliter — singulariter] generalium E. — 13) vel conventibus *om.* E.

omnia prioribus provincialibus applicamus; quibus in virtute sancte obediencie precipimus, quod eis talia remittere aut reddere non presumant (1).

Item. Volumus et ordinamus, quod quicumque frater amocionem alterius fratris de conventu procuraverit per manus secularium aut personas exteriores, titulo sedicionis vel prodicionis vel quovis alio scandalo, pene subiaceat gravioris culpe, quam facere per priores provinciales vel conventuales, cum eis constiterit, compellatur; quibus in virtute sancte obediencie precipimus, quod eos compellant facere penitenciam antedictam.

Item. Volumus et ordinamus, quod in singulis conventibus non sint ultra quatuor loca ad comedendum, et quod regulariter ad minus media pars conventus comedat in communi refectorio omni die, quod sit prior vel supprior semper presens, nisi causa valde urgens et necessaria obviaret.

Item. Omnes gracias magistri ordinis exemptorias a choro et refectorio et de cameris tenendis in sanitate, et de exeundo conventum sine licencia speciali presidentis, expresse et simpliciter revocamus, eciamsi dicatur ibi, quod talis gracia non possit revocari, nisi expressa et specialis mencio fiat de eadem.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus: In capitulo de domibus construendis, ubi dicitur: nisi forte illo anno propter fratrum obitum dictus numerus fuerit diminutus etc., intelligitur ille annus propter pestilenciam communem preteritam, quousque per fratrum ad ordinem receptorum multitudinem sufficientem tantus possit reparari defectus, ad quod provinciales dare volumus operam efficacem.

Denunciat magister ordinis fratribus universis, quod pro toto tempore magisterii, quo (fuerit) in officio contigerit eum esse, quod (per) gracias de successione bonorum fratribus quibuscumque datas, concessisse vel concedere non intendit; quod aliquis alteri nisi in libris tantum succedat, nec in illis ultra valorem ·xl· florenorum; et hoc solummodo quoad usum, hoc adiecto, quod de omnibus rebus fratris decedentis quartam partem ille conventus percipiat, qui pro eodem fratre ad suffragia erat obligatus, necnon propter quamcumque assignacionem suam factam aut faciendam in nullo intendit derogare constitucionibus domini nostri pape.

Transferimus ad terminos provincie Provincie villam, que vocatur Columbarium, sitam in terminis provincie Francie in diecesi Viennensi.

---

(1) Cf. supra pag. 328 l. 32 sqq.

Concedimus duas domos provincie Provincie ponendas in locis, de quibus videbitur priori provinciali.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus priores conventuales Aquensem, Albinacii, Podii Cerdani, Barchinonie.

Item. Absolvimus priorem Ruppellensem de provincia Francie in penam.

Item. Absolvimus priorem Londinarum provincie Anglie.

Item. Absolvimus priores provinciales Saxonie, Terre sancte (1), Tholosanum et provincie Francie, ad eius requisiciones et instancias importunas.

Et volumus et ordinamus, quod priores absoluti non resumantur ad eadem officia in eisdem provinciis et conventibus isto anno.

Ponimus vicarium in provincia Tholosana fr. R. de Duroforti, priorem Prulliani, donec prior provincialis sit electus et confirmatus, et presens extiterit in eadem.

Ponimus vicarium in provincia Francie fr. Bartholomeum de Anxiaco, magistrum in theologia (2), donec prior provincialis sit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Ponimus vicarium in provincia Saxonie fr. Corradum de Alberstat (3), magistrum in theologia, donec prior provincialis electus sit et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Iste sunt instituciones.

Fratrem Petrum de Clarenis de provincia Aragonie absolvimus a prioratu Balagariensi et instituimus et facimus eum priorem provincialem in provincia Terre sancte.

Item. Facimus vicarium in eadem provincia fratrem Iacobum de Montichare.

Item. Instituimus et facimus priorem provincialem in provincia Grecie fr. Iohannem de Como de provincia Lombardie superioris.

Item. Facimus vicarium fr. Nicholaum Ceca, priorem Candie, donec prior provincialis presens extiterit in eadem.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno immediate sequenti fratrem Iohannem de Siaco de provincia Francie (4).

---

3) iste — facere teneantur *om.* E.

---

(1) Cf. supra pag. 324 l. 12.

(2) De fr. Bartholomaeo de Ansiaco cf. ibid. l. 30.

(3) De fr. Conrado de Halberstadt cf. supra pag. 283 l. 14.

(4) De fr. Ioanne de Siaco cf. supra pag. 330 l. 3.

Item. Pro anno immediate sequenti, quantum nostra interest, fratrem Bartholomeum lectorem Argentinensem de provincia Theutonie (1).

Assignamus lectorem in conventu Montispessulani fratrem Guilielmum Grossi, magistrum in theologia (2).

In conventu Barchinone fr. Nicholaum Rosselli, magistrum theologie (3).

Ponimus ibidem ad legendum sentencias fr. Iacobum Mathei de eadem provincia.

Item. Ponimus lectorem in conventu Tholosano fr. Aymericum de Magriano (4).

Ponimus ibidem ad legendum sentencias fr. Heliam Raymundi (5).

Item. Ponimus lectorem in conventu Salmantino de provincia Hispanie fr. Alphonsum de Piramo.

Item. Ponimus lectorem in conventu Coloniensi fr. Henricum de Hunnis, magistrum in theologia (6).

Absolvimus priorem Saonensem, fr. Iacobum de Vigono, et ponimus eum lectorem in conventu Mediolani (7).

Item. Ponimus lectorem Londini de provincia Anglie fr. Thomam Hopenian, magistrum in theologia.

Item. Ponimus lectorem in conventu Magdeburgi de provincia Saxonie fr. Conradum de Alberstat, magistrum in theologia (8).

Item. Ponimus lectorem in conventu Budensi de provincia Boemie fr. Martinum Glottovenk.

Item. Ponimus ad legendum sentencias in conventu s. Dominici de Neapoli fr. Laurencium de Anza de provincia regni Sicilie.

Item. Ibidem pro magistro studencium fr. Philippum de Nuxeria de eadem provincia.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de lectoribus, baccalareis, magistris studencium et biblicis provideat, secundum quod iudicaverit honestati ordinis expedire.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus universis, quod nullus frater cu-

---

(1) De fr. Bartholomaeo de Bolsenheim cf. Denifle l. c. pag. 659.
(2) De fr. Guilelmo Grossi cf. supra pag. 319 l. 18.
(3) De fr. Nicolao Rosselli cf. supra pag. 330 l. 13.
(4) De fr. Aymerico de Magriano cf. Denifle l. c. pag. 659.
(5) De fr. Helia Raymundi cf. Denifle l. c.
(6) De fr. Henrico de Hunis cf. SSOP. I, 649; Denifle *Archiv II*, pag. 223.
(7) De fr. Iacobo de Vigono cf. Denifle l. c. pag. 224.
(8) De fr. Conrado de Halberstadt cf. supra pag. 336 l. 20.

iuscumque condicionis et status existat, ad Romanam curiam accedat vel de suo conventu iter assumat cum intencione ad Romanam curiam accedendi sine magistri ordinis licencia speciali; de qua per litteras eiusdem magistri ordinis suo provinciali vel generali vicario sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem; et in curia procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sentenciam iuridice excommunicacionis late sentencie ipso facto noverit se incurrisse; quam sentenciam magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem sibi soli retinens et reservans.

Concedit tamen magister ordinis singulis prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, quod pro negociis ordinis necessariis et multum urgentibus ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Concedit eciam magister ordinis provincie Provincie vel vicario provincie illius, in qua nunc est curia vel erit pro tempore, quod ipse cum diffinitoribus sui provincialis capituli modum inveniant, per quem refrenato discursu illius provincie ad curiam formam statuant, secundum quam provincialis illius provincie licenciare possit fratres suos ad dictam curiam; quam ordinacionem teneatur provincialis vel vicarius provincie et diffinitores absque dilacione magistro ordinis mittere, ut ipse modificet et confirmet. Omnem autem licenciam et potestatem licenciandi a magistro ordinis quibuscumque concessam revocat magister ordinis et annullat de diffinitorum consilio et assensu.

Concedit tamen magister ordinis priori provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum negociis viderit expedire.

Letania et salve regina more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus in Castris provincie Tholosane; et ordinamus, quod diffinitores, qui futuro anno diffinient, illuc dominica infra octavam ascensionis domini veniant.

Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante feriam ·vi· vigiliam pentecostes immediate precedentem. Quicumque autem venerit absque licencia ad capitulum generale, sit ipso facto voce privatus et penam culpe gravis facere teneatur.

Noverint universi fratres, reverendum patrem magistrum ordinis sequentem ordinacionem fecisse et nobis per speciales litteras destinasse presenti statuto videlicet: in virtute s. obediencie precipio fratribus universis et singulis ordinis nostri ipsosque moneo pro primo, secundo et tercio, ne aliquis per potestatem aliquam secularem, litteras aut aliam

viam qualemcumque directe vel indirecte, mediate vel immediate mutacionem aut revocacionem fratris aut fratrum de conventu ad conventum sive de provincia ad provinciam aut citacionem, vocacionem ad presenciam cuiuscumque secularis persone aut inpedimentum cuiuscumque ordinacionis prelatorum ordinis procuret. Omnem vero oppositum facientem ex nunc pro tunc prefata trina monicione previa seu premissa excommunico in scriptis de diffinitorum unanimi consilio et assensu, quam quidem sentenciam quemlibet talem volo incurrere ipso facto, cuius sentencie absolucionem michi et solis provincialibus retineo et reservo.

Datum in nostro capitulo generali in Montepessulano anno domini ·m·ccc· quinquagesimo.

Expliciunt acta capituli generalis apud Montempessulanum celebrati anno domini ·m°· ccc°· l°·

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCIII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS IN CASTRIS CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· LII°.

Hec sunt inchoaciones.

Incipimus hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: Si autem post dictum festum magister decesserit, addatur sic: vel amotus fuerit. Et ibidem cum subditur: ipsius obitus, addatur: vel amocio.

Item. Inchoamus hanc: In ordinario in rubrica, ubi dicitur: de officio beate virginis, ab octavis epiphanie usque ad septuagesimam in omnibus sabbatis, [et] nisi festum simplex vel maius occurrerit, deleatur, quod dicitur: in omnibus sabbatis et nisi festum simplex vel maius occurrerit, et addatur sic: in omnibus sabbatis anni, preterquam a sabbato ante dominicam in quadragesima, usque ad octavas pasche inclusive, nisi festum simplex vel maius occurrerit et preterquam infra octavas alicuius sancti, quando de eis agitur, et in vigiliis sanctorum, que propriam habent missam, et in sabbatis quatuor temporum.

15) amen] ·M·CCC·LI°· non fuit capitulum generale propter vacacionem magisterii ordinis *add. in marg.* E. — In isto capitulo magister Simon de Lingonis electus fuit in magistrum ordinis *add. in marg.* E.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi sic dicitur: Carcerali custodie mancipetur, addatur sic: si quis eciam alteri fratri ordinis vel ipsi ordini crimen falso imposuerit, propter quod crimen secundum nostrarum seriem constitucionum frater aliquis carcerem mereretur, aut huiusmodi fratrum crimina secularibus personis aut extra obedienciam nostri ordinis constitutis revelaverit, unde ordinis vel fratris infamia seu dampnum fuerint subsecuta, modo simili carceri mancipetur. Et nolumus, quod huiusmodi ordinis destructores possint nisi per magistrum ordinis vel generale capitulum liberari. Idem dicimus de fratribus, qui inventi fuerint lusisse ad taxillos, [quos] eciam pene carceris volumus subiacere. Et volumus et ordinamus, quod in isto intermedio tempore hec diligenter et totaliter observentur.

Item. Inchoamus hanc: In ordinario in rubrica de matutinis in sero post completorium dicendis, ubi dicitur: usque ad festum b. Augustini inclusive, deleatur, quod immediate sequitur: et in festo s. Marie Magdalene.

Item. Inchoamus hanc: In ordinacionibus ordinis per dominum papam Iohannem [factis] vim constitucionum habentibus, que in fine constitucionum nostrarum sunt posite, in capitulo de electionibus, ubi dicitur: nisi pro officio lectorie, addatur: vel prioratus.

Item. Inchoamus hanc: quod singulis diebus, in quibus de beatis Dominico et Petro martyre fit memoria in fine matutinarum et vesperarum, fiat eciam memoria de beato et sancto doctore glorioso Thoma de Aquino post predictas, videlicet pro matutinis per antiphonam: Collaudetur Christus, cum versu: Rigans montes; in vesperis vero per antiphonam: O Thoma, cum versu: Declaracio sermonum. Et hec omnia superius inchoata medio tempore volumus integraliter observari.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: et per totam ebdomadam, addatur sic: et ad credo in missa ad: ex Maria virgine et homo factus est; et amoveatur de loco, ubi solum inclinari mandatur; et hoc medio tempore observetur. Et hec habet duo capitula.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: unus de fratribus electoribus de qualibet provincia, qui in capitulo provinciali ad hoc electus fuerit, ad diffinicionem cum aliis patribus pariter admittatur, addatur sic: Quod si ad capitulum non venerit, tunc ad diffinicionem elector alius admittatur. Et hec habet tria capitula, et in constitucionibus in dicto capitulo adnotetur.

Iste sunt ordinaciones, admoniciones et precepta.

Cum ordo noster in soliditate veritatis fundatus, de scienciis vanis et curiosis non curans, sane sciencie et doctrine semper studuerit firmiter

inherere, districte imponimus fratribus universis, quatenus legendo, respondendo et determinando nullus audeat assertive tenere contrarium eius, quod in communi doctrina continetur et quod contra opinionem doctoris venerabilis sancti Thome de Aquino communiter creditur extitisse. Quicumque autem per priorem provincialem vel eius vicarium, qui super hiis diligenter inquirere teneantur, in predictis inventus fuerit deliquisse, per eosdem a lectoratus officio vel alia quavis lectione seu studio absolvatur.

Item. Volumus et ordinamus, quod quicumque frater solus extra suam provinciam vel eciam extra conventum sine licencia sui superioris, eciam cum alio fratre discurrerit, penam gravioris culpe se noverit incurrisse; quam sub precepto sancte obediencie per presidentem, in cuius terminis repertus fuerit, facere compellatur. Predictam autem licenciam suorum prelatorum omnes fratres preterquam priores provinciales ubique et magistri et baccalarei in theologia et priores conventuales et fratres, qui generalium aut provincialium capitulorum fuerunt diffinitores, quando tamen infra suam provinciam discurrerint, per litteras testimoniales infra unam diem presidenti in conventu, ad quem eos contigerit declinare, ostendere teneantur; adiicientes predictis, quod in loco, ubi conventum habemus, fratres quicumque in villa non comedant aut iaceant quoquo modo, nisi de prioris vel presidentis illius conventus licencia speciali, quam eis dare prohibemus absque causa multum necessaria et urgente. Quod si quis contrarium attemptaverit, in virtute sancte obediencie precipimus presidentibus supradictis, quatenus tales fratres habeant arrestare, quousque penitenciam gravioris culpe fecerint; quam si ferre recusaverint, eos omni voce privamus penitus ipso facto.

Item. Cum ordo noster semper ex institucione studuerit ecclesiarum prelatis reverenciam impendere et honorem, iniungimus districte fratribus universis, quatenus de huiusmodi prelatis modo aliquo obloqui aut eis detrahere non presumant. Si qui autem in ipsorum detractionem laxaverint linguam suam, et ad eorum noticiam relacione pervenerit fide digna, ipsique iusticiam de hoc facere pecierint, volumus et mandamus, quod prelati ordinis, quibus querela proposita fuerit supradicta, detractores huiusmodi compellant pene graviori culpe debite subiacere.

Item. Cum studium et sciencia, quod dolentes referimus, labatur ubique nimium evidenter, volumus et ordinamus, quod exceptis lectoribus studii generalis nullus ponatur in conventu aliquo pro lectore nec mittatur extra suam provinciam ad studium aliquod generale, nisi prius per litteratos et probos fratres per priorem provincialem et diffinitores capituli provincialis vel eciam per provincialem solum, si occurrerit talis casus, ad hoc specialiter deputatos, prius examinati fuerint diligenter ac secun-

dum eorum conscienciam pro tali lectoratu vel studio ydonei et sufficientes fuerint iudicati.

Item. Volumus et ordinamus, quod bona illorum fratrum, qui propter sua demerita carceri sunt perpetuo iudicati, illis conventibus applicentur, in quibus inclusi detinentur, ut sic ex eis valeant predictorum necessitatibus providere. Idem dicimus de apostatis, quorum bona provincie usibus seu conventibus secundum morem provincie applicentur.

Item. Cum fraudes et dolose convenciones sint in electionibus penitus resecande, volumus et ordinamus, quod prioris provincialis electione instante, priores conventuales illius provincie, qui dicti provincialis extiterint electores, nisi pro causa criminis vel scandali per quemcumque nullatenus absolvantur.

Item. Omnibus prioribus provincialibus et conventualibus expresse iniungimus et districte, quatenus nostri ordinis constituciones et statuta faciant in suis provinciis et conventibus per penas in eisdem positas et taxatas, quantum poterunt, observari. Et hortantes monemus in domino, et monentes [precipimus] propter tantum religionis lapsum aliqualiter reparandum, quod ubique cernitur manifeste, quod non se reddant faciles ad dispensandum leviter in predictis. Volumus insuper et ordinamus, quod presidentes in conventibus infra quoslibet duos menses tocius anni, presentibus omnibus fratribus, dictas constituciones semel faciant in mensa legi integraliter et perfecte.

Item. Volumus et omni districtione, qua possumus, inhibemus prioribus provincialibus et capitulorum provincialium diffinitoribus, ne aliquem studentem de sua provincia a studio generali redeuntem promoveant ad aliquod officium ad studium pertinens, nisi secum deferat litteram testimonialem a lectore, bachalario sentenciarum et a magistro studencium, quod bene secutus fuerit scolas eorum et actus scholasticos exercuerit diligenter, imponentes predictis, quod omni affectione postposita, verum deponant et fidele testimonium de eisdem. Quod si fuerint inventi, verum testimonium non dedisse scienter, sciant se a suis officiis absolvendos.

Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus ordinis universis, quod nullus frater, cuiuscumque condicionis existat, ad Romanam curiam accedere presumat nec exeat conventum occasione ad dictam curiam accedendi nec in eadem curia stet sine eiusdem magistri licencia speciali; de qua per litteras predicti magistri suo provinciali aut vicario generali sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem, et in curia Romana procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur. Qui vero contrarium fecerit, voce et omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sen-

tenciam excommunicacionis ipso facto se noverit incurrisse; quam sententiam excommunicacionis dictus magister ordinis coram diffinitoribus protulit, videlicet in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem a dicta sentencia sibi retinens et reservans.

Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus et vicariis eorumdem, quod pro negociis ordinis ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Concedit insuper priori provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum necessitatibus videbitur expedire.

Postquam vero fratres de licencia, ut premittitur, ad curiam venerint, infra tres dies a procuratore ordinis statuta et ordinaciones in dicta curia factas de cortesanis teneantur petere per preceptum.

Item. Denunciamus provinciis ordinis universis, quod si eis videbitur, in sequenti capitulo generali petant capitulum generalissimum celebrari, et assignent causas ad hoc racionabiliter inducentes, prout ordinis conservacioni viderint expedire.

Item. Ordinacionem capituli immediate preteriti de manicis ampliandis in tunicis, et de bottonis in eis non portandis, et de quantitate capuciorum, cappe et vestium qualitate seu preciositate reformandis, cum penis ibi appositis simpliciter confirmamus, addendo predictis, quod constitucio, que dicit, quod vilitas in cappis observetur, per omnes fratres totaliter teneatur (1).

Item. Ordinaciones capituli generalis Montispessulani immediate preteriti de non comedendis carnibus extra conventum, et de non equitando, et de non tenendo equum vel equitacionem sine licencia speciali, et de non faciendo pictancias quascumque in principio lectionum, et de diligenti sequela scholarum; item de tuta sororum nostri ordinis clausura; item de non mendicando vel procurando aliquod officium infra ordinem per personas seculares, et de non litigando in iudicio exteriori, et de non tradendis pecuniis vel iocalibus in manus cuiuscumque secularis vel persone extra obedienciam ordinis constitute, et de non tentando amocionem fratris de provincia aliqua vel conventu, titulo prodicionis seu sedicionis cuiuscumque cum omnibus clausulis seu condicionibus ibi positis innovamus et de certa sciencia confirmamus (2).

33) provincia] patria E.

(1) Cf. supra pag. 334 l. 3 sqq.
(2) Cf. supra pag. 333 l. 1 sqq.

Item. Cum criminosos et eorum complices ac fautores sacrarum legum sanctio eadem pena mandaverit feriendos, volumus et ordinamus ac prioribus provincialibus et ceteris presidentibus districte imponimus et mandamus, quod si aliquem fratrem invenerint, qui per scripturam vel alio quoquomodo fratri alteri ad carcerem vel inclusionem iudicato scienter revelaverit, quod hoc fieri debeat, ut sic fugiendo deludat ordinis disciplinam, vel eciam qui iam incarceratum vel inclusum ad fugam temptaverit vel procuraverit liberari, mox tales, sicut dictum est, delinquentes absque dilacione loco fugitivorum predictorum carceri non differant mancipare.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod diffinitores huius anni rogaverunt patrem magistrum ordinis, quod nulli fratri pro aliquo studio extra suam provinciam licenciam concedat, nisi prius de eius vita et sufficiencia a suo priore provinciali testimonium habuerit fide dignum, quod dictus pater promisit totaliter observare.

Item. Gracias omnes exemptorias a choro et refectorio et de cameris tenendis extra commune dormitorium et de intrando civitatem seu exeundo conventum sine licencia speciali presidentis, et de successione bonorum quorumcumque fratribus concessas quibuscumque per magistrum ordinis sive per priores provinciales, sub qua sint concesse forma verborum, simpliciter revocamus, eciamsi in eis dicatur, quod talis gracia non possit revocari, nisi expressa et specialis fiat mencio de eadem.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: In capitulo de domibus concedendis, ubi dicitur: nisi forte illo anno propter fratrum obitum dictus numerus fuerit diminitus, quod intelligatur ille annus propter pestilenciam communem preteritam, quousque per fratrum ad ordinem receptorum sufficientem multitudinem tantus possit reparari defectus, ad quod priores provinciales dare volumus operam efficacem.

Item. Declaramus, quod trangressoribus scienter suorum maiorum obediencie preceptorum potest et debet imponi pro huiusmodi transgressione per presidentem pena culpe gravioris.

Item. Declaramus in capitulo de professione, quod in ipsa professionis forma, que in nostris constitucionibus est inserta, si ordo tunc temporis habuerit magistrum, nomen proprium ipsius magistri, prout moris est, exprimatur; si vero ordo illo tempore magistrum non habuerit, talis profitens presidenti obedienciam promittat vice magistri ordinis absque expressione nominis cuiuscumque.

Item. Declaramus, quod provincie vel conventus teneantur prioribus

8) temptaverit] tractaverit D.

provincialibus vel conventualibus in expensis, quas pro impugnandis appellacionibus et malignorum turbacionibus et sedicionibus resecandis in curia Romana vel alibi fecerint propter ordinis tuicionem et eius iusticiam defendendam.

Item. Declaramus, quod ordinaciones et precepta magistri ordinis et priorum provincialium post eorum mortem vel amocionem, quousque per eorum successores viribus vacuentur, in sua remaneant roboris firmitate. Idem dicimus de graciis factis per eosdem, exceptis duntaxat exemptoriis quibuscumque.

Item. Ad cautelam declaramus in capitulo de diffinitoribus capituli generalis et provincialis, quod diffinitor, qui in aliquo diffinierit capitulo generali, in alio capitulo generali immediate sequenti non poterit modo aliquo diffinire, prout expresse in nostris constitucionibus continetur.

Item. Declaramus, quod conventus insule de Chio ad provinciam Grecie noscitur pertinere.

Expliciunt declaraciones.

Expliciunt acta capituli generalis in Castris celebrati anno domini · m°· ccc·° lii°·

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCIV.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

ACTA CAPITULI GENERALIS APUD BISUNTIUM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· LIII°·

Iste sunt inchoaciones facte apud Bisuncium anno domini ·m°·ccc°·liii°·

Inchoamus hanc: In capitulo de suffragiis mortuorum, ubi dicitur: Anniversarium vero fratrum, addatur: et sororum ordinis nostri. Idemque in calendario adnotetur.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: nec receptus fiat clericus nisi de licencia magistri ordinis speciali, addatur sic: nullus conversus recipiatur infra ·xviii· annos nisi de prioris provincialis licencia speciali, et radatur hoc in eodem capitulo inferius, ubi prius erat, et post rasuram immediate ponatur: nullus eciam recipiatur illegitime natus nisi de priorum provincialium licencia speciali, et tunc sequatur: si vero clericus.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli provincialis vel generalis, ubi dicitur: et ex tunc incipiat auctoritas eorumdem, addatur sic: quod si aliquis de illis quatuor diffinitoribus in capitulo [esse] non contigerit vel causa legitima impediri, electores supradicti secundum superius dictam formam possint statim alium diffini-

torem dicti capituli eligere, qui mox electus eamdem in omnibus habeat potestatem, quam ceteri habent diffinitores et loco mortui vel impediti, omnia negocia capituli cum aliis pariter diffiniet et tractabit.

Item. Inchoamus hanc: Ad preces et instanciam principis regis Romanorum et semper augusti quod de beato Adelberto martyre fiant tres lectiones per totum ordinem sequenti die post festum b. Georgii martyris.

Item. Quod de beato Procopio confessore fiant tres lectiones per totum ordinem modo consimili quarta die mensis iulii; et magister ordinis de officio providebit.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: idem dicimus de socio prioris conventualis euntis ad capitulum provinciale electo, addatur sic: instante vero prioris provincialis electione, priorum conventualium illius provincie absolucionem nisi ob causam approbati criminis vel scandali gravis fieri per quemcumque prohibemus.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: si autem post dictum festum magister ordinis decesserit, addatur sic: vel amotus fuerit; et ibidem cum statim subditur: obitus ipsius, addatur: vel amocio. Et hec habet ·ii· capitula.

Item. Approbamus hanc: In (capitulo in) ordinario in rubrica de officio beate virginis, ubi dicitur: ab octava epiphanie usque ad septuagesimam in omnibus sabbatis, nisi festum simplex vel maius occurrerit, deleatur quod dicitur: in omnibus sabbatis nisi festum simplex vel maius occurrerit, et addatur sic: in omnibus sabbatis tocius anni, preterquam in sabbato ante dominicam primam quadragesime usque ad octavam pasche inclusive, nisi festum simplex vel maius occurrerit, et preterquam in octavis alicuius sancti, quando de eis agitur et in vigiliis sanctorum, qui propriam habent missam, et in sabbatis quatuor temporum. Et hec habet ·ii· capitula. Et magister ordinis de officio providebit.

Item. Approbamus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur sic: carceris custodie mancipetur, addatur sic: si quis eciam alteri fratri ordinis vel eciam ipsi ordini crimen falsum imposuerit, propter quod crimen secundum nostrarum seriem constitucionum frater aliquis carcerem mereretur, aut crimina huiusmodi fratrum secularibus personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis revelaverit, unde ordinis vel fratrum infamia seu dampnum fuerint consecuta, modo consimili carceri mancipetur. Et volumus, quod huiusmodi ordinis destructores non possint nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale liberari. Idem dici-

1) electus] electionis E.

mus de fratribus, qui inventi fuerint lusisse ad taxillos, quos eciam pene carceris volumus subiacere. Et hec habet ·ii· capitula.

Item. Approbamus hanc: In ordinacionibus ordinis per dominum papam Iohannem factis, vim constitucionum habentibus, que in fine nostrarum constitucionum sunt posite, in capitulo de electionibus, ubi dicitur sic: nisi pro officio lectoratus, addatur: vel prioratus. Et hec habet ·ii· capitula.

Item. Approbamus hanc: quod in singulis diebus, in quibus de beato Dominico et Petro martyre fit memoria in fine matutinarum et vesperarum, fiat eciam memoria de beato Thoma de Aquino, doctore eximio, post predictas, videlicet in matutinis per antiphonam: Collaudetur Christus etc. cum versiculo: Rigans montes etc., et in vesperis per antiphonam: O Thoma laus etc., cum versiculo: Declaracio sermonum etc., de cetero dicantur. Et volumus et ordinamus, quod omnia predicta superius per ordinem approbata isto medio tempore diligenter et fideliter observentur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: et per totam ebdomadam, addatur sic: et ad credo in deum in missa ad: ex Maria virgine et homo factus est, et amoveatur de loco, ubi solum inclinari mandatur. Et hec habet ·iii· capitula; et volumus, quod in nostris constitucionibus adnotetur.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

In primis, cum ex presidencium remissione ac subditorum transgressione et utrorumque concitatu, sequela, subtractione atque regularum notabili dissipacione ubique quasi nostrum ordinem non sine cordis amaritudine cernamus collapsum notabiliter et depressum, et fratres communiter constituciones et ea, que per eos fienda sunt, nec legunt nec student et communiter ea postponunt et negligunt observare, idcirco ad tante ruine, quantum hiis temporibus in manu nostra est, reparacionem animis ardentibus conspirantes, statuimus, volumus et ordinamus ac districte prioribus provincialibus vel eorum vicariis ceterisque tocius ordinis presidentibus in suorum iniungimus remissionem peccatorum, et nichilominus sub obtentu paterne maledictionis imponimus et mandamus, quatenus circa prefatam reformacionem cogitent et attendant et studeant diligenter, et iam dictas constituciones et ordinaciones capitulorum quascumque primitus in seipsis observent et teneant et faciant eciam a suis subditis et sororibus ordinis, per penarum imposiciones, que in ipsis

5) posite] item approbamus hanc *add.* E. — 12) Christus *om.* E. — per] super E. — 25) concitatu] comitata E. — regularum] regularium E.

constitucionibus et ordinacionibus precaventur, firmiter et viriliter observari, nec contra hoc alicui deferant nec trepident aut palpitent, cuiuscumque condicionis existat, sed quasi sanctorum filii altera manu exemplariter operantes, altera exhortacionis et coactionis gladio transgredientes velut adversarios religionis propellentes, tanto cicius, tanto virtuosius in virtute dei insurgentes, donum dei, ordinem videlicet sanctum, quem a nostris sanctis patribus tam mirabiliter constructum reperimus, reedificare festinent, quanto gravius eam in numero, moribus et sciencia, honestatis fama in conspectu dei et hominum ruentem aspiciunt atque deiici et contempni. Unde prioribus provincialibus et eorum vicariis in primis districtius precipimus, quod in suis proximis provincialibus capitulis curent in omnibus, quantum poterunt, reformare et per modos, quos de discretorum consilio repererint, constituciones et admoniciones specialiter continentes, videlicet, quod omnes fratres frequentent refectorium ad unguem, ita quod nullus amplius quam bis vel ter in septimana ad plus a refectorio se absentet; et omnes tam de die quam de nocte ad chorum veniant et faciant divinum officium sollempniter et devote celebrari; et quod silencium arcte et stricte locis et temporibus interdictis teneatur; et quod observatores in conventibus singulis volumus deputari, qui omni septimana in capitulo de culpis accusent fideliter delinquentes; item, quod fratres, nisi illi, per quos conventus sustentatur, per villam discurrant, nisi raro, et tunc altera pars copule sit secura, solida et matura.

Item. Quod constituciones et ordinaciones de inclinacionibus et de non equitando sine licencia speciali, quam concedi nolumus nisi antiquis fratribus et ex causa; et de habitu ordinis quoad formam et materiam secundum constituciones nostras deferendo et specialiter, quod vilitas in cappis observetur, et quod bis ad minus in anno per presidentes volumus examinari, et de bottonis non portandis in manichis, et de non comedendo carnes extra conventum nec infra conventum, nisi secundum constitucionum formam; et quod fratres de arte medicine non se intromittant; et quod expense excessive totaliter prohibeantur; et de non tenendo pecuniam in manibus secularium nec extra depositum commune; et de non revelando facta ordinis personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis; et de rasura secundum formam ordinis deportanda; et quod omni septimana sit capitulum de culpis, a quo nullus remaneat, cuiuscumque condicionis existat, sine licencia et magna causa necessaria et urgente; et de pictanciis per magistros vel lectores seu bacalarios in suis principiis nullatenus faciendis; et de non procurando aliquod officium infra ordinem vel amocionem seu remocionem vel eciam reten-

29 secundum] in E. — 36 cuiuscumque] quantumcumque E.

cionem pro se vel pro aliis per personas extra nostri ordinis obedienciam constitutas; et quod in cameris non comedatur, nec sint in conventibus plus quam quatuor loca ad comedendum; et quod infirmi bene procurentur; et quod alias constituciones ordinis faciant firmius, prout poterunt, observari.

Et volumus et mandamus, quod pene in nostris constitucionibus vel ordinacionibus duorum immediate capitulorum preteritorum, quas hic noviter confirmamus et laudamus, imposite et taxate transgressoribus imponantur, in quibus priores provinciales et alii presidentes minime dispensent nisi raro et in paucioribus et ex causa racionabili movente; mandantes prioribus provincialibus et eorum vicariis, quod priores et suppriores et alios rectores, mox cum eis constiterit, qualiter dispensaverint in predictis, absolvant et alias penas superaddendo.

Ceterum statuimus et mandamus, quod in conventibus constituciones ordinis supradicte in refectorio bis integraliter legantur in quolibet mense omnibus fratribus presentibus et comedentibus in eodem.

Item. Cum propter pestilenciam preteritam generalem ordo noster sit in personis diminutus, et nisi provideatur, verisimiliter formidemus, quod deficeret gravius et notabiliter in futuro, idcirco imponimus prioribus provincialibus et eorum vicariis ac ordinis presidentibus universis, quatenus per se vel per alios cum omni diligencia iuvenes in moribus et sciencia aptos et ydoneos ad ordinem inducere et recipere studeant toto posse; quibus receptis unum de maturioribus et senioribus fratribus sibi preferant in magistrum, qui eos in omni humilitate et honestate et religionis fundamentis iuxta constitucionum nostrarum seriem curet docere, instruere et nutrire; aliisque iuvenibus artistis magistros tam grammatice quam logice quam eciam naturalium deputent et adsignent, quos in aliis nullatenus occupent vel perturbent, et ordinent sub certis penitenciis, quod, cum defecerint, senciant realiter et de facto, quod tam ipsi quam studentes in theologia et eciam alii fratres die aliqua de scolis non remaneant absque presidentis licencia speciali. Super quo utrobique statuant diligenter, quod omni die presidenti accusent et deferant delinquentes; quibus eciam, si eorum indigencia hoc requirat, et alias probitati et studio sint intenti, volumus et ordinamus, quod de libris et de bonis fratrum defunctorum secundum conventuum et fratrum condicionem de discretorum consilio sibi provideatur. Et volumus et ordinamus, quod omnes magistri arcium ad scholas post prandium revertantur et de mane perlectas lectiones repetant et faciant a suis scholaribus per partes recitari. Lectores eciam ad tardius circa festum omnium sanctorum in-

---

9) imponantur] imponunt E.

cipiant lectiones et eas continuent et omni septimana disputent saltem semel; et ordinamus, quod ante festum Magdalene lectiones non terminent vel dimittant. Idem dicimus de magistris arcium supradictis. Quicumque vero supradicto tempore non inceperit vel legere non continuaverit vel cicius lectiones dimiserit, quam sit dictum, mox ad ebdomadariam in choro et ad alia officia, prout ceteri fratres adnotentur; et nolumus, quod alius ante eos in dicto casu scribi valeat vel notari; adiicientes supradictis, quod priores provinciales vel eorum vicarii et diffinitores capituli provincialis illos studentes de Parisius vel aliis studiis generalibus redeuntes, qui a magistris vel scholaribus actu legentibus ac bacalariis et magistro studencium testimoniales non detulerint litteras cum sigillo, quod ibi bene secuti fuerint scholas et alios consuetos actus scholasticos fecerint, prout decet, ad lectiones aliquas nullatenus deputent et assignent. In capitulis eciam provincialibus nemo ad legendum alicubi deputetur, nisi prius testimonio eorum, qui eius sufficienciam debent nosse, per preceptum depositi aptus et sufficiens in moribus et sciencia fuerit iudicatus.

Item. Cum ex insufficiencia predicancium et confessiones audiencium ordo noster frequenter scandala paciatur et veniat in periculum animarum, volumus et ordinamus, quod priores provinciales ac eorum vicarii diligentissime caveant, ne predicacionis officium et confessionis audienciam alicui committant ad instanciam cuiuscumque fratris, nisi fratribus ad hoc ydoneis, moribus et sciencia approbatis, quos (alias huiusmodi commissionem) super predictis examini fratrum discretorum volumus subiacere; adiicientes supradictis, quod ad sacros ordines de cetero nemo promoveatur per quemcumque, nisi per tres discretos fratres et litteratos examinatus fuerit diligenter, et ad minus in grammaticalibus sufficiens sit inventus, quibus examinatoribus sub pena gravioris culpe imponimus per presentes, quod fideliter deponant de meritis et sufficiencia singulorum. Et volumus et ordinamus firmiter et expresse, quod nullus in ordine de cetero fiat predicator generalis, nisi qui, preter condiciones in nostris constitucionibus positas, decenter sciverit clero et populo proponere verbum dei.

Item. Cum ordo noster in soliditate veritatis fuerit fundatus et de scienciis vanis et curiosis non curans, veritati, doctrine et sciencie semper studuerit firmiter inherere, districte imponimus fratribus universis, quatenus loquendo, legendo, determinando, predicando, disputando, respondendo, nemo audeat assertive tenere contrarium eius, quod in communi doctrina est consuetum, specialiter contra doctrinam s. Thome doctoris.

---

16) preceptum] percepcionem E. — aptus] actus E. — 38) nemo] non E. — contrarium *om.* E.

Quicumque autem per priorem provincialem vel eius vicarium, qui super hiis diligenter inquirere teneantur, inventi fuerint deliquisse, per eosdem a lectoratus officio vel alia quavis lectione vel studio absolvantur.

Item. Cum ex eo quod nonnulli libros et alia bona communitatis vendunt et destruunt pro libito voluntatis, conventus ordinis quasi universi dampna plurima incurrerint, idcirco volumus et expresse ordinamus, quod nec presidens in conventu libros communitatis absque prioris provincialis licencia speciali, nec frater quicumque libros sibi appropriatos modo consimili absque prioris vel presidentis licencia et fratrum discretorum, qui ad consilia vocari solent, consilio pariter et assensu vendere, destruere, alienare, dare valeant quoquo modo. Quicumque vero contrarium temptare presumpserit de bonis per ordinem sibi concessis seu appropriatis ex vi presentis ordinacionis ipsius conventus communitati nunc pro tunc tantumdem damus et exequi volumus, firmiter eciam mandamus, et nichilominus, quod factum fuerat, sit irritum et inane.

Item. Volumus et ordinamus, quod [quicumque] frater solus extra conventum sine licencia sui superioris vel cum alio fratre discurrerit, penam gravioris culpe se noverit incurrisse, quam sub precepto sancte obediencie per presidentem, in cuius terminis receptus fuerit vel repertus, facere compellatur. Predictam autem superiorum licenciam prelatorum omnes fratres, preterquam priores provinciales ubique, magistri in theologia et bacalarii et priores conventuales et fratres, [qui] capitulorum generalium aut provincialium fuerunt diffinitores infra suam provinciam duntaxat per litteras testimoniales, quas infra unam diem presidenti in conventu, ad quem eos contigerit declinare, ostendere teneantur; adiicientes predictis, quod in loco, ubi conventum habemus, fratres quicumque in villa non comedant aut iaceant quoquo modo, nisi de prioris vel presidentis licencia speciali; quam eis dare prohibemus absque causa necessaria et multum urgente, et in locis in constitucionibus expressis. Quod si quis contrarium attemptaverit, in virtute sancte obediencie precipimus presidentibus supradictis, quatenus tales fratres valeant arrestare, quousque penam fecerint gravioris culpe; quod si facere recusaverint, eos ipso facto omni voce privamus.

Item. Cum ex sufficiencia fratrum et numero regencium Parisius plurimum resplendeat ordo noster et ex opposito honori eius et fame quam plurimum detrahatur, volumus et ordinamus, quod nullus frater nostri ordinis, postquam magisterii in theologia insignia in studio obtinuerit supradicto, scholas et regimen dicti studii dimittat, quousque magistrum habuerit successorem, absque magistri ordinis licencia speciali.

2) inventi fuerint] si inventus fuerit E.

Item. Cum ordo noster ex institucione studuerit ecclesiarum prelatis reverenciam impendere et honorem, iniungimus fratribus universis, districtione quantum plus possumus, quatenus de huiusmodi prelatis aliquo modo obloqui vel eis detrahere non presumant. Si quis [autem] in ipsorum detractionem laxaverit linguam suam, et ad eorum noticiam relacione pervenerit fide digna, ipsique de hoc iusticiam sibi fieri pecierint, volumus et mandamus, quod prelati ordinis, quibus querela proposita fuerit, detractores huiusmodi compellant [pene] gravioris culpe subiacere.

Item. Volumus et ordinamus, quod bona illorum fratrum, qui propter sua demerita carceri sunt perpetuo iudicati, illis conventibus applicentur, in quibus inclusi detinentur, ut sic ex eis valeant predictorum necessitatibus providere. Idem dicimus de apostatis, quorum bona provincie usibus vel conventibus secundum morem provincie applicentur.

Item. Cum ex eo quod fratres a suis nativis conventibus pro levi causa interdum removentur, conventus ipsi in numero et merito fratrum ut frequencius defectum quam plurimum paciantur, volumus et ordinamus, quod nullus frater a suo conventu nativo amoveatur per quemcumque, nisi tantummodo propter studium vel propter officium seu vitandum ordinis scandalum vel eciam propter necessitatem.

Item. Cum criminosos et eorum complices sacrarum legum sanctio eadem pena mandaverit feriendos, volumus et ordinamus ac eorum prioribus provincialibus et ceteris presidentibus precipimus et mandamus districte, quod si aliquem fratrem invenerint, qui per scripturam vel quovis alio modo fratri alteri ad carcerem vel inclusionem iudicato scienter revelaverit, quod hoc fieri debeat, ut sic fugiendo deludat ordinis disciplinam, vel eciam qui iam incarceratum vel inclusum ad fugam temptaverit vel procuraverit liberare, mox tales, sicut dictum est, delinquentes absque dilacione loco fugitivorum predictorum carceri non differant mancipare.

Item. Cum propter exempciones exorbitantes petencium ut plurimum a prelatis executas, conventus citra mortalitatem notabiliter pregraventur, idcirco reverendus magister de unanimi et concordi consilio et assensu diffinitorum huius anni gracias omnes et singulas exemptorias a choro et refectorio et de cameris non tenendis in sanitate [extra commune dormitorium] et de non exeundo ad terminos visitandos, et de exeundo conventum sine licencia presidentis, et successione bonorum quibusvis fratribus et sororibus concessas sive per dictum magistrum sive per priores provinciales et presidentes ordinis quoscumque, sub qua forma verborum

---

1) institucione] intencione E. — 20) sacrarum] sacri E. — 26) qui] quod E. — 30) exorbitantes] exinprobitates E.

sint concesse, simpliciter et de certa sciencia revocat et annullat, eciamsi in eis dicatur, quod tales minime possint revocari, nisi expressa et specialis fiat mencio de eisdem, iniungendo nichilominus et imponendo prelatis et prioribus universis, quod huiusmodi gracias nisi spectabilibus personis, et qui diu laudabiliter in ordine laboraverint, alicui de cetero non concedant.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod diffinitores huius anni rogaverunt reverendum patrem magistrum ordinis, quòd nulli fratri ordinis pro aliquo studio extra suam provinciam licenciam concedat, nisi prius de eius vita et sufficiencia a suo priore provinciali testimonium habeat fide dignum, quod dictus pater promisit totaliter observare.

Item. Quia parum prodest decreta condere, nisi adsit, qui fideliter ea exequatur, et rigor iusticie remittitur, imo verius contempnitur, cum pene faciliter relaxantur, idcirco mandamus et iniungimus prioribus provincialibus sub pena absolucionis, de certa sciencia et expresse, quatenus omnia et singula supradicta observent et observari faciant diligencius eciam ab aliis per penarum imposicionem, et nonnisi raro et ex urgente et magna causa attemptent cum aliquo dispensare. Iniungentes eisdem, quod priores et presidentes mox a suis officiis absolvant aliasque penas eisdem imponant, capitulo provinciali minime expectato, qui remissi circa predicta fuerint inventi vel eciam negligentes. Et volumus et ordinamus, quod huius anni ordinaciones et declaraciones fratribus congregatis, ad minus semel in mense, legantur in capitulo vel in mensa.

Item. Discordias et ingratitudines vitare cupientes plurimorum, volumus et ordinamus, quod fratribus sentencias vel bibliam legentibus actu in studio quocumque ordinis generali, unus substitutus et non plures per litteram deputetur.

Item. Pro eo quod fratres nonnulli, quibus ex iure et gradus celebritate camere in ordine conceduntur, in diversis conventibus quandoque detinent cameras diversas impeditas, quod in ipsorum conventuum redundat tedium et gravamen, idcirco volumus et mandamus, quod nullus de cetero, etsi magister in theologia fuerit, nisi unam cellam vel cameram in conventu, ubi communiter residet, valeat aliquo modo occupare.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: In capitulo de domibus concedendis et constituendis, ubi dicitur: nisi forte illo anno propter obitum fratrum dictus numerus fuerit diminutus, quod intelligatur ille annus propter pestilenciam communem preteritam, quousque per fratrum ad ordinem recepto-

---

13) ea exequatur] consequatur E. — remittitur] revertitur E. — 28) quibus] qui E.

rum multiplicitatem tantus possit reparari defectus, ad quod priores provinciales volumus dare operam efficacem.

Item. Declaramus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: quod quamdiu prelato placuerit, pene gravioris culpe subiacebit, quod hoc intelligitur propter solam apostasiam; pro aliis autem delictis, que in ipsa apostasia inventus fuerit commisisse, ac si ea infra ordinem et cum habitu commisisset, secundum constitucionis rigorem et ordinaciones pena debita puniatur.

Item. Declaramus hanc: In capitulo [de capitulo] provinciali, ubi dicitur: Infra vero quinquennium ab ordinis ingressu fratres aliqui non admittantur [in conventibus] ad discussionem eorum, que ad capitulum generale vel provinciale sunt mittenda, nec ad electionem socii prioris conventualis; et eciam quod totum tempus noviciatus, eciamsi plures fuerint anni, pro uno tantum anno computetur, et quod post quatuor annos a professione et non ante ad predicta omnia admittantur.

Item. Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris [conventualis] et institucione supprioris, ubi dicitur: prior autem conventualis de discretorum consilio instituat suppriorem; quod priores provinciales in suis provinciis dumtaxat possint instituere suppriores, quia in rectoribus essencialiter ordinatis, quod inferiori conceditur, maiori nullatenus denegatur, nisi super hoc specialis excepcio subsequatur.

Item. Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: hoc idem in electione priorum conventualium et tractatu eorum, que mittenda sunt ad capitulum provinciale observetur, quod electione instante prioris conventualis in conventu vel tractatu de socio faciendo, si aliqui fratres extra conventum infra dietam fuerint, ad eos presidentes nuncios transmittant; quod si in loco, pro quo visitando licenciam specialiter pecierint vel in loco suorum terminorum principali eos non invenerint, cum testimonio fide digno apparuerit, quod sine omni fraude curam in inquirendo habuerunt diligenter, in eorum absencia ad electiones iam dictas rite et canonice nichilominus procedatur.

Item. Declaramus hanc: In capitulo de sollempni celebracione capituli, ubi dicitur: accusacio unius tantum ad capitulum generale vel provinciale non mittatur, quod nulla talis accusacio probata reputetur, nec ex ea ad sentenciam aliquam procedatur, nisi preter accusantem vel proponentem ad minus duo testes ydonei adducantur.

Item. Imponimus prioribus provincialibus universis, quod huius anni declaraciones et omnes alias preteritis temporibus factas, quas habere poterunt, notent diligenter in uno volumine, et cum aliis provincie scriptis custodiant et conventibus communicent, prout decet.

1) multiplicitatem] multipliciter E.

Item. Declaramus et denunciamus presentibus ceterisque fratribus universis, quod dominus papa noster denunciavit publice et manifeste, quod capellani honoris domini pape supradicti, nullam exempcionem ab ordine habent vel suis superioribus vel privilegium speciale. Propter quod hiis diebus prefatus sanctissimus dominus reverendo patri magistro ordinis imposuit expresse, quod contra tales capellanos reducendo, corrigendo, arrestando, si opus fuerit, procedat audacter, sicut contra alios fratres ordinis. Quare imponimus fratribus universis, quod contra huiusmodi capellanos vagos iusticie exerceant rigorem et eos reducant ad ordinis disciplinam.

Idem dicimus de fratribus, qui sunt regibus, prelatis, baronibus et aliis spectabilibus personis pro confessoribus deputati, quos eorum prelati, cum deliquerint, puniant, prout decet, et si opus fuerit, eos reducant ad ordinis disciplinam vel clausuram, dictis spectabilibus personis alios honestos et solidos deputando.

Expliciunt acta capituli generalis apud Bizuncium celebrati anno domini · m°· ccc°· liii°·, tempore domini Innocencii pape et magistri Simonis, qui tunc erat magister ordinis fratrum predicatorum.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS NARBONE CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· LIV°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: ad: suscipe deprecacionem nostram, addatur: Item quandocumque nomen Ihesu nominatur in collecta, in prefacione vel antiphona quacumque aut in gloria in excelsis. Quando vero dictum nomen Ihesu alias nominatur in choro, fratres eidem reverenciam faciant capite devocius inclinato.

Item hanc: In ordinario post illud: noviter ordinatum et confirmatum de memoria s. Thome fienda, addatur sic: tempore resurrectionis addatur alleluia brevi tono dictis antiphonis breviter correspondens.

Item hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: idem dicimus de diffinitoribus capituli generalis, addatur sic: Nullus frater extra obedienciam nostri ordinis constitutus fiat in ordine diffinitor generalis capituli vel provincialis nec eciam vicarius, lector, iudex vel officialis ordinis quoquomodo.

---

15) deputando] etc. *add.* E.

Item hanc: In capitulo de graviori culpa in constitucione hoc presenti anno inferius noviter confirmata, ubi dicitur: idem dicimus de fratribus, qui inventi fuerint ad taxillos lusisse, addatur statim: vel qui in sentenciam excommunicacionis a quocumque iudice nostri ordinis rite latam scienter incidisse fuerint deprehensi.

Item hanc: In capitulo de itinerantibus, ubi dicitur: ex vi presentis statuti, deleatur quod sequitur: omni voce etc., usque ibi: nisi per magistrum ordinis, et dicatur: in penam incidat graviori culpe debitam ipso facto, in qua cum tali dispensari non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale; et omnes predicte inchoaciones medio tempore inviolabiliter observentur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de suffragiis [mortuorum], ubi dicitur: Anniversarium vero fratrum, addatur: et sororum ordinis nostri. Idem eciam addatur in kalendario, ubi anniversarium supradictum ponitur. Et hec habet ·ii· capitula.

Item approbamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: nec receptus fiat clericus nisi de licencia magistri ordinis speciali, addatur sic: nullus conversus recipiatur infra ·xviii· annos, et radatur hoc in eodem capitulo inferius, ubi prius erat, et post rasuram ita ponatur immediate: nullus eciam recipiatur illegitime natus, nisi de prioris provincialis licencia speciali; et tunc sequitur: si vero clericus. Et hec habet duo capitula.

Item approbamus hanc: In capitulo de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: et ex tunc incipiat auctoritas eorumdem, addatur sic: Quod si aliquis de dictis diffinitoribus, durante provinciali capitulo, mori vel amoveri contigerit vel causa legitima impediri, electores supradicti secundum superius dictam formam possint statim alium in diffinitorem dicti capituli eligere, qui mox electus eamdem in omnibus habeat potestatem, quam ceteri habent diffinitores, et loco mortui seu impediti omnia capituli negocia cum aliis pariter diffiniet et tractabit. Et hec habet duo capitula.

Item approbamus hanc: Ad instanciam serenissimi principis et domini domini regis Romanorum et semper augusti, quod de beato Adalberto martyre fiant tres lectiones per totum ordinem, sequenti die post festum beati Georgii.

Item. Quod de beato Procopio confessore fiant tres lectiones per totum ordinem, modo consimili, quarta die mensis iulii. Et hec habet duo capitula.

---

22) clericus] addatur E. — 33) approbamus] inchoamus E. — 35) Adalberto] Asalberto E.

Item approbamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Idem dicimus de socio prioris conventualis euntis ad capitulum provinciale electo, addatur sic: instante vero prioris provincialis electione, priorum conventualium illius provincie absolucionem, nisi ob causam criminis vel gravis scandali, fieri per quemcumque totaliter prohibemus. Et hec habet duo capitula.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: si autem post dictum festum magister decesserit, addatur sic: vel amotus fuerit. Et ibidem cum statim subditur: ipsius obitus, addatur: vel amocio. Et hec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc: In ordinario in rubrica de officio b. virginis, ubi dicitur: Ab octavis epiphanie usque ad septuagesimam in omnibus sabbatis, nisi festum simplex aut maius occurrerit, deleatur, quod dicitur: in omnibus sabbatis, nisi festum simplex aut maius occurrerit, et addatur sic: et in diebus sabbatis tocius anni, preterquam a sabbato ante dominicam primam quadragesime usque ad octavas pasche inclusive, nisi festum simplex aut maius occurrerit, et preterquam infra octavas alicuius sancti, quando de eis agitur, et vigiliis festorum, que propriam habent missam, et in sabbatis quatuor temporum. Et hec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc: In capitulo de graviori culpa, ubi dicitur: carcerali custodie mancipetur, addatur sic: si quis alteri fratri ordinis vel ipsi ordini crimen falso imposuerit, propter quod crimen secundum nostrarum seriem constitucionum frater aliquis carcerem mereretur, aut crimina huiusmodi fratrum secularibus personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis revelaverit, unde ordini vel fratri infamia seu dampna fuerint subsequuta, modo consimili carcerali custodie mancipetur. Et nolumus, quod huiusmodi destructores ordinis possint nisi per magistrum ordinis vel generale capitulum liberari. Idem dicimus de fratribus, qui inventi fuerint ad taxillos lusisse, quos eciam pene carceris volumus subiacere. Et hec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc: In ordinacionibus ordinis per dominum papam Iohannem [factis] vim constitucionum habentibus, que in fine nostrarum constitucionum sunt posite, in capitulo de electionibus, ubi sic dicitur: nisi pro officio lectorie, addatur sic: vel prioratus. Et hec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc: Quod in singulis diebus, in quibus de beato Dominico et beato Petro martyre fit memoria in fine matutinarum et vesperarum, fiat eciam memoria de beato Thoma de Aquino post predictas, videlicet in matutinis per antiphonam: Collaudetur, cum ver-

siculo: Rigans montes; in vesperis vero per antiphonam: O Thoma, cum versiculo: Declaracio sermonum, de cetero dicantur. Et hec habet tria capitula.

Volumus et ordinamus, quod omnia et singula hoc anno confirmata per presidentes in constitucionibus nostris in suis locis cum omni diligencia conscribantur.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Inprimis zelo et intencioni [capituli] anni preteriti pro ordinis reformacione nos conformare volentes, volumus et iniungimus prioribus provincialibus et aliis ordinis presidentibus, quod constituciones et ordinaciones et specialiter sequentes observent et ab aliis faciant inviolabiliter observari, videlicet: quod omnes fratres frequentent [refectorium] ad unguem, ita quod nullus frater, cuiuscumque condicionis aut gradus existat, amplius quam bis vel ter ad plus notabiliter in septimana a refectorio se absentet; et quod omnes tam de die quam de nocte ad chorum veniant et faciant divinum officium secundum modum ordinis devote et sollempniter celebrari; et quod silencium arcte et districte locis et temporibus institutis teneatur, super quo observatores in quolibet conventu volumus deputari; et quod fratres nisi illi, per quos conventus sustentantur, per villam discurrant nisi raro, et tunc altera pars copule matura sit et secura; et quod constituciones et ordinaciones de inclinacionibus, et de non equitando sine licencia speciali, quam concedi nolumus nisi antiquis fratribus et ex causa; et de habitu ordinis quoad formam et materiam secundum nostras constituciones deferendo; et specialiter quod vilitas in capis pocius observetur; et de botonis in manicis non portandis; et quod eciam manice dissute seu scisse non portentur; et quod fratres intus vel extra conventum carnes non comedant, nisi secundum constitucionis formam; et quod fratres de arte medicine non se intromittant; et quod expense excessive prohibeantur; et de non tenendo pecuniam in manibus secularium nec eciam extra depositum conventus; et de non revelando facta ordinis personis extra nostrum ordinem constitutis; et de rasura secundum ordinis formam deportanda; et quod qualibet septimana sit capitulum de culpis, a quo nullus remaneat sine causa urgente; et de pictanciis per magistros seu lectores ac baccalarios in suis principiis nullatenus fiendis; et de non procurando aliquod officium extra ordinem nec eciam amocionem seu remansionem in conventu aliquo pro se vel pro aliis per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas; et quod in cameris non comedatur, nec sint in conventibus plusquam quatuor loca ad comedendum; et quod infirmi bene procurentur; et dictarum ordinacionum transgressoribus imponantur pene, in quibus aut nullatenus aut raro et ex causa dispensetur. Et presidentes,

priores vel suppriores negligentes in predictis, mox per priores provinciales absolvantur. Et volumus et ordinamus, quod constituciones ordinis semel infra duos menses in mensa fratribus congregatis integraliter perlegantur.

Item. Mandamus prioribus provincialibus universis et eis imponimus per preceptum, quatenus infra annum faciant in singulis conventibus constituciones, ubi expedit, emendari; et volumus, quod eas sic correctas faciant per penas in eisdem positas et taxatas, quantum poterunt, observari, nec se reddant faciles ad dispensandum leviter in predictis; iniungentes prioribus et aliis infra presidentes, quod si in penitenciis per eos impositis faciliter dispensaverint, ipsi consimiles faciant penitencias, super quo eorum consciencias oneramus, et adhuc eciam per superiores arceantur, cum fuerit inventum.

Item. Imponimus prioribus provincialibus, quod studium in suis provinciis cum omni diligencia studeant reformare per diffiniciones preteriti anni et arctent fratres per penas debitas ad sequendum scolas legencium et specialiter principalium lectorum. Et ordinamus, quod nullus ponatur ad legendum vel mittatur extra provinciam ad studendum, nisi provinciali et diffinitoribus de eius sufficiencia constiterit per examinatores positos per eosdem (1).

Item. Districte imponimus fratribus universis, quatenus (in) scienciis vanis, curiosis et peregrinis reiectis, veritati, sciencie et doctrine s. doctoris nostri diligenter intendant, nec conversentur, nec se associent fratribus cuiuscumque status, qui docent, aut predicant conclusiones temerarias, suspectas, falsas et periculosas et maxime contrarias determinacioni sancte matris ecclesie et communi(s) doctrine, sed tales fugiant tanquam ethnicos et publicanos. Quod si admoniti per presidentem non se correxerint, ipso facto penam gravioris culpe ex vi presentis statuti se noverint incurrisse.

Item. Cum secundum constituciones nostras ad predicandum verbum dei et audienciam confessionum nullus assumi debeat, nisi sit ydoneus, moribus et sciencia approbatus, volumus et ordinamus, quod nullus ad officium predicacionis et confessionis audienciam assumatur, nisi prius examinatus fuerit et sufficiens inventus per examinatores positos in capitulo provinciali per provinciales et diffinitores vel per priorem provincialem in quolibet conventu; in quibus volumus, quod diligens cura et cautela permaxima apponatur. Significamus autem omnibus fratribus ordinis, quod reverendus pater magister ordinis de facto nunc pro tunc absolvit omnes et singulos fratres insufficientes per quoscumque promotos

(1) Cf. supra pag. 349 l. 17 sqq.

ad predicacionis officium et audienciam confessionum, ipsos officio iam dicto simpliciter privando. Vocamus autem insufficientes ad officium predictum, quos priores provinciales cum consilio discretorum insufficientes et minus ydoneos iudicabunt; mandantes dictis prioribus provincialibus, quod super predictis diligenter inquirant. Ceterum sciant fratres universi, quod, si frater quicumque inventus fuerit absolvisse a peccatis vel sentenciis a suis superioribus reservatis, penam gravioris culpe se noverit incurrisse.

Item. Ordinamus, quod nullus de cetero fiat predicator generalis, nisi fuerit sufficiens in moribus et vita, et qui alias de crimine non fuerit convictus. Nec prior aliquis propter suos defectus absolutus fiat eodem anno visitator.

Item. Volumus et ordinamus, quod omnes fratres conversi nostri ordinis habitum in colore et forma deferant secundum tenorem constitucionis, et ubique et cum quocumque hec uniformitas observetur, nec habitum clericorum assumere audeant quoquomodo.

Item. Imponimus prioribus provincialibus universis, quod in suis provinciis vicarios non instituant per contratas, et sic institutos per quemcumque absolvimus per presentes, subtrahentes potestatem cuicumque tales vicarios faciendi. Poterunt autem secundum morem ordinis visitatores instituere in provincialibus capitulis, qui provinciam visitent; quos semper fieri volumus maturos pariter et discretos, quibus vel aliis fratribus ydoneis, si opus fuerit, possint vices suas committere secundum plus vel minus ex causis racionabilibus et iustis. Predicta autem non intelligimus de illis contratis, que secundum morem ordinis semper consueverunt per vicarium gubernari.

Item. Ordinamus, quod suppriores seu lectores vel magistri arcium vel magistri studencium non fiant socii priorum ad capitulum provinciale, cursoribus sentenciarum, magistris studencium et biblicis in studiis generalibus duntaxat exceptis; quod si secus factum fuerit, sit irritum et inane; volentes, quod predicti lectores lectiones continuent usque ad rumores capituli provincialis vel usque ad festum Magdalene, si contigerit post dictum festum capitulum celebrari supradictum. Iniungentes fratribus universis, quod studeant in biblia diligenter, et lectores circa textum et glossas principaliter insistant, cursoresque sentenciarum in studiis generalibus et sollempnibus omnes quatuor sentenciarum libros in anno perlegant; quod si non fecerint, sequenti anno lectores non fiant.

Item. Mandamus prioribus provincialibus universis, quatenus alicui fratri nostri ordinis aliquam episcopalem vel archiepiscopalem dignitatem non concedant licenciam acceptandi absque magistri ordinis licencia speciali; quod si contrarium fecerint, nullius existat penitus momenti.

Item. Volumus et ordinamus, quod priores provinciales licenciam non concedant cuicumque fratri dandi bona sua fratri alteri vel conventui cuicumque, sed bona fratrum remaneant illi conventui, in quo ipsos mori contigerit conventuales. Omnes autem licencias seu concessiones, que iam suum non sortite sunt effectum, factas per quemcumque cuivis conventui de licencia cuiuscumque, eciamsi talis sit licencia vel fuerit magistri ordinis vel prioris provincialis sub quacumque forma verborum, reverendus pater magister ordinis penitus per presentes revocat et penitus annullat; et similiter omnes gracias exemptorias factas per quoscumque cuicumque sub quacumque forma verborum.

Item. Districte imponimus provincialibus universis ac diffinitoribus capituli generalis, ne pro [se seu] pro factis communibus provincie recipiant ullo modo nisi necessarias expensas, de quibus racionem strictam reddere teneantur in capitulo provinciali coram diffinitoribus capituli provincialis, vocatis eciam ad hoc aliquibus probis viris; quas expensas recipiant a conventibus provincie sue, taxando dictos conventus iuxta condiciones ipsorum.

Item. Precipit magister ordinis in virtute sancte obediencie de diffinitorum consilio et assensu fratribus ordinis universis, ne frater, cuiuscumque gradus existat, ad curiam Romanam accedat nec conventum suum exeat cum proposito ad dictam curiam accedendi, nec in curia stet sine ipsius magistri licencia speciali; de qua per litteras magistri suo provinciali ac vicario generali sue provincie, antequam de sua provincia exeat, faciat plenam fidem; et in eadem curia Romana procuratori ordinis eamdem fidem facere teneatur.

Qui vero contrarium fecerit, voce et omnibus graciis ordinis sit privatus et nichilominus sentenciam excommunicacionis ipso facto se noverit incurrisse; quam sentenciam excommunicacionis magister ordinis protulit in diffinitorio iuridice de ipsorum diffinitorum consilio et assensu; absolucionem a dicta sentencia sibi soli retinens et reservans.

Concedit tamen dictus magister prioribus provincialibus ac vicariis generalibus eorumdem, quod pro negociis ordinis ad dictam curiam ire et mittere valeant duos fratres.

Concedit eciam priori provinciali provincie Provincie, quod licenciare possit fratres sue provincie [ad curiam], secundum quod honori ordinis videbitur expedire.

Postquam vero fratres, ut premittitur, curiam intraverint, infra tres dies a procuratore ordinis statuta et ordinaciones in dicta curia factas de cortesanis teneantur petere et legere per preceptum.

Item. Volumus et ordinamus, quod in quolibet conventu, dicto pater noster et credo post completorium, fiant tres pulsaciones cum magna

campana, et tunc fratres genibus flexis salutent virginem gloriosam, dicendo ad minus tres ave Maria et post Fidelium in horis dicatur a fratribus genibus flexis Salve Regina cum quatuor collectis, prima: Protege, secunda: Deus omnium fidelium, tercia: Famulum tuum, quarta: Ecclesie tue, addendo in fine: et pacem tuam nostris concede temporibus. Versiculis precedentibus: Ora pro nobis, pro prima, oremus pro domino papa, pro secunda; domine, salvum fac regem, pro tercia; fiat pax in virtute tua, pro quarta.

Item. Confirmamus ordinacionem factam in capitulo Castrensi, quod frater quicumque solus non vadat extra conventum nec sine licencia eciam cum alio fratre exeat. Et quod fratres litteras testimoniales portent secum, et omnia alia, que in eadem ordinacione posita fuerunt cum penis adiectis in eadem (1).

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: In capitulo [de electione prioris conventualis] quod nullus frater irregularis vocem habeat in quacumque electione, et qui non est in sacris ordinibus constitutus.

Item. Declaramus hanc: Quod privare fratrem omnibus graciis ordinis, est ipsum privare prioratu, subprioratu, lectoratu, predicacione generali et omni gradu et promocione in nostro ordine possibile adipisci. Volumus autem et ordinamus, quod talis frater ordinis omnibus graciis privatus, ut est dictum, sit eciam voce privatus.

Item. Declaramus in capitulo de apostatis, quod committentes crimina seu peccata tum in ipsa apostasia, sive eciam furta, propter talia sic commissa, pari pena plectantur, ac si dicta crimina in ordine perpetrassent.

Item. Declaramus hanc: In capitulo de domibus concedendis, ubi dicitur: nisi forte illo anno, quod intelligatur ille annus quousque per fratrum receptorum sufficientem multitudinem tantus possit reparari defectus; ad quod priores provinciales volumus et districte imponimus dare operam efficacem.

Expliciunt acta capituli generalis apud Narbonam celebrati anno domini · m°· ccc°· liiii°·

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCV.

---

21) graciis] sit *add.* E.

---

(1) Cf. supra pag. 341 l. 8 sqq.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD PAMPILONAM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· LV°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: qui durante capitulo vices magistri ordinis gerat in omnibus, deleatur illud, quod sequitur: duntaxat quoad tractatus et acta capituli pertinebunt etc. et addatur: et locum magistri ubique teneat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis ut magister, sed in diffinicionibus unam habeat tantum vocem.

Item. Quod de sanctis angelis, Maria Magdalena et Vincencio octave per totum ordinem celebrentur.

Item. Ad instanciam serenissimi principis domini Karoli imperatoris semper augusti, quod de lancea et clavis, quibus sanctissimum corpus domini, cum fuit in crucis ara pro nostra salute transfixum, feria ·vi·[a] proxima post octavas resurrectionis eiusdem domini nostri Ihesu Christi, fiat per totum ordinem festum simplex; et magister ordinis curet de officio providere.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: si priorem provincialem in capitulo generali vel medio tempore usque ad provinciale capitulum vel in ipso capitulo provinciali mori vel amoveri contigerit, addatur post immediate: vel quocumque alio casu infra illud tempus provinciam aliquam priore provinciali carere contigerit, ad ipsum provinciale capitulum electio pertinebit. Et ista medio tempore observetur.

Item hanc: In eodem capitulo, ubi dicitur: Volumus autem, quod electio predicta spectet tantum ad priores conventuales et duos fratres de quolibet conventu ad hoc etc., addatur immediate ibidem: quocienscumque huiusmodi convocacionem fieri contigerit, elector etc.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: ad: suscipe deprecacionem nostram, addatur sic: Item quandocumque nomen Ihesu in collecta, in prefacione, in antiphona, aut in gloria in excelsis nominatur. Quando vero nomen Ihesus alias nominatur in choro, fratres

---

23) contigerit *om.* E.

eidem reverenciam faciant, capite devocius inclinato. Et hec habet duo capitula.

Item. Approbamus hanc: In ordinario post illud noviter confirmatum de memoria de sancto Thoma fienda, addatur sic: tempore resurrectionis addatur alleluia, brevi tono dictis antiphonis breviter correspondens. Et hec habet duo capitula.

Item hanc: In capitulo de itinerantibus, ubi dicitur: Ex vi presentis statuti: deleatur quod sequitur: omni voce etc., usque ibi: nisi per magistrum ordinis, et dicatur: in penam incidat graviori culpe debitam ipso facto, in qua cum tali dispensari non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Et habet duo capitula.

Item. Approbamus hanc: In capitulo de graviori culpa in constitucione noviter confirmata, ubi dicitur: idem dicimus de fratribus, qui inventi fuerint ad taxillos lusisse, addatur statim: vel qui in sentenciam excommunicacionis a quocumque iudice nostri ordinis rite latam scienter incidisse fuerint deprehensi. Et hec habet duo capitula.

Et omnes predicte approbaciones medio tempore inviolabiliter observentur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de suffragiis, ubi dicitur: anniversarium vero fratrum, addatur: et sororum ordinis nostri, et ponatur in kalendario, ubi dicitur anniversarium supradictum. Et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc: In capitulo de recipiendis, ubi dicitur: nec receptus fiat clericus nisi de licencia magistri speciali, addatur sic: nullus conversus recipiatur infra ·xviii· annos, et radatur de eodem capitulo, ubi prius erat, et post rasuram ita ponatur immediate: nullus eciam recipiatur illegitime natus nisi de prioris provincialis licencia speciali, et tunc sequitur: si vero. Et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc: In capitulo, de electione diffinitorum capituli generalis et provincialis, ubi dicitur: Et ex tunc incipiat auctoritas eorumdem, addatur sic: quod si aliquem de predictis diffinitoribus durante capitulo mori contigerit vel causa alia legitima impediri, electores supradicti secundum predictam formam superius positam statim alium in diffinitorem capituli eligant; qui statim electus eamdem habeat potestatem, quam ceteri habent diffinitores, et loco mortui vel impediti omnia capituli negocia cum aliis diffiniet et pertractabit. Et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc: Ad instanciam et preces prefati serenissimi

8) nisi] usque E. — 31) ubi dicitur *om.* E.

principis domini domini imperatoris Romani semper augusti, quod de beato Adelberto fiant tres lectiones per totum ordinem, sequenti die post festum beati Georgii, et de beato Procopio confessore fiant tres lectiones modo consimili ·iv·ᵃ die mensis iulii. Et hec habet tria capitula.

Item. Confirmamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: idem dicimus de socio prioris conventualis euntis ad capitulum provinciale electo, addatur sic: instante vero prioris provincialis electione priorum conventualium illius provincie absolucionem nisi ob causam criminis vel gravis scandali fieri totaliter prohibemus. Et hec habet tria capitula.

Et ista in locis suis in constitucionibus, ordinario vel kalendario annotentur.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Inprimis zelo et intencioni sancte reverendi patris magistri ordinis et aliorum patrum ordinis pro ipsius ordinis reformacione nos conformare volentes, volumus et iniungimus prioribus provincialibus universis et aliis ordinis presidentibus, quod ordinaciones et constituciones, et specialiter [sequentes observent, et ab aliis faciant inviolabiliter observari videlicet,] quod fratres omnes refectorium visitent et sequantur ad unguem; et quod nullus frater, cuiuscumque condicionis existat, amplius quam bis vel ter ad plus in septimana a refectorio se absentet; et quod omnes tam [de] die quam de nocte ad chorum veniant et faciant divinum officium secundum modum ordinis devote et sollempniter celebrari; et quod silencium arcte et stricte locis et temporibus statutis teneatur; super quo observatores in quolibet conventu volumus deputari; et quod fratres, nisi illi, per quos conventus substentantur, per villam non discurrant nisi raro, et tunc altera pars copule sit matura et discreta; et quod constituciones et ordinaciones de inclinacionibus observentur, et de non equitando sine licencia speciali, quam concedi nolumus nisi antiquis fratribus et ex causa; et de habitu ordinis quoad formam et materiam secundum nostras constituciones deferendo et specialiter, quod vilitas in capis observetur, et de botonis in manicis non portandis, et quod eciam manice scisse non portentur; et quod fratres intus et extra conventum carnes non comedant, nisi secundum constitucionis formam; et quod fratres de arte medicine non se intromittant; et quod expense excessive prohibeantur; et de non tenendo pecunias in manibus secularium nec eciam extra depositum commune; et de non revelando facta ordinis personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis; et de rasura in forma ordinis deportanda; et quod omni septimana sit capitulum de culpis, a quo nullus audeat remanere nisi causa urgente; et de pictanciis per magistros aut a lectoribus sive bacalariis in suis principiis nullatenus

faciendis; et de non procurando aliquod officium infra ordinem, nec amocionem seu remocionem in conventu aliquo seu officio pro se vel pro aliis per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas; et quod in cameris non comedatur; et quod non sint in conventibus plus quam quatuor loca ad comedendum, videlicet hospicium, recreatorium, domus infirmorum et refectorium, que volumus in singulis conventibus deputari, nisi forsitan propter loci penuriam aliter fieri oporteret; et quod infirmi bene procurentur. Et dictarum ordinacionum transgressoribus pene imponantur, in quibus aut raro aut nullatenus dispensetur et ex causa racionabili; et presidentes et priores et suppriores negligentes in predictis mox in penam a suis officiis absolvantur. Et volumus et ordinamus, quod constituciones ordinis semel infra duos menses in conventibus in mensa fratribus congregatis integraliter perlegantur.

Item. Cum reverendus pater magister ordinis suas ordinaciones exponendo frequenter dixerit, quod non vult fratribus indigentibus esum carnium denegari, universis presidentibus inhibemus, ne fratribus, cum infirmitatis necessitas cogit, recreaciones aut esus carnium denegent, quin pocius famulis dei suam necessitatem et indigenciam non ficte, set veraciter et humiliter exponentibus favorabiliter condescendant, inter quos intelligimus et enumerari desideramus fratres intus vel extra in suis officiis plurimum laborantes, fratres emeritos et hospites spectabiles ad alienos conventus pro causis racionabilibus declinantes.

Item. Prohibemus districte presidentibus universis, quod de cetero precepta non multiplicent nec faciant, nisi de maiori et saniori parte consilii; revocantes ex nunc et penitus annullantes omnia precepta facta actenus per quoscumque, preter illa, que facta sunt per magistrum ordinis, et que per eumdem confirmata sunt in provinciis, quas idem magister personaliter visitavit.

Item. Mandamus prioribus provincialibus universis, eis districtius imponendo, quatenus infra annum faciant in singulis conventibus, ubi expedit, libros chori et ordinaria corrigi et compleri et constituciones ordinis emendari; quas sic correctas, faciant per penas in eiisdem positas, quantum poterunt, observari; nec se reddant faciles ad dispensandum leviter in predictis; (et) iniungentes presidentibus et prioribus, quod si in penis per eas impositis faciliter dispensaverint, ipsi consimiles faciant penitencias, super quo eorum consciencias oneramus, et nichilominus presidentes taliter negligentes per superiores graviter puniantur.

Item. Imponimus prioribus provincialibus, quod studium in suis provinciis studeant reformare iuxta ordinacionem capituli precedentis, et

7) deputari] nec prohibemus per aliquem *add.* E.

arctent fratres per penas debitas ad sequendum scholas legencium, specialiter principalium lectorum (1). Et volumus et ordinamus, quod in singulis conventibus deputetur aliquis frater vel secularis, qui iuvenes in grammaticalibus instruat diligenter, nec aliquis possit fieri studens in aliqua facultate nec ad sacros ordines promoveri, nisi in grammatica sufficienter [sit] instructus, nec exponatur aliquis ad legendum vel mittatur ad studium extra provinciam, nisi priori provinciali et diffinitoribus de eius sufficiencia in moribus et sciencia constiterit competenter. Inhibemus autem fratribus universis, ne in scienciis vanis et curiosis conclusionibus et peregrinis studeant vel insistant nec conversentur cum fratribus quibuscumque, qui docent seu predicant conclusiones temerarias, falsas, periculosas aut suspectas, maxime contrarias determinacioni sancte matris ecclesie et doctrine communi, et precipue doctrine sancti Thome diligencius insistendo. Quod si aliquis admonitus se non correxerit, ipso facto penam gravioris culpe se noverit incurrisse.

Item. Ordinamus, ne de cetero aliquis fiat in ordine predicator generalis, nisi fuerit sufficiens in moribus et vita, et qui alias de crimine non fuerit convictus; nec prior aliquis propter suos defectus absolutus eodem anno possit fieri visitator.

Item. Ordinamus et mandamus quod constitucio, que dicit, quod priores et lectores et suppriores in visitatores nullatenus eligantur, inviolabiliter observetur. Visitatores autem officium suum ubique exerceant in conventibus, reverendi patris magistri ordinis aut prioris provincialis presencia non obstante, quamvis eciam idem provincialis vel magister illos conventus visitaverit illo anno.

Item. Volumus et ordinamus, quod fratres iuvenes et qui non habuerunt promociones notabiles in ordine, reverenciam exhibeant fratribus bene emeritis, antiquis precipue, lectoribus principalibus, cursoribus biblicis et magistris studencium, nec se ipsis preferant quoquomodo, nonobstante, quod sint antiquiores in ordine etate; nec prius interrogent aut respondeant in capitulo quandocumque super aliquibus negociis pertractantes.

Item. Ut magistris et bacalariis Parisiensibus omnis dissensionis occasio subtrahatur, volumus et ordinamus, quod, quando infra eumdem annum contigerit duos bacalarios Parisius legere sentencias, quorum unus legat estivaliter, ut moris est, et alter ordinarie, et per ordinem sit promotus, ille qui ordinarie legerit sentencias primitus ad magisterium presentetur, alter vero quibuscumque bacalariis annis sequentibus legentibus sentencias in presentacione et pro magisterio preferatur, nisi forte

(1) Cf. supra pag. 359 l. 14. sqq.

in predictis per sedem apostolicam fuerit aliter ordinatum. Adiicientes ad predicta, quod multorum bacalariorum intraneorum expedicio ad magisteria graciosa non tollit nec preiudicat expedicioni intraneis debite de rigore. Et idem per omnia dicimus de bacalariis extraneis et volumus in posterum taliter observari.

Item. Ad instanciam procuratoris ordinis mandamus et districte imponimus fratribus universis, quatenus prelatis et aliis ecclesie rectoribus debitam reverenciam exhibeant, nec eos provocent quovis modo, imponentes districtius prioribus provincialibus et aliis presidentibus, quod, ubi tales invenerint, punientes restringant. Et idem dicimus et volumus fieri contra illos, qui de factis ordinacionibus evomuerint mala verba.

Item. Mandamus et imponimus prioribus conventualibus universis et vicariis eorumdem, quatenus quandocumque contingat aliquem fratrem contra suos superiores et a correctione ordinis appellare, factam huiusmodi appellacionem et occasionem appellandi indilate procuratori ordinis mittere non omittant; alioquin si quis super hiis negligens fuerit, per magistrum ordinis se noverit graviter puniendum.

Item. Mandamus et imponimus prioribus provincialibus universis, quatenus privilegia ordinis preter illa, que in mari magno continentur, et indulgencias ordini communiter indultas contentas in bullis et aliis publicis instrumentis in suis provinciis diligentissime perquirant, et si necesse fuerit per preceptum, et cum subiectis clausulis ad brevitatem redacta fideliter reverendo patri magistro ordinis sive priori Parisiensi aut procuratori ordinis aut ad sequens capitulum generale mittere non omittant, signando huiusmodi conventus, ubi predicta privilegia potuerint inveniri.

Item. Interdicimus prioribus provincialibus universis, ne in suis provinciis vicarios instituant per contratas, quod si secus factum fuerit per quemcumque, penitus annullamus; poterunt autem secundum morem ordinis visitatores instituere in provincialibus capitulis, qui provinciam visitent; quos semper volumus fieri maturos et discretos, quibus vel aliis fratribus ydoneis, si opus fuerit, dumtaxat in determinatis conventibus possint committere vices suas, ita tamen, quod infra decem dies ab ingressu eorum ad singulos conventus eorum potestas cesset penitus et expiret, nisi provinciales, ex causa racionabili occurrente, vices suas ducerent plenius et diucius aliquibus fratribus committendas, maxime in casu, ubi prior provincialis non poterit conventus illos personaliter visitare. Predicta non intelligimus de illis conventibus et contratis, que secundum morem ordinis consueverunt per vicarios gubernari.

Item. Ordinaciones factas in capitulo Narbonensi, videlicet: quod bona fratrum remaneant illis conventibus, in quibus illos mori contigerit

conventuales, et quod priores provinciales in contrarium litteras non concedant (1); et quod fratres studeant diligenter in biblia et lectores circa textum et glosas principaliter insistant; cursores vero sentenciarum in studiis generalibus et conventibus sollempnibus quatuor libros sentenciarum perlegant infra annum.

Item. Quod in quolibet conventu, dicto pater [noster] et credo post completorium, fiant tres pulsaciones cum magna campana, et tunc fratres genibus flexis salutent virginem gloriosam, dicendo ad minus ter ave Maria; et quod post fidelium in horis dicatur a fratribus genibus flexis: Salve regina cum quatuor collectis: prima: protege; secunda: deus omnium; tercia: famulum tuum regem; quarta: ecclesie tue, addendo in fine: et pacem tuam nostris concede temporibus. Versiculis precedentibus: Ora pro nobis pro prima; Oremus pro domino papa pro secunda; Salvum fac regem pro tercia; fiat pax pro quarta, tenore presencium renovamus.

Item. Cum intellexerimus aliquos fratres sine prioris provincialis beneplacito fuisse mutatos et aliis conventibus seu provinciis de facto assignatos per aliquos fratres, qui se dicebant super hiis habere a reverendo patre magistro ordinis potestatem, volumus et ordinamus, quod nullus frater huiusmodi mutaciones et assignaciones faciat nec facere presumat, donec priori provinciali provincie illius fratris, quem mutare proponit, fidem fecerit de commissione et auctoritate a magistro ordinis vel vicario generali per litteras sibi facta; alioquin sit huiusmodi frivola et inanis; et nichilominus omnes commissiones factas actenus totaliter revocamus; rogantes reverendum patrem magistrum ordinis, quod tales commissiones vel litteras de facili non concedat.

Item. Consolacioni et bono regimini Ybernie provincie et Anglie volentes providere, circa fratres Ybernie et statum eiusdem nacionis et contrate ea, que sequuntur, duximus ordinanda:

Inprimis volumus, quod ordinarius visitator Corkagie concurrat cum aliis visitatoribus Ybernie in honoribus, vel quod a communibus oneribus et contribucionibus liberetur; huiusmodi limitacio per provinciale capitulum terminetur.

Item. Mandamus et districte imponimus priori provinciali Anglie vel eius vicario generali, quatenus diligenter [inquirat] de fratribus, qui promociones et disposiciones factas per ordinem de fratribus Ybernie per personas extra obedienciam nostri ordinis constitutas, alias quovis modo indebite conantur impedire, et ipsos arcea[n]t et punia[n]t per privaciones a graciis ordinis et per alias penas graves. Simili modo eisdem impo-

(1) Cf. supra pag. 361 l. 1 sqq.

nentes, quod inquirant et puniant omnes illos, quos invenerint inurias, gravamina, detractiones aut molestias fratri Philippo vicario Ybernie irrogasse, et illos, qui fratres hospites Ybernie recipere noluerunt; illos eciam, qui studentes de Ybernia missos ad studia generalia vel alibi iuxta statuta et consuetudinem provincie et ordinaciones magistri admittere recusaverunt; et nichilominus reverendum patrem magistrum ordinis rogamus et committimus, quatenus habilitaciones factas de fratribus dicte contrate, specialiter de fratribus Iohanne Tropt, quoad lecturam sentenciarum in Oxonia, et Waltero Soril quoad lecturam sentenciarum in Cantabrigia, et de quibuscumque aliis ad studia promovendis, iuxta determinaciones et gracias per reverendos patres magistros ordinis actenus eis factas adimpleri faciat, sicut expedire iudicaverit ordinis honestati.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCVI.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT
ACTA CAPITULI GENERALIS APUD VIRDUNUM CELEBRATI
ANNO DOMINI · M°· CCC°· LVI°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: Qui durante capitulo vices gerat magistri [generalis] in omnibus dumtaxat, que ad tractatus et acta capituli pertinebunt, deleatur id, quod sequitur: et extra capitulum locum suum teneat, et dicatur sic: Locum magistri ubique teneat et fidelium dicat et licentiam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis ut magister; et statim sequatur, prout ponitur: sed in diffinicionibus unam tantum habeat vocem.

Item inchoamus hanc: In ordinario in rubrica de festo [corporis] Christi in fine addatur sic: quod si in octavis corporis Christi festum simplex vel maius occurrerit, in sequentem immediate sextam feriam transferatur preterquam festum beati Iohannis baptiste et apostolorum Petri et Pauli. Et hec omnia medio tempore observentur.

Item inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Volumus autem, quod electio predicta spectet tantum ad priores conventuales et duos fratres de quolibet conventu ad hoc idem [electos], addatur: pro qualibet electione prioris provincialis fienda, si pluries fieri contigerit, noviter electos.

---

8) Tropt] Toopt *Analecta* etc. VI pag. 559. — 9) Waltero Soril] Valtosont *ibid.* l. c. — 30) et *ante* hec *om.* E. — 31) hanc *om.* E

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: [In capitulo] de electione prioris provincialis, ubi dicitur: si autem priorem provincialem in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso capitulo provinciali mori vel amoveri (etc.), addatur statim immediate: vel quocumque alio casu infra idem tempus aliquam provinciam priore provinciali carere contigerit, ad ipsum capitulum provinciale eius electio pertinebit. Et hec medio tempore observetur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de inclinacionibus, ubi dicitur: ad: Suscipe deprecacionem nostram, addatur: Item quandocumque nomen Ihesu in collecta, in prefacione, in antiphona et gloria in excelsis nominatur. Quando vero nomen Ihesu alias nominatur in choro, fratres eidem reverenciam faciant, capite devocius inclinato. Et hec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc: In ordinario post illud noviter confirmatum de memoria s. Thome fienda, addatur sic: Tempore resurrectionis addatur alleluia brevi tono dictis antiphonis correspondens. Et hec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc: In capitulo de itinerantibus, ubi dicitur: Ex vi presentis statuti, deleatur, quod sequitur: omni voce etc., usque ibi: nisi per magistrum ordinis, et dicatur sic: in penam incidat culpe graviori debitam ipso facto; in qua cum tali dispensari non possit, nisi per magistrum ordinis aut capitulum generale. Et hec habet tria capitula.

Item confirmamus hanc: In capitulo de graviori culpa in constitucione noviter confirmata, ubi dicitur: idem dicitur de fratribus, qui inventi fuerint ad taxillos lusisse, addatur sic: vel in sentenciam excommunicacionis a quocumque iudice nostri ordinis rite latam scienter incidisse fuerint deprehensi. Et hec habet tria capitula.

Et volumus et ordinamus, quod omnes proxime posite confirmaciones et alie omnes predicte per presidentes in suis locis protinus conscribantur.

Iste sunt ordinaciones.

Inprimis cum sit nimis grave et valde perniciosum leges et iura, quibus vivere convenit, in anime dampnacionem ignorare, ordinamus et monemus in domino omnes ordinis rectores tam priores provinciales quam alios presidentes, quatenus constituciones ordinis faciant ubique et ab omnibus fratribus inviolabiliter observari, penas imponendo trans-

3) autem *om.* E.

gressoribus in eisdem taxatas seu per prelatos ordinis alias ordinatas, in quibus vel nullatenus vel raro et ex causa racionabili dispensare non presumant, et sub pena absolucionis mandamus prioribus provincialibus universis, quod priores (non) absolvant, quos in predictis [vel] relaxando vel faciliter dispensando repererint deliquisse. Et volumus et ordinamus, quod constituciones ordinis semel infra duos menses in mensa fratribus omnibus in refectorio comedentibus integraliter perlegantur, adiicientes er ordinantes, quod pueri noviter ad ordinem recepti, postquam psalterium, ut moris est, cordetenus sciverint, antequam ad alia exponantur, cogantur dictas constituciones in pectore integraliter et perfecte reponere.

Item. Imponimus prioribus provincialibus universis, quod studeant studium in suis provinciis efficaciter reformare iuxta ordinata per generalia capitula multis annis, et arctent fratres per penas arbitrarias ad sequendum scolas legencium, et specialiter principalium lectorum. Et volumus et ordinamus, quod in singulis conventibus deputetur aliquis frater vel secularis, qui iuvenes ignaros instruat diligenter, nec aliquis possit fieri studens in aliqua facultate nec ad sacros ordines promoveri, nisi fuerit in grammatica sufficienter instructus; nec exponatur aliquis ad legendum nec mittatur extra provinciam ad studium, nisi priori provinciali et diffinitoribus de eius sufficiencia in moribus et sciencia constiterit testimonio fide digno. Inhibemus autem fratribus ordinis universis, ne scienciis vanis et conclusionibus curiosis et peregrinis studeant vel insistant, nec conversentur cum fratribus quibuscumque, qui talia docent seu predicant et conclusiones temerarias, falsas, periculosas aut suspectas, maxime contrarias determinacioni sancte matris ecclesie, et insistant doctrine communi sanctissimi doctoris nostri. Quod si aliquis admonitus non se correxerit, ipso facto penam gravioris culpe se noverit incurrisse ex vi presentis statuti.

Item. Ordinamus, quod de cetero nullus fiat predicator generalis, nisi fuerit sufficiens in moribus et vita et sciencia, et qui alias de crimine non fuerit convictus; nec prior aliquis propter suos defectus absolutus possit illo anno fieri visitator.

Item. Ut magistris et baccalareis Parisiensibus omnis dissensionis occasio subtrahatur, volumus et ordinamus, quod quando infra eundem annum contingit duos bacalareos nostri ordinis Parisius legere sentencias, quorum unus legerit estivaliter, ut moris est, alter ordinarie, ille, qui ordinarie sentencias legerit primo ad magisterium presentetur, alter vero quibuscumque bacalareis anni sequentis legentibus sentencias in magisterio et presentacione preferatur, nisi forte in predictis per se-

---

4) predictis] predicta E.

dem apostolicam contigerit aliter ordinari. Adiicientes ad predicta, quod multorum bacalareorum intraneorum licencia et expedicio ad magisterium graciosa non tollit nec preiudicat expedicioni intraneis debite de rigore, et idem dicimus et decernimus per omnia de bacalareis extraneis et volumus in posterum taliter observari.

Item. Mandamus et districte imponimus fratribus universis, quatenus prelatis et ecclesiarum rectoribus debitam reverenciam exhibeant, nec eos provocent quovis modo, imponentes districtius prioribus provincialibus et aliis presidentibus, quod ubi[cum]que invenerint tales, graviter puniant et restringant; et idem dicimus et volumus fieri contra illos, qui constitucionibus ordinis et factis ordinacionibus mala verba direxerint quovis modo.

Item. Ad instanciam procuratoris ordinis mandamus et districte imponimus prioribus conventualibus universis et vicariis eorumdem, quatenus quandocumque continget, aliquem fratrem contra suos superiores et a correctione ordinis appellare, factam huiusmodi appellacionem et occasionem appellandi, mittere indilate procuratori ordinis non omittant; alioquin, si quis contra hoc fecerit et negligens inventus fuerit, per reverendum magistrum ordinis se noverit graviter puniendum.

Item. Mandamus et districte imponimus prioribus provincialibus universis, quatenus privilegia ordinis preter illa, que in privilegio, quod mare magnum vocatur, continentur, et indulgencias ordini communiter indultas contentas in bullis et aliis publicis instrumentis in suis provinciis diligentissime perquirant, et si necesse fuerit per preceptum, et cum subiectis clausulis ad brevitatem redacta fideliter reverendo patri magistro ordinis aut procuratori ordinis aut ad sequens capitulum generale mittere non omittant, signando huiusmodi conventus, in quibus huiusmodi indulgencie vel privilegia potuerint reperiri.

Item. Volumus at ordinamus, quod quicumque frater deprehensus fuerit consuluisse Pythonem aut alchymiam fecisse, carcerali custodie mancipetur, que pena per priores provinciales sub pena absolucionis protinus imponatur, mandando eisdem, ne frater quicumque camisiam lineam portet ad carnem, transgressoribus penam gravis culpe cum effectu totaliter imponendo; prohibendo districtius, quod frater quicumque sudarium ad collum (non) portet per conventum nec per civitatem aut villam quamcumque.

Item. Imponimus prioribus provincialibus universis sub pena absolucionis et eorum vicariis et aliis, quorum poterit interesse, quatenus electos in priores quantumcumque unanimiter per conventus, confirmare non presumant, nisi universaliter ex preteritis presumant, quod correctioni et honestati et reformacioni ordinis dabunt operam efficacem, non

obstante, quod huiusmodi electi in moribus non deficiant nec sint aliter criminosi.

Item. Ordinamus, quod fratres, qui per reverendum patrem magistrum ordinis de una ad aliam provinciam translati [fuerint], in priores nullatenus assumantur absque priorum provincialium testimonio, de quorum provinciis fuerint assumpti.

Significamus fratribus universis, quod reverendus pater magister ordinis et diffinitores huius anni commiserunt cuilibet priori provinciali, quod in sua provincia possit dispensare cum fratribus apostatis vel punitis, et eis gracias ordinis et vocem restituere, prout honestati ordinis in eorum conscienciis iudicaverint expedire.

Iste sunt penitencie.

Propter gravia disturbia, scandala et diffamaciones dampnabiles et enormes perpetrata per fratres inferius nominatos de conventu Metensi ipsos provinciis et conventibus sequentibus assignamus. Primo: conventui de uiculis de provincia Ungarie fratrem Iohannem de Fonte et Sidalmanum. Item conventui Bergensi de provincia. Dacie fratrem Henricum de Mescliniis et Ugonem Feci. Item conventui Dublini de provincia Anglie fratrem Albertum de sancto Viro et Arnulfum Rutinem. Item conventui Cruviensi de provincia Yspanie fratrem Bertrandum de Vandelevilla et Iohannem Bochannym assignamus, mandantes omnibus et singulis predictis in virtute sancte obediencie, quatenus infra mensem a noticia presencium recedant de dicto conventu Metensi et versus conventus, quibus sunt assignati, recta via dirigant gressus suos. Et nichilominus omnes prefatos et alios et singulos fratres dicti conventus, qui cum superius nominatis vicario reverendi patris magistri ordinis hactenus non obediverunt nec obediunt, eciam de presenti nos omnes et singuli priores provinciales et diffinitores huius anni unanimiter et concorditer audiencia confessionum quorumcumque secularium et predicacione ac omnibus et singulis graciis ordinis ex causis racionabilibus et certa sciencia privamus, imponentes et mandantes eisdem in virtute sancte obediencie et sub pena excommunicacionis, quod presentem privacionem et subtractionem firmiter et inviolabiliter teneant et observent.

Item. Denunciamus fratribus ordinis universis, quod prior provincialis Francie de potestate sibi tradita a sancta sede, de consilio nostro et aliquorum de dicta provincia, absolvit ab officio inquisicionis Lotharingie fratem Iohannem de Fonte.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

·HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD VENECIAS CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· LVII°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In ordinario quod de beato Yvone presbytero et confessore fiant tres lectiones per totum ordinem ·xiiii· kalendas iunii in die scilicet beate Pudenciane virginis.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus [hanc]: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: qui durante capitulo generali vices magistri obtineat in omnibus duntaxat, que ad tractatus et acta pertinebunt, deleatur illud, quod sequitur: et extra capitulum locum suum teneat, et dicatur sic: locum magistri, ubique teneat et fidelium dicat et licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis ut magister. Et statim sequatur, prout ponitur ibi: sed in diffinicionibus unam tantum vocem habeat. Et hec habet duo capitula.

Item. Approbamus hanc: In ordinario in rubrica de festo corporis Christi, in fine addatur sic: Quod si in octavis corporis Christi festum simplex vel maius occurrerit, in sequentem immediate sextam feriam transferatur, preterquam festum Iohannis baptiste et apostolorum Petri et Pauli. Et hec habet duo capitula.

Item. Approbamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Volumus autem, quod electio predicta spectet tantum ad priores conventuales et duos fratres ad hoc idem electos de quolibet conventu, addatur sic: pro qualibet electione fienda de priore provinciali, si pluries fieri contigerit, noviter electos. Et hec habet duo capitula.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Quod si prior provincialis in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso capitulo provinciali mori vel amoveri, addatur statim immediate: vel quocumque alio casu infra idem tempus aliquam provinciam priore provinciali carere contigerit, ad ipsum provinciale capitulum electio pertinebit. Et hec habet tria capitula, et per presidentes in constitucionibus adnotetur.

Iste sunt ordinaciones.

Inprimis cum ex multitudine mandatorum frequenter confusio inducatur, quapropter in paucis reductis ad unum, ubi lex pendere uni-

versa dignoscitur, nec proferre nec iura condere nova prodest, ubi antiqua sufficere dignoscuntur, hinc est, quod nos ad antiqua iura nostra in scriptis statutis et constitucionibus nostris districtius expressa, que pro dolor per contrariam corruptelam ubique quasi totaliter abrogaverunt, quasi ad tocius sanctitatis speculum expressius et exemplar cordis oculos attencius convertentes, mandamus ac districte imponimus sub penis gravibus inferius explicandis prioribus provincialibus et conventualibus et eorum vicariis et universaliter presidentibus ordinis universis, quatenus predictas constituciones nostras quoad singula precepta contenta in eisdem et in actis capituli Bisuntini (1), per priores provinciales, qui tunc diffinierunt, seriosius repetita et in presentibus confirmata utpote, quod omnes fratres communitatem tam chori quam refectorii sequantur indefesse iuxta sanctam intencionem et normam reverendi patris magistri ordinis, tam de die quam de nocte; et quod inclinaciones debito modo fiant; et quod fratres ieiunium sancte crucis exacte observent, nec lineis utantur ad carnes, nec dormiant nisi secundum formam in constitucionibus datam; quod silencium horis et temporibus statutis arctissime teneant; quod fratres per villam, maxime ad loca religiosarum vel aliarum [mulierum] nullatenus discurrere permittantur, nec copulentur similiter, ibi vel alibi, nisi saltem altera pars copule sit etate et moribus matura et vita sana; quod omnes habitum quoad materiam et formam, sicut dictant constituciones omnino deferre cogantur, et potissime in capis vilitas observetur, alioquin ipso facto vestibus sint privati; quod fratres nullatenus intra vel extra [conventum] ad comestionem carnium seu carneatorum nisi in casibus constitucionum licencientur, nec potagia vel pulmenta pinguia quovis colore falso invento in refectorio comedantur; quod fratres ab expensis excessivis, maxime studentes et lectores, per negacionem omnis licencie retrahantur; et quod pecunie et cetera bona appropriata fratrum nullo modo in manibus personarum extra obedienciam nostri ordinis existencium, sed magis in communi deposito custodiantur, alioquin dicto appropriato sint privati et conventibus, ad quos pertinent, applicentur; et quod secreta ordinis, scandala et puniciones seu pene fratrum nullatenus personis extra obedienciam ordinis revelentur; nec promociones fratrum vel status eorum per quoscumque, qui non sunt de ordine procurentur; et quod infirmis sollicite provideatur, et per presidentes charitative visitentur; et quod singuli fratres saltem semel in anno racionem fidelem et integram reddere suis superioribus per pre-

2) sufficere] cognoscere E.

(1) Cf. supra pag. 347 l. 24 sqq.

ceptum de suo appropriato et expensis, quas fecerunt, teneantur; et si aliquid, diabolo suggerente, celaverint, tanquam proprietarii puniantur, privati appropriato ipso facto; nec presidentes conventuum absque prioris provincialis licencia, vel ceteri fratres absque presidencium in conventibus vel suorum superiorum auctoritate et licencia aliquid de bonis communitatis vel sibi appropriatis, libris, iocalibus vel aliis distrahere vel vendere audeant quoquo modo, totum si factum fuerit oppositum, irritantes; et quod omnes rasuram, ut religiosos decet et constitucio docet, ferre cogantur.

Mandamus igitur cunctis ordinis presidentibus, quatenus, ut prefertur, omnia et singula prefata faciant a sibi subditis inviolabiliter observari, et in seipsis studeant diligencius observare, fratrem omnem, quem invenerint dictarum regule et constitucionum transgressorem quantum ad culpas, quarum pena taxatur et determinatur in ipsis, penis vero infrascriptis quantum ad penas, que arbitrio prelatorum relinquuntur indispensabiliter puniendo: alioquin postquam legitime hoc constiterit, in virtute sancte obediencie precipimus prioribus provincialibus ac eorum vicariis necnon et diffinitoribus capitulorum provincialium universis, quatenus omnes presidentes ordinis sibi subditos, quos repererint in hoc remissos et negligentes, statim in sui confusionem et ceterorum exemplum absolvant a suis officiis in penam, eos penis aliis, secundum quod plus et minus deliquerunt, per acta capitulorum suorum provincialium puniendo et publice denunciando punitos, rogantes magistrum ordinis reverendum, quatenus omnes provinciales, qui in hoc fuerint negligentes tanquam sue professionis immemores et eciam sui ordinis destructores absolvat indilate, capitulo generali nullatenus expectato. Sane cum obstinata duricia transgressorum sine gravibus penis arctari nequeat a vetitis, nec induci ad imposita et mandata, hinc est, quod pro ipsorum reductione salubri contra transgressores predictos de penis debitis curavimus providere. Propter quod volumus et mandamus, quod deficientes in choro vel refectorio sine licencia vel de quovis officio deficientes, vel silencium frangentes abstineant a pictancia vel a vino; et quod non dicentes divinum officium aut non inclinantes debite, postquam super hiis fuerint tercio reprehensi, in pane et aqua abstineant indispensabiliter una die; et quod utens lineis et iacens extra dormitorium aut licenciatus ad comestionem carnium aut carneatorum intra vel extra [conventum], vel ad villam, maxime ad loca mulierum, aliter quam dictum sit, infra decem dies penitenciam faciat gravis culpe.

Item. Mandamus ac districte imponimus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, quatenus singuli studeant in suis

1) et *ante* expensis *om.* E.

provinciis studium reformare seu pocius innovare, ordinantes et in virtute sancte obediencie mandantes, quatenus nullus frater noviter transiens de studio phylosophie ad studium theologie audeat studere vel legere ex proposito et morose in doctrinis vanis et mecanicis, quoad usque ad minus studuerit et legerit sic, quod non habeat ignoranciam terminorum et communium conclusionum et vere doctrine, et in doctrina sancti doctoris et doctorum nostrorum antiquorum et aliorum, et potissime sanctorum, ne ipsi ignorantes, quid [est verum] et quid falsum, varios, quod absit, prolabantur in errores, falsa pro veris et certis, quod est errori proprium, approbando.

Idem sub eodem tenore precepti volumus de studentibus Parisius, Oxonie et aliorum studiorum generalium intraneis vel extraneis, necnon lectoribus, cursoribus et sublectoribus, et generaliter studentibus ordinis universis, nisi postquam fuerint, ut prefertur, in doctrina sana et communi et non suspecta sufficienter fundati et informati districtius; imponimus omnibus lectoribus principalibus et cursoribus et magistris studencium in theologia, ne ipsi questiones mere philosophicas aut logicas audeant disputare vel tractare, sed pocius theologicas et morales, et ne ipsi vel alii in sermonibus vel lectionibus insistant coloribus et rithmis, nisi paucis, cum hoc pocius concernat mimos et ioculatores quam doctores et predicatores. Volentes insuper, quod lectores singulis diebus legibilibus suas continuent lectiones, nec nominetur lector vel sit, nisi ad minus legerit ter in septimana; omnes enim oppositum facientes volumus per preceptum absolvi et per presidentem in conventu privari omnibus privilegiis, libertatibus, graciis alias lectoribus dari consuetis.

Insuper ordinamus, quatenus ad aliquam lecturam nullus promoveatur nisi dignus, nec ad studium mittatur aliquis studens, et maxime extra provinciam suam, nisi primitus in grammaticalibus, divino officio, regula, ordinario et constitucionibus fuerit informatus ad plenum, mandantes prioribus provincialibus universis sub pena absolucionis, ne aliquem fratrem promoveant ad studium Parisiense vel quamcumque lecturam, nisi prius divinum officium sciverit complete dicere et psalterium complete et perfecte.

Nec volumus aliquem pro studente Parisius, Oxonie, Kantebrigie quomodolibet deputari nec gaudere titulo vel honore illorum studencium, nisi ad minus steterit ibidem per annum, secutus inibi actus scolasticos diligenter, privantes provinciam omnem iure mittendi illo anno Parisius vel ad quodcumque studium generale, que fratrem insufficientem repertum miserit ibidem; et nichilominus ille sic insufficiens ab omni studio

3) audeat] aut E. — 36) secutus] secuti E.

simpliciter absolvatur, districtius inhibentes, ne aliquis frater rediens de studio generali fiat prior, nisi fuerit lector tribus annis; rogantes reverendum ordinis magistrum, ne aliquem exponat Parisius, Oxonie vel Kanthabrigie ad legendum, nisi primitus titulo studentis honoris steterit ibi per annum ad examen.

Item. Inhibemus fratribus universis, ne fratres quoscumque ad quecumque monasteria monialium licenciare presumant nisi causa predicacionis vel alia iusta causa examinanda diligencius per discretos, penam gravis culpe fratribus omnibus et singulis licenciantibus imponentes, quam si infra decem dies non fecerint, eos pene gravioris culpe volumus subiacere. Sub pena vero carceris prohibemus fratribus universis, ne quecumque alia loca ab ecclesia dictorum monasteriorum intrare presumant, nisi solum causa confessionis alicuius infirme graviter audiende, in quo casu et in omni alio sub eadem pena carceris precipimus fratrem sic se habere, quod semper a socio et aliis honestis personis clare possit videri.

Item. Volumus et ordinamus, ut ex ordinario habetur, et ut dissonancia, que ex opposito oritur, recidatur, quatenus cantor finitis psalmis reincipiat antiphonam, et fratres ceteri prosequantur, quod diligenter a suis officialibus faciant priores in suis conventibus diligenter observari.

Item. Ut magistris et bacalariis Parisiensibus omnis dissensionis occasio subtrahatur, volumus et ordinamus, quod quandocumque infra eumdem annum contigerit Parisius duos bacalarios nostri ordinis legere sentencias, quorum unus legat sentencias in estate, alter vero in hyeme, ille qui in hyeme legerit sentencias, primo ad magisterium presentetur, alter vero quibuscumque bacalariis annis sequentibus legentibus in presentacione [pro] magisterio preferatur, nisi forte in predictis per sedem apostolicam contigerit aliter dispensari. Adiicientes ad predicta, quod multorum bacalariorum intraneorum licencia et expedicio ad magisterium graciosa non tollit nec preiudicat expedicioni intraneis debite de rigore. Et idem per omnia dicimus de bacalariis extraneis, et volumus in posterum totaliter observari.

Item. Volumus et ordinamus, quod in ordinario, kalendario et aliis locis debitis festum sancti Adalberti episcopi et martyris in crastino sancti Georgii annotetur, et de eo fiat officium sicut de sancto Urbano martyre papa, quando evenerit tempore resurrectionis.

Item. Mandamus et imponimus prioribus provincialibus Grecie et Terre sancte et sociis eorumdem, quatenus singulis annis nomina et condiciones fratrum suorum deferant in scriptis ad capitulum generale.

---

3) exponat] disponat E.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus de cetero fiat prior vel lector, nisi sit sufficiens iudicio provincialium ad proponendum in populo verbum dei, mandantes districtissime prioribus provincialibus, quod omnem priorem vel lectorem insufficientem ad predicandum absolvant a suis officiis indilate, inhibentes prioribus provincialibus et conventualibus sub pena debita gravis culpe, ne aliquem fratrem ad audienciam confessionum exponant, nisi prius sit examinatus sollicite et sufficiens inventus; mandantes prioribus provincialibus sub pena absolucionis, quod officium inquisicionis non committant nisi fratribus maturis, discretis et litteratis et in omnibus ydoneis ad tam salubre ministerium salubriter exercendum.

Item. Mandamus et imponimus priori provinciali Anglie et diffinitoribus capituli provincialis Anglie, quatenus cursum ordinent magistrandorum in Kantabrigia penitus omissum, [et] studeant diligencius reformare, volentes et declarantes, quod sicut fratres provincie Ybernie ad magisterium in Anglia [promoventur] ita quoque contribucionem per diffinitorem capituli generalis conventui Oxonie mittere teneantur.

Item. Volumus et mandamus priori provinciali et capitulo provinciali provincie Francie, quod circa fratres conventus Metensis nichil omnino ordinent vel disponant sine mandato magistri ordinis et licencia speciali.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: Omnem fratrem assuetum ad quoscumque defectus debere puniri pena gravis culpe, sicut vult constitucio de assuetis ad silencii fractionem.

Item. Declaramus hanc, quod sicut imminente electione priorum non debent fieri mutaciones fratrum ante mensem electionem predictam precedentem immediate, nisi in casibus in nostris constitucionibus expressis, simili modo declaramus et volumus, quod non fiant mutaciones fratrum, privaciones vocum, absoluciones priorum a tempore noticie carencie provincialis in aliqua provincia usque ad noticiam confirmacionis eiusdem, nisi in casibus in constitucionibus declaratis.

Item. Declaramus hanc, quod officium beate virginis tempore paschali fiat sicut in aliis temporibus, additis congruis alleluia, et in matutinis dicantur tres psalmi primi nocturni cum antiphonis, ad magnificat: regina celi, et ad benedictus: beata dei, et collecta: concede nobis etc.

Item. Declaramus, quod de beato Procopio debent fieri tres lectiones octavo idus iulii, et fiat de eo, sicut de beato Mauro, et festum eius in kalendario et aliis locis adnotetur.

Iste sunt penitencie.

In primis, quia frater Nicholaus Egozz provincie Theutonie solus sine socio fratre presumpsit venire ad capitulum generale, quasi fugitivus

merito reputatur, ipsum volumus compelli per priorem suum ad faciendam penitenciam graviori culpe debitam per tres menses.

Item. Mandamus et imponimus priori provinciali et diffinitoribus capituli provincialis Lombardie inferioris, quod ipsi fratri sue provincie, qui non interfuit capitulo generali et tamen debuit interesse, nec tamen suam absenciam excusavit, imponant penitenciam gravis culpe, quam infra mensem a noticia presencium facere compellatur, volentes per eumdem provincialem et diffinitores eadem pena plecti fratres omnes voces habentes in tractatu eorum, que ad generale et provinciale capitulum mittenda sunt, in illis conventibus provincie supradicte, qui socio caruerint isto anno, si tamen dicti fratres dicto tractatui interfuerunt vel interesse commode potuerunt.

Item. Fratres omnes fautores et complices illius rebellionis dampnabilis Trivisiis, qui in hoc culpabiles fuerint legitime deprehensi, volumus et mandamus per supradictos diffinitores conventibus remocioribus ipsius Lombardie inferioris deputari, pena gravioris culpe plus et minus iuxta exigenciam culparum inibi puniendo; quibus a carcere misericorditer parcimus ob reverenciam domini nostri ducis Veneciarum. Fratres vero alios, quos constiterit campanam dicti conventus ad suscitandam sedicionem populi cum martello pulsasse, carceri mancipari precipimus et mandamus in aliquibus conventibus Marchie Anconitane, quibus per sepe dictos diffinitores visum fuerit, assignari.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD ARGENTINAM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· LVIII°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: prior illius loci, ubi capitulum fuerit celebrandum, cum diffinitoribus capituli in celebracione procedat eiusdem, addatur sic: quilibet autem vicarius generalis provincie, per quemcumque modum fuerit legitime institutus, in absencia prioris provincialis locum provincialis teneat, fidelium dicat et licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis durante capitulo provinciali dumtaxat; et statim sequatur, prout ibidem ponitur: predicti ergo diffinitores tractabunt omnia.

---

14) in] sunt E. — 15) ipsius] istius E.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur in principio: capitulum generale, deleatur, quod statim sequitur usque ibi exclusive: ·xviii· provinciales, et dicatur sic: de biennio in biennium una vice Parisius, altera Bononie celebretur, nisi magistro et diffinitoribus ex causa legitima de loco aliud videatur, (predicti autem ·xviii· provinciales) causas in mente habentibus, et statim sequatur, ut ibi ponitur: et ·xviii· provinciales in tercio anno immediate sequenti, nisi infra festum sancti Michaelis vel in ipso festo magistrum ordinis mori vel amoveri contigerit.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: qui durante capitulo vices magistri ordinis [gerat in omnibus] dumtaxat, que ad tractatus et acta capituli pertinebunt, deleatur illud, quod sequitur: et extra capitulum locum suum teneat, et dicatur sic: et locum magistri ordinis ubique teneat, fidelium dicat et licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis ut magister, et statim sequatur, prout ponitur ibi: sed in diffinicionibus unam habeat vocem. Et hec habet ·iii· capitula.

Item. Confirmamus hanc: In ordinario in rubrica de festo corporis Christi in fine (et) addatur sic: quod si in octavis corporis Christi festum simplex vel maius occurrerit, in sequentem immediate sextam feriam transferatur, preterquam festum Iohannis baptiste et apostolorum Petri et Pauli. Et hec habet ·iii· capitula.

Item. Confirmamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: volumus, quod electio predicta spectet tantum ad priores conventuales et duos fratres ad hoc idem electos [de quolibet conventu], addatur sic: pro qualibet electione de priore provinciali fienda, si pluries fieri contigerit, noviter electos. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Inprimis volumus et ordinamus et districte imponimus prioribus provincialibus, conventualibus et presidentibus universis, quatenus regulam et constituciones nostras quantum ad singula precepta contenta in eisdem faciant inviolabiliter observari, transgressores penis taxatis in dictis constitucionibus sub pena absolucionis indispensabiliter punientes.

Item. Mandamus et districte imponimus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium universis, quatenus singuli studeant diligentissime studium in suis provinciis reformare, prout in actis capituli generalis Veneciis celebrati extitit seriosius ordinatum (1), addentes, quod in singulis provinciis unus conventus vel plures pro studio

(1) Cf. supra pag. 377 l. 38 sqq.

grammatice et logice deputetur, ubi iuvenes mittantur ad studium, prout capitulum provinciale iudicaverit expedire; et volumus, quod nullus lector logice vel phylosophie promoveatur ad aliquod studium, nisi habeat ydoneum successorem, et quod priores ac eciam presidentes scolas lectorum principalium sequantur, nisi fuerint legitime impediti, et cogant fratres omnes et singulos ad sequendum; et quod non licencient fratres ad villam vel ad terminos tempore lectionum, nisi pro evidenti necessitate conventus et fratrum. Volentes insuper, quod priores provinciales habentes in suis studiis studentes discolos et insufficientes, remittant [eos] ad suam provinciam indilate, scribentes suis provincialibus defectum et insufficienciam eorumdem.

Item. Mandamus prioribus provincialibus universis et conventualibus, ne fratrem aliquem exponant ad audienciam confessionum, nisi prius examinatum sollicite et sufficientem inventum; nec committant officium inquisicionis nisi fratribus maturis et religiosis, discretis et litteratis et in omnibus ydoneis ad officium tam salubre exercendum; et volumus, quod nullus fiat prior, nisi sufficienter sciat proponere populo verbum dei.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater apostata vel incarceratus possit fieri confessor monasteriorum dominarum; et quod nullus frater utatur calceis acutis et strictis aut vestibus notabiliter curiosis.

Item. Volumus et ordinamus, quod fratres conventuum vel pro aliquibus conventibus ad ordinem recepti, qui quinque annis continuis in extraneis conventibus steterint, ad proprios conventus redire cogantur, nisi propter officium prioratus vel lectoratus vel studium aut officium, scandalum aut aliam causam eque bonam, provincialis et diffinitorum capituli provincialis iudicio discernendam, magistris in theologia dumtaxat exceptis.

Item. Voluit reverendus pater magister ordinis et diffinitores capituli generalis, quod fratres omnes et singuli inducant personas devotas nostro ordini ad subveniendum pro opere capelle, que Bononie ordinatur pro beati Dominici patris nostri sepulcro.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD PRAGAM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· LIX°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur circa finem: tractatibus capituli nullatenus admittatur, addatur sic: nullus eciam frater, cuiuscumque condicionis et status existat, ex quacumque causa ab obediencia vel correctione ordinis exemptus (est) huiusmodi tractatibus admittatur, nec in aliqua electione aut actu ordinis huiusmodi frater vocem habeat nec ad prelacionem nec ad officium quodcumque ordinis possit assumi, et statim sequatur, ut ibi [ponitur]: prior autem et ipsi etc.

Item. Quod de lancea et clavis fiat festum simplex prima feria sexta post octavas resurrectionis.

Item. Quod de sancta Edwige fiant tres lectiones idibus octobris.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: prior illius loci, ubi capitulum provinciale fuerit celebrandum, cum diffinitoribus capituli in celebracione procedat eiusdem, addatur: quilibet autem vicarius generalis provincie, per quemcumque modum fuerit legitime institutus, in absencia prioris provincialis locum provincialis teneat, fidelium dicat et licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis, durante capitulo dumtaxat; et statim sequatur, prout ponitur ibi: predicti igitur diffinitores etc.

Iste sunt ordinaciones et ammoniciones.

Inprimis volumus et sub pena gravioris culpe, quam ipso facto transgrediens incurrat et quam substinere per presidentem, postquam ei legitime constiterit, decem diebus infra mensem sub pena consimili compellatur, districtissime ordinamus, quatenus nullus frater quodcumque monasterium feminarum intrare presumat, nisi in casibus in constitucionibus sororum ordinis concessis, exceptis locis, in quibus predicare vel confessiones audire aut comedere aut dormire fratres conventus consueverunt in monasteriis antedictis. Nullus frater sub pena antedicta arma quecumque super se aut extra conventum portare et tabernas in locis,

---

3) Pragam] Plagam E. — 4) anno domini ·M·CCC·LIX°· *om.* E. — 7) nullatenus] aliquatenus E.

ubi conventum habemus, audeat intrare, nisi forsitan causa audiendi confessiones alicuius decumbentis ibidem.

Item. Mandamus fratribus universis, quatenus prelatis ecclesiasticis debitam reverenciam impendant et ab ipsorum turbacione summopere caveant nec abutantur privilegiis nostro ordini concessis, sed cum omni diligencia et humilitate se habeant in predictis. In diebus eciam determinatis a canone in suis predicacionibus fratres persuadeant populis, quod decimas solvant, prout tenentur, sacerdotibus parrochialibus, cum ad hoc fratres fuerint ab ipsis requisiti. Nullus quoque frater vel conventus in iudicio quocumque a nobis extraneo per se vel per alium audeat procurare aut quascumque recipere cessiones, nisi de prioris provincialis licencia speciali in scriptis obtenta, prius tamen per narracionem prioris et consilii conventus de iusticia cause plenius informati.

Fratres denique, nisi fuerint in divino officio, cantu et grammatica sufficienter instructi, aut non fuerint secundum canones legitime etatis ad sacros ordines promoveri, vel eciam, ut promoveantur, presentari non possint; et hec omnia et singula sub pena gravioris culpe per decem dies continuos per presidentes infra mensem, postquam legitime constiterit alicui predictorum, transgressoribus imponendo. Si qui vero fratres iuvenes sic negligenter profecerint in predictis, quod cum ad legitimam etatem pervenerint, propter defectum litterature, ut predictum est, promoveri non debeant, reverendus pater magister ordinis mandat prioribus provincialibus universis, quatenus huiusmodi iuvenes sic ineptos ex clericis conversos faciant, postquam de tali insufficiencia eis constiterit, infra mensem.

Item. Sub pena excommunicacionis mandamus et imponimus fratribus universis, quod de cetero nullus per se vel per alium emat quamcumque possessionem vel redditum simpliciter vel ad vitam aut ad quodcumque tempus a quacumque persona vel conventu vel collegio, sive sit ordinis sive non; et iam empta vendantur aut aliter expediantur infra tres menses a noticia presencium, alioquin, si qua in posterum ementur, statim cum empta fuerint, quomodo iam empta sunt, elapso iam dicto termino ex nunc pro tunc conventui, de quo huiusmodi frater extiterit, applicamus simpliciter et ex toto, ordinantes nichilominus, quod infra sex menses, postquam fuerint conventui applicata, ipse conventus de eisdem se expediat, nec quamcumque porcionem pecunie inde habite dare possit fratri, cuius illa fuerunt.

Item. Volumus et ordinamus, quod in singulis conventibus per tres fratres antiquiores in ordine infra mensem a noticia presencium examinetur habitus cuiuscumque fratris de conventu quoad materiam et quoad formam, et si invenerint aliquid reformandum, mandent illi fratri, quod infra mensem reformet; quod si non fecerit, ex tunc voce privatus sit,

et vestis sit provincie applicata. Si vero illi fratres antiquiores in hoc negligentes inventi fuerint, per priorem provincialem acriter puniantur.

Discursus eciam priorum et lectorum per provincialem et aliorum fratrum per presidentem precipue studencium compescantur.

Item. Omni districtione, qua possumus, inhibemus, ne frater aliquis extra commune dormitorium sanus existens cameram habeat aut clavem ipsius teneat, eciamsi ipsam ex appropriatis sibi sumptibus fabricasset, nisi fuerit prior provincialis vel sit magister in theologia aut quinquagesimum annum in ordine compleverit, et alias iudicio provincialis sit frater emeritus, et nisi sit actu inquisitor, de beneplacito tamen provincialis, ubi hoc de inquisitoribus fuerit consuetum.

Item. Mandamus prioribus provincialibus universis et conventualibus aliisque presidentibus, quatenus omnem apostatam ad ordinem redeuntem compellant propter dictum apostasie vicium ad faciendam penam gravioris culpe per tres menses ad minus, et ad ieiunandum, ut constitucio dicit, duobus [diebus] in pane et aqua singulis septimanis. Qui vero ultra apostasiam alia crimina sive in ordine sive in dicta apostasia inventi fuerint [commisisse], iuxta nostrarum constitucionum tenorem acrius puniantur. Incarcerati vero ex quacumque legitima culpa non possint ante annum ab ipsorum inclusione a carcere liberari, et, ut scandalosi et criminosi fratres puniri valeant, ut tenemur, imponimus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium universis, quatenus sic ordinent, quod ante festum nativitatis domini in suis provinciis sint tot firmi carceres, quot conventus. Provinciales autem sic provideant cum nervis et catenis [et] aliis instrumentis ferreis, prout necesse fuerit, quod de ipsis carceribus fugere non valeant carcerati.

Item. Ut predicta omnia et alia, que reformacione indigent, melius possint execucioni mandari, imponimus prioribus provincialibus universis, quatenus singuli super certos conventus sue provincie sex videlicet vel plures vel pauciores, prout eis videbitur expedire, sic tamen, quod nullus conventus huiusmodi vicario careat, aliquem fratrem religiosum et zelatorem vicarium instituant cum debita auctoritate, qui per conventus sibi commissos discurrens et in eorum quolibet, quantum ei opportunum videbitur, moram contrahens, et iterum si opus fuerit rediens, tam presidentes quam subditos, si opus fuerit, verbis et exemplis per ordinaciones et penas positivas et privativas ad sequelam chori et refectorii et ad alias observancias regulares compellat et ad servandum ordinaciones reverendi patris magistri ordinis et capitulorum et priorum provincialium, quas factas repererit, in conventibus antedictis.

Item. Ordinaciones omnes et singulas factas in actis capituli generalis immediate precedentis apud Argentinam celebrati innovamus et eas

volumus immobiliter observari (1), excepta ordinacione de confessoribus monasteriorum (2), et excepta formacione ordinacionis illius, quod fratres ad conventus, pro quibus recepti sunt, redire cogantur (3); quam ordinacionem sic reformamus: quod omnes fratres ordinis, magistris in theologia duntaxat exceptis, ad conventus ipsos, pro quibus sunt recepti ad ordinem, simpliciter revocamus, nisi propter officia aut studia aut scandala vel propter aliam causam racionabilem prioribus provincialibus illorum fratrum aliter videatur, et nisi alteri provincie auctoritate magistri ordinis fuerint assignati. Quas ordinaciones tam prefati capituli innovatas quam presentis capituli superscriptas singulis mensibus legi mandamus coram quolibet conventu in capitulo vel in mensa. Omnes autem gracias, licencias, eciam de monasteriorum ingressu, per quemcumque prelatum ordinis sub quacumque forma verborum cuicumque concessas, eciamsi de revocacione ipsarum mencionem de verbo ad verbum oportet fieri specialem, reverendus pater magister ordinis revocat et annullat de diffinitorum consilio et assensu, mandans prioribus provincialibus, quod de cetero sine causa urgente huiusmodi gracias non concedant.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod cum secundum privilegia ordini nostro concessa inquisitores heretice pravitatis suis presidentibus sint simpliciter subiecti, ipsi inquisitores de personalibus priori suo conventuali, de pertinentibus autem ad inquisicionis officium priori provinciali racionem reddere teneantur.

Item. Declaramus, quod idem intelligatur de canabe, bombice, sicut de lineis non utendis ad carnem.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. XCVII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD PERPINIANUM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· LX°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur circa finem: tractatibus capituli aliquatenus admittatur, addatur sic: Nullus frater, cuiuscumque gradus aut condicionis aut status existat, si ex

4) quod] quia E.

(1) Cf. supra pag. 382 l. 30 sqq.
(2) Cf. supra pag. 383 l. 19 sqq.
(3) Cf. ibid. l. 22 sqq.

quacumque causa ab obediencia ordinis aut correctione exemptus est, ad huiusmodi tractatus admittatur nec in aliqua electione aut actu ordinis possit assumi, nisi talis fuerit, quod sub obediencia constituto tale officium non deberet sibi merito denegari; et statim sequatur: prior autem provincialis.

Iste sunt ordinaciones.

Imponimus prioribus provincialibus et conventualibus ac eorum vicariis, quatenus omnimodam diligenciam adhibeant super reformacione ordinis quoad divinum officium, studia, habitum, rasuram, infirmorum charitativam procuracionem et alias observancias regulares, mandantes prioribus provincialibus, quatenus super hiis diligenter inquirant, et priores conventuales et suppriores, qui in hiis negligentes inventi fuerint, in penam absolvere non omittant.

Item. Cum secundum statuta domini pape Iohannis ·XXII· per priores provinciales et quoscumque vicarios nove assignaciones seu mutaciones fratrum fieri non debeant infra mensem ante electiones in conventibus, in quibus huiusmodi electiones sunt fiende, nisi pro officio lectorie vel gravi scandalo evitando vel in capitulo provinciali vel in loco ipsius provincialis capituli, sicut in aliquibus est provinciis consuetum, ordinamus, quod nec huiusmodi assignaciones nec mutaciones fiant per aliquem in ordine presidentem, nisi in casibus in ipso statuto ordinatis.

Item. Ordinamus quatenus presidentes in singulis provinciis et conventibus sollicite instent circa debitam presentacionem fratrum ad sacros ordines et confessiones audiendas.

Item. Volumus et ordinamus, quod predicatores generales non fiant nisi valentes capitula visitare et nisi citra numerum conventuum sint redacti.

Item. Volumus et ordinamus, quod magistri in theologia universitatis Parisiensis regant per totum tempus suum, quousque habeant magistrum regentem successorem. In casu vero, quo quisque magister in theologia tempore, quo regere debet, absque titulo iusto et racionabili recederet, expensas magistri loco sui regentis solvere teneatur.

Item. Cum conservacio conventus Parisiensis sit toti ordini utilis et necessaria, et dictus conventus sit ex destructione edificiorum plurimum arctatus, necnon et temporali subsidio destitutus, tum propter guerras tum propter carenciam elemosinarum, quas olim a dominis regalibus Francie recipere consuevit, hortamur in domino et monemus omnes priores provinciales, quatenus in suis provinciis procurent erga conventum et fratres, de quibus eorum discrecioni videbitur, ut pie secundum beneplacita eorum velint contribuere ad relevacionem dicti conventus et substentacionem.

Item. Cum mandatum sedis apostolice de reformacione ordinis teneamus et velimus, quantum nostra interest et nobis possibile est, in omnibus observare, volumus et ordinamus, quod diffinitores, qui hoc anno diffinierunt in capitulo generali, diligenter inquirant in suis provinciis, ubi et quando eis videbitur, eciam per censuram ecclesiasticam, de excessibus et defectibus presidencium et subditorum. Quibus diffinitoribus precipimus in virtute sancte obediencie, quatenus defectus huiusmodi et excessus repertos denuncient sequenti capitulo generali. Conventus autem, per quos inquirendo transient, teneantur de expensis eis providere.

Item. Volumus et ordinamus, omnes et singulos fratres provincie Provincie ad conventus, pro quibus sunt recepti, pertinere, exceptis magistris in theologia, et eis dumtaxat exceptis, qui ad presidendum seu legendum vel studendum vel perpetua translacione sunt aliis deputati.

Item. Innovamus ordinaciones precedentis capituli Prage celebrati de debita reverencia prelatis ecclesiarum exhibenda; et de non abutendo privilegiis ordini nostro concessis; de non placitando per quemcumque conventum aut fratrem in quocumque iudicio a nobis extraneo sine licencia prioris provincialis speciali; de non ingrediendo monasteria sororum sine licencia prioris provincialis vel eius vicarii; de redditibus non emendis; de cameris fratrum extra dormitorium non tenendis preterquam in casibus, qui in predicta ordinacione sunt expressi (1).

Item. Omnes gracias exemptorias sub quacumque forma verborum traditas et de successionibus rerum per quoscumque presidentes revocamus et revocatas declaramus.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris conventualis et institucione supprioris, ubi dicitur: si vero fuerit de alia provincia, postquam per annum continuum etc., sic intelligatur, quod, postquam frater in conventu presens exstiterit, per novam assignacionem ad alium conventum immediate precedens assignacio eius infra unum annum non fuerit interrupta.

---

(1) Cf. supra pag. 384 l. 27 sqq.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT
ACTA CAPITULI GENERALIS APUD ROTHOMAGUM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· LXI°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: prior illius loci, ubi capitulum fuerit celebrandum cum diffinitoribus capituli provincialis ad celebracionem eiusdem admittatur, addatur sic: Quilibet autem vicarius generalis provincie, per quemcumque modum fuerit institutus, in absencia provincialis locum provincialis teneat, fidelium dicat, licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis illius provincie, durante capitulo provinciali duntaxat; et statim sequatur, prout ibi ponitur: predicti autem.

Iste sunt ordinaciones.

Cum cunctis pateat evidenter a recta vivendi via quomodolibet declinari, et dampnabiliter obliquari, certa quoque nos docuerit [experiencia] fratres nostros a nostris constitucionibus et regula, licet sanctissimis, notabiliter declinasse, mandamus et imponimus districtius iniungendo prioribus provincialibus universis ac eorum vicariis quibuscumque, necnon et singulis presidentibus conventuum singulorum sub pena absolucionis ab officio ac privacionis omnium ordinis graciarum, quatenus ad observaciones regulares secundum formam [et] tenorem nostrarum constitucionum et regule realiter et de facto reducere satagant semetipsos et fratres omnes et singulos sibi subditos quovis modo per penitencias, in nostris constitucionibus positas, nullatenus omittendas efficaciter ad hoc ipsum compellant, alias eciam superaddendo penas graves, prout ipsi reformacioni viderint expedire. Specialiter autem studeant reducere semetipsos et fratres alios ad sequendum nocte dieque chorum et ibidem divinum officium celebrandum, secundum modum fratribus per reverendum patrem magistrum ordinis in dicto capitulo cunctis datum, ad tenendum silencium, inclinandum, cibum sumendum, a carnibus abstinendum, collaciones faciendas, minuciones et rasuram, ieiunia ordinis observanda, provisionem infirmorum, recepcionem noviciorum, et eorum instructionem, lectos, vestitum et ingressum quarumcumque mulierum ad quascumque conventuum officinas, studencium disposicionem et bonorum appropriatorum exhibicionem et ipsorum deposicionem in communi conventus deposito, et racionis reddicionem de expensis factis a fratribus saltem semel in mense, sub pena perdicionis irrecuperabilis appropriatorum predictorum; confes-

sorum et visitatorum ordinacionem, recepcionem itinerancium et eciam fratrum hospitum cum litteris se movencium dimissoriis ac eciam eorum correpcionem, et generaliter ad omnia et singula facienda, que fratribus in nostris constitucionibus imponuntur fienda. Et ut omnia supradicta melius observentur, mandamus et imponimus omnibus presidentibus, prout ad unumquemque pertinet, quod constituciones ordinis et acta capitulorum generalium et provincialium habeant studiose correcta singulis mensibus legenda, sin autem in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Cum preciosissima sciencie margarita fratribus predicatoribus summe necessaria debeat a fratribus appeti toto mentis affectu, sic ut in tantum, quod per diligentissimam inquisicionem studii tandem reperta possit a fratribus ipsis venditis omnibus recuperari seu comparari, mandamus et imponimus omnibus ordinis presidentibus et sub penis supra positis, quod pro reformacione studii infrangibiliter, que sequuntur, observent.

Primo quod pro noviciis ordinetur aliquis magister frater vel secularis, qui predictos in officio divino dicendo pariter et cantando, necnon eciam in grammaticalibus et aliis primitivis diligenter instruat et informet; nec fiat quicumque studens arcium, logice aut cuiuscumque facultatis, donec in predictis diligenter informatus fuerit et instructus; similiter ab artibus ad phylosophiam et a phylosophia ad theologiam....

Secundo quod non fiant lectores arcium et phylosophie iuvenes qualescumque, nisi qui primo discussionis examine diligentes et sufficientes inventi fuerint ad ipsum [officium]; qui quidem legentes suas continuent lectiones ab omnibus suis studentibus audiendas et interdum [per] priores cum lectoribus repetendas ac semel, ipsis presentibus, reddendas singulis septimanis secundum modum in singulis capitulis provincialibus ordinandum.

Tercio quod dicti legentes et alii lectores conventuum insistant diligentissime circa textus quanto maiorem circa ipsos processum poterunt faciendo, et ipsos prout [ab] approbatis doctoribus, specialiter ordinis nostri, precipue sancti Thome repererint expositos, seriosius ac studiosius exponentes.

Quarto quod ad studium, lectionem, predicacionem et audienciam confessionum fratres nullatenus deputentur, nisi proponentibus et deputantibus bono modo, quantum fieri potest, constet de fratrum ipsorum sufficiencia ad predicta. Quod ut melius observent fratres, quorum interest, alios ad predicta vel ipsorum aliquem deputare, semper et ubique preceptum ponimus sub hac forma.

Quinto quod quilibet magistrorum in theologia Parisius incipiencium suas continuent lectiones, donec habeat successorem magistrum, alioquin

expensas omnes magistri defectum eius legendo supplentis integre solvere teneatur, et ad hoc ipsum per reverendum patrem magistrum ordinis efficaciter compellatur.

Item. Imponimus prioribus provincialibus ac vicariis generalibus eorumdem, quod in constitucionibus singulorum conventuum formam decreti super electionibus formandis, quam sibi mittimus, faciant annotari, ne contingat fratres in suis electionibus in formacione debita decretorum errare.

Item. Mandamus et imponimus fratribus universis, quod de possessionibus, redditibus, usufructu vel aliis talibus quibuscumque specialiter [et] potissime fratribus attributis infra mensem a recepcione presencium de facto semetipsos expediant [sine] omni fraudulencia sive dolo seu modo, alias omnia et singula supradicta conventibus ipsis tenore presencium applicamus cum appropriatis dictorum fratrum in hoc deficencium quomodocumque; nec volumus, quod in hoc nisi forte tempore brevi valeant dispensari, talia comparari vel emi deinceps prohibentes simpliciter et sub eadem pena.

Item. Precipit magister ordinis de diffinitorum consilio et assensu prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium universis, quod predicatores generales non faciant aut instituant, nisi saltem in studio theologie studuerint tribus annis, et cum hoc sint discreti, maturi et discipline regularis amatores ac ordinis pre ceteris zelatores, et quod in provinciis singulis numerum conventuum non excedant. Quibus quidem predicatoribus generalibus et aliis quibuscumque fratribus prohibemus, ne cuiuscunque fratris correctionem quovis modo impediant presidentibus, alioquin penis debitis fratribus puniendis indispensabiliter puniantur. Quod si ad huiusmodi fuerint assueti, penis gravibus ab attemptacione talium arceantur, prohibentes quascumque novitates a quibuscumque fratribus attemptari sub pena merito debita pro talibus attemptatis.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod quandocumque frater aliquis graciis ordinis universis privatur, quod eciam appropriatis sibi bonis per consequens est privatus, et illa bona ad conventum ipsorum redeant tanquam sua; privacionem autem talem per quemcumque prelatum ordinis inferiorem provinciali fieri prohibemus. Et ut predicta diligencius et exactius a presidentibus omnibus et fratribus universis observentur, precipimus prioribus provincialibus universis ac vicariis generalibus eorumdem, quatenus in qualibet nacione, contrata [et] visitacione unum aut duos fratres ordinis zelatores eligant, quibus quidem fratribus sub pena privacionis omnium graciarum ordinis mandatur, quatenus magistro ordinis studeant quam-

cicius intimare, si sciverint aut deprehenderint supradicta, prout premittitur, observata non esse. Similiter a provincialibus aut eorum vicariis et visitatoribus quibuscumque duos vel tres fratres zelatores ordinis in singulis conventibus deputentur, qui sub precepto defectum presidencium in predictis provincialibus suis habeant enunciare; primi quidem ad expensas provinciarum suarum, secundi vero ad expensas conventuum, ubi sunt.

Actis additae sunt litterae domini Francisci, cardinalis tit. s. Marci; cf. app. n. XCVIII.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA·CAPITULI GENERALIS APUD FERRARIAM CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°· CCC°· LXII°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc, scilicet: quod omni feria tercia, nisi festum simplex vel maius occurrerit, fiant tres lectiones de beato Dominico, patre nostro, preterquam a prima dominica quadragesime usque ad octavas pasche, et preterquam infra octavas, quando de ipsis agitur, et vigiliis festorum, quando propriam missam habent. De festo autem trium lectionum, si aliquod in dicta feria evenerit, fiat solum memoria in vesperis, matutinis et missa. Et hoc medio tempore observetur secundum modum qui sequitur: ad vesperas capitulum: quasi stella; hymnus: gaude, mater; versus: ora pro nobis; ad magnificat antiphona: magne pater, cum oracione: deus qui ecclesiam. Ad matutinum, invitatorium: adsunt dom.; ymnus: novus. Antiphona super psalmos: florem pudicicie; versus: iustum deduxit; lectiones de legenda de lectionario; responsoria tercii nocturni; Te deum pro tempore; versiculus in laudibus: ora pro nobis; capitulum sicut in vesperis; ympnus: ympnum nove; antiphona ad benedictus: benedictus [redemptor]; oracio: Concede. Ad primam, terciam, sextam et nonam antiphone, capitula, responsoria et oracio, ut in die festo; tempore autem resurrectionis tres primi psalmi dicantur additis locis debitis: alleluia. Missa vero de festo simplici dicatur.

Item. Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur circa finem: tractatibus capituli aliqualiter admittatur, addatur sic: nullus tamen frater, cuiuscumque condicionis aut gradus existat, si ex quacumque causa ab obediencia aut correctione ordinis exemptus est, talibus tractatibus admittatur, nec in aliqua electione, aut actu ordinis vocem

habeat, nec ad prelacionem aut officium ordinis quodcumque possit assumi; et statim sequatur, ut ibi: prior autem provincialis.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: Prior autem illius loci, ubi capitulum fuerit celebrandum, cum diffinitoribus capituli provincialis ad celebracionem eiusdem capituli admittatur, addatur sic: quilibet autem vicarius provincie per quemcumque modum legitime fuerit institutus, locum provincialis teneat, fidelium dicat, licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis illius provincie, durante capitulo provinciali duntaxat; et statim sequatur, prout ibi ponitur: predicti diffinitores autem. Et hec habet duo capitula.

Iste sunt ordinaciones.

Cum cunctis pateat evidenter a recta via vivendi quomodolibet declinari [et] dampnabiliter obliquari, certa quoque nos docuerit experiencia fratres nostros a nostris constitucionibus et regula sanctissimis declinasse, mandamus et imponimus districtius, iniungendo prioribus provincialibus universis ac eorum vicariis quibuscumque necnon et singulis presidentibus conventuum singulorum sub pena absolucionis ab officio ac privacionis omnium ordinis graciarum, quatenus ad observancias regulares secundum formam nostrarum constitucionum et regule realiter et de facto reducere satagant semetipsos et fratres omnes et singulos sibi subditos, quovis modo per penitencias in nostris constitucionibus positas nullatenus omittendas efficaciter, et ad hoc ipsum compellant, alias insuper addendo penas graves, prout ipsi reformacioni ordinis viderint expedire. Specialiter autem studeant reducere semetipsos et fratres alios ad sequendum nocte dieque chorum, et ibidem divinum officium celebrandum secundum modum fratribus per reverendum magistrum ordinis in alio capitulo cunctis datum, ad tenendum silencium, inclinandum, cibum sumendum, a carnibus abstinendum, recepcionem noviciorum, et eorum instructionem, lectos, vestitum et ingressum quarumcumque mulierum ad quascumque conventus officinas; studencium deposicionem, appropriatorum exhibicionem et ipsorum deposicionem in communi conventus deposito; et racionis reddicionem scilicet de expensis factis a fratribus saltem semel in duobus mensibus sub pena privacionis irrecuperabilis appropriatorum suorum; predicatorum, confessorum et visitatorum ordinacionem, itinerancium recepcionem et eciam fratrum hospitum cum litteris veniencium dimissoriis ac eciam eorum correctionem, et generaliter ad omnia et singula facienda, que fratribus in nostris constitucionibus imponuntur fienda. Et ut omnia supradicta melius serventur, mandamus et imponimus ordinis presidentibus, prout ad unumquemque pertinet, quod constituciones ordinis et acta capitulorum habeant studiosius

correcta singulis mensibus legenda, secus alias in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Cum multi priores et presidentes precipitanter precepta fulminent et multiplicent indiscrete, volumus et ordinamus, quod nullus prior vel supprior vel vicarius huiusmodi precepta facere presumat, nisi de consilio discretorum, eorum videlicet qui ad consilia alias vocari consueverunt ordinarie.

Item. Volentes evagandi materiam subtrahere et circuitus inutiles refrenare, volumus et ordinamus, quod nullus frater de conventu ad conventum alium discurrat, nisi secum presidencium suorum testimoniales litteras ferat, ut constitucio dicit, nec de provincia ad provinciam sub pena gravioris culpe debita sine licencia sui prioris provincialis vel vicarii generalis. Et ne cautelose presidentes decipiant, nulli credatur se perdidisse licencias predictas, sed statim et indilate puniantur, sicut sine licencia presidencium evagantes.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater ad monasterium quodcumque monialium seu eciam congregaciones mulierum accedat sine licencia obtenta suorum presidencium secundum moderacionem priorum provincialium illorum conventuum vel locorum, in quibus dicta monasteria sunt situata, sub pena gravioris culpe, quam incurrat oppositum faciens et quam sustinere decem diebus continuis per presidentem, postquam ei legitime constiterit, infra mensem sub pena consimili compellatur. Et sub eadem pena per omnia, ut supra, quam incurrant ipso facto districtius ordinamus, quatenus nullus frater clausuram dictorum monasteriorum interiorem intrare presumat, nisi in casibus in earum constitucionibus expressis, volentes nichilominus, quod ordinaciones magistri ordinis et provincialium in monasteriis eis subiectis, et precipue, si ipsis graviores sint, in suo robore perseverent.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater pecuniam vel bona quecumque sibi concessa apud personas seculares vel eciam sorores ordinis nostri [vel] quascumque alias ordini non subiectas teneat vel deponat sine licencia suorum presidencium petita et obtenta, quam non concedant sine causa racionabili et urgente. Si quis autem oppositum fecerit, eum privamus pecunia et bonis predictis et illa sine spe habendi ad conventum, de quo est, applicamus. Cuius presidenti de predictis bonis omnibus per singula et in scriptis teneatur expresse facere mencionem.

Item. Volumus et ordinamus, quod fratres ad conventus, pro quibus recepti sunt, redire cogantur, et ex nunc omnes fratres ordinis, magistris in theologia duntaxat exceptis, ad conventus illos, pro quibus sunt recepti, simpliciter revocamus, nisi propter officia aut studia aut scandala

vel propter aliam causam racionabilem prioribus provincialibus illorum fratrum aliter videatur, et nisi alteri conventui vel provincie auctoritate magistri ordinis fuerint assignati.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus magister Parisiensis, postquam fuerit licenciatus, de conventu Parisiensi recedat, sed ibidem permaneat, legat et regat, quousque presentem ibidem habuerit successorem, nisi a magistro ordinis super hoc habuerit licenciam specialem. Quod si forsitan aliquis recedere presumpserit sine predicti magistri licencia obtenta, ad expensas teneatur pro toto illo tempore illi, qui supplebit pro eo; ad quas solvendas rogamus, ut per magistrum ordinis efficaciter compellatur; et eodem modo volumus et ordinamus, quod baccalarii Parisienses, postquam illuc venerint, inde nullatenus discedant, sed quousque magistrati fuerint, continue permaneant ibidem. Quod si quis eorum contrarium huic ordinacioni attemptaverit, eum privamus omni presentacione nisi ex causa racionabili cum eo magister ordinis aliter dispensaverit.

Item. Committimus prioribus provincialibus vel vicariis generalibus provinciarum, quod si aliquos incarceratos in suis provinciis habent, quorum liberacio ad solum capitulum generale pertineat, eos a carcere educere possint, si ex racionabili causa hoc iudicaverint expedire.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod socii conventuum electi ad capitulum provinciale, vocem tantum habeant in capitulo provinciali illius anni, pro quo fuerunt electi. Si autem ex causa vel impedimento a capitulo provinciali illo anno supersedeatur, ad tractatus capituli provincialis anni sequentis nullatenus admittantur.

Item. Denunciamus et fratri cuicumque ordinis ad memoriam reducimus, quod habetur in capitulo de itinerantibus, ubi sic dicitur: Si quis frater ordinis nostri per se vel per alium pro se vel pro alio ordinacionem de se vel de alio factam vel obedienciam sibi vel alteri fratri iniunctam per quamcumque personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam quocumque modo procuraverit revocari, vel in aliqua provincia seu conventu aut eciam officio sive eciam studio generali poni vel remanere vel inde amoveri vel cum personis extraneis commorari, ipso facto ex vi presentis statuti in penam incidit graviori culpe debitam, in qua cum tali dispensari non possit nisi per magistrum ordinis aut capitulum generale. Talis autem, quamdiu erit in hac penitencia, si predicator est, predicacionis officium non exerceat nec ad aliquod officium in ecclesia debet notari, nec illi aliqua obediencia committi, nec vocem

---

15) presentacione] et precipue efficaci *add.* E.

habeat nisi in sua accusacione, et si sacerdos fuerit vel diaconus, hiis officiis non fungatur, et sic celebrare et confessiones audire et alia sacerdotis officia exercere non poterit, ut in capitulo de graviori culpa cum multis aliis expressius continetur.

Expliciunt acta quantum ad ordinaciones capituli generalis apud Ferrariam celebrati.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HAEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD MAGDEBURG CELEBRATI ANNO DOMINI M°. CCC°. LXIII°.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur sic: Qui eius locum obtinet, tenetur convocare, quamcicius poterit, electores, addatur sic: si tamen ante recessum diffinitoris racionabilem et debitum ad capitulum generale possint ipse et electores commode convocari, et tunc sequatur: et in die ad eligendum assignata etc.

Item. Inchoamus hanc: quod in terciis feriis a septuagesima usque ad quadragesimam, quando missa cantatur de beato Dominico, post responsorium cantetur tractus: Quasi stella matutina.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: scilicet quod omni feria tercia, nisi festum simplex vel maius occurrerit, fiant tres lectiones de beato Dominico, patre nostro, preterquam a dominica prima quadragesime usque ad octavas pasche, et preterquam infra octavas, quando de ipsis agitur, et in vigiliis sanctorum, qui propriam missam habent. De festo autem trium lectionum, si aliquod in dicta feria evenerit, fiat solum memoria in vesperis, matutinis et missa. Et hoc medio tempore observetur in modum, qui sequitur: Ad vesperas capitulum: Quasi stella; ymnus: Gaude mater: versus: Ora pro nobis; ad magnificat antiphona: Magne pater, cum oracione: Deus, qui ecclesiam; ad matutinum invitatorium: Adsunt Dominici; ymnus: Novus athleta; antiphona super psalmos: Florem pudicicie; versus: Iustum deduxit. Lectiones de legenda de lectionario; Responsoria tercii nocturni; Te Deum, pro tempore. Versus in laudibus: ora pro nobis; capitulum sicut in vesperis; ymnus: Ymnum nove leticie; ad benedictus: Benedictus redemptor; oracio: Deus, qui ecclesiam. Ad primam, terciam, sextam, nonam antiphone, capitula, responsoria et oracio sicut in festo ipsius; in tempore autem resurrectionis tres primi psalmi dicuntur additis locis debitis: Alleluia. Missa vero sicut in festo simplici cantetur. Et hec habet duo capitula.

Item. Approbamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur circa finem: tractatibus capituli aliquatenus admittatur, addatur sic: nullus eciam frater, cuiuscumque condicionis vel gradus existat, si ex quacumque causa ab obediencia vel correctione ordinis exemptus est, talibus tractatibus admittatur, nec in aliqua electione aut auctoritate ordinis huiusmodi frater vocem habeat, nec ad prelacionem aut officium quodcumque ordinis possit assumi. Et statim sequatur, ut ibi: prior autem provincialis et diffinitores etc. Et hec habet duo capitula.

Ista est confirmacio.

Confirmamus hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: Prior autem illius loci, ubi capitulum fuerit celebrandum, cum diffinitoribus capituli provincialis ad celebracionem eiusdem admittatur, addatur sic: Quilibet autem vicarius generalis provincie, per quemcumque modum legitime fuerit institutus, locum provincialis teneat, fidelium dicat, licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis [ordinis] illius provincie, stante capitulo provinciali duntaxat; et statim sequatur, prout ibi ponitur: predicti autem diffinitores etc. Et hec habet tria capitula.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

In primis cum iuxta apostolum viros religiosos non deceat huic seculo conformari, mandamus fratribus universis nostri ordinis, cuiuscumque gradus aut status existant, quatenus habitum studeant reformare, structuram tunicarum, scapulariorum latitudinem, capuciorum, capparum preciositatem et omnem indebitam curiositatem amoveant et corrigant [secundum] formam, quam reverendus pater magister ordinis tradidit diffinitoribus, ostendendam in suis capitulis provincialibus. Quod ut plenius fiat, volumus, quod in singulis conventibus sint duo superiores ordinis zelatores, qui omnes fratres, quantum ad habitum examinent, et quos viciosos repererint, presidentibus indilate denuncient; qui presidentes ad debitam reformacionem predictos compellant; quod si neglexerint, in penam a suis officiis infallibiliter absolvantur et inhabiles ad officia ordinis reputentur, donec in premissis eorum zelus videatur.

Item. Mandamus quibuslibet prioribus provincialibus ac conventualibus universis ac eorum vices gerentibus, quatenus fratrem, de quo legitime constiterit, quod extra conventum carnes comederit vel non licita carneata, compellant ad faciendam penitenciam in nostris constitucionibus taxatam indispensabiliter et sine mora. Ipsi autem presidentes, si concederint aut si comedentes non correxerint, in penam a suis officiis con-

---

15) concedere] extendere E. — 32) eorum zelus videatur] videant zelum E.

ventuales per provinciales, et provinciales per reverendum patrem magistrum ordinis absolvantur.

Item. Volumus et ordinamus ad salutem animarum et ordinis, quod nullus fiat predicator aut confessor, nisi prius examinatus fuerit in provinciali capitulo vel per fratres per provincialem vel provinciale capitulum specialiter ad hoc deputatos. Quicumque autem frater sine tali examine et licencia ad predicta se exposuerit, et prelati, si in hoc eos non represserint, ubique sint per annum integrum omni voce privati.

Item. Cum secundum doctrinam evangelicam et regulam beati Augustini, patris nostri, et nostri ordinis consuetudinem non liceat fratrem solum extra conventus septa discurrere, mandamus prioribus provincialibus et conventualibus universis ac eorum vices gerentibus, quod quemcumque fratrem solum repererint discurrentem, denuncient ipsum penam graviori culpe debitam incurrisse; ad quam subeundam eum cogant quantocius et indispensabiliter per quindenam. Et hoc idem intendimus de sociis prelatorum et aliorum dominorum quorumlibet. Adiicientes insuper, quod socii capellanorum seu penitenciariorum quorumlibet aliorum dominorum, non dati per eorum superiores, redeant ad conventus suos nativos sub pena privacionis omnium graciarum ordinis.

Item. Cum constituciones nostre specialiter caverint, ne secreta ordinis personis extraneis revelentur, mandamus prioribus provincialibus et conventualibus ac eorum vices gerentibus, quatenus omnem fratrem eis subditum, de quo legitime eis constiterit, quod infamaverit aliquem fratrem vel eius expulsionem de regno, provincia, terra vel conventu procuraverit [per] personas extra obedienciam ordinis constitutas, incarcerent vel incarcerari faciant indilate. Qui autem in hoc inventi fuerint negligentes, statim a suis officiis absolvantur et habeantur tamquam fratres sui ordinis destructores.

Item. Cum ad fratrum profectum in studio necessaria sit librorum copia, prohibemus presidentibus universis et omnibus ac singulis fratribus nostri ordinis, ne quoscumque libros ad communitatem aliquam pertinentes vendere seu alio modo distrahere presumant sine fratrum discretorum consilio et assensu; et hoc tantum in casu necessitatis.

Item. Denunciamus provinciis ordinis universis, quod intendimus, quod studentes mittantur Parisius pro studio more solito; quos volumus ibidem ad minus per annum integrum permanere dumtaxat et quod sint a principio studii, scilicet mensis septembris usque ad finem lectionum. Adiicientes, quod propter necessitatem dicti conventus ipsi secum ferant pecuniam sufficientem pro necessariis in victu pro anno illo. Quam qui-

---

8) represserint] repressaliter E. — 38) conventus] ordinis E.

dem pecuniam volumus tradi magistro minori regenti; qui magister eam tradet duobus studentibus, uni intraneo, alteri extraneo, quos predicti studentes elegerunt, et procuratori conventus; qui tres simul de necessariis pro victu tempore ydoneo providebunt et dispensabunt.

Item. Ordinacionem factam in capitulo Ferrariensi immediate precedenti, que sic incipit: cum cunctis pateat evidenter etc., cum omnibus et singulis clausulis suis tam [de] observanciis quam de penis ibidem appositis volumus in suo robore permanere (1).

Item. Volumus et ordinamus, quod omnes provinciales et singuli faciant diligenter inquiri in cunctis conventibus suarum provinciarum privilegia ordinis et ea transmittant infallibiliter ad sequens capitulum generale.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: Tholosanum, regni Sicilie, Ungarie et Lombardie superioris.

Item. Hos absolvimus priores conventuales: Viennensem (2), Straussbergensem Sehusensem, Rostocensem, Nordensem, Soldinensem, Ienensem, Molenhusensem, Magdeburgensem, Noviomagensem et Groningensem; et volumus et ordinamus, quod priores tam provinciales quam conventuales in hoc capitulo absoluti ad eadem officia in eisdem provinciis vel conventibus nullatenus assumantur.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno presenti fr. Simonem de Puteo de conventu Panormitano provincie regni Sicilie (3); pro anno vero sequenti, quantum nostra interest, fr. Nicholaum de sancto Saturnino (4) de conventu Parisiensi provincie regni Francie.

Item. Assignamus lectorem in conventu Tholosano fr. Raymundum de Rupe de conventu Rivensi in eadem provincia. Ibidem ad sentencias fr. Guillelmum de Gannato (5); magistrum studencium ibidem facimus fr. Bernardum Tholosanum; ad legendum ibidem bibliam fr. Raymundum de Pira.

---

18) Molenhusensem] Mehusem E. — 24) Panormitano] Parlomentano E. — 29) Gannato] Granato E.

---

(1) Cf supra pag. 349 l. 13 sqq.

(2) Legendum esse arbitror pro « Viennensem » « Wincemensem » vel « Wismariensem », cum hic agatur de conventibus provinciae Saxoniae. Cf. SSOP. I pag. XIV n. XVIII.

(3) De fr. Simone de Puteo cf. Denifle l. c. III pag. 105; SSOP. I, 706.

(4) De fr. Nicolao de s. Saturnino cf. Denifle l. c.

(5) De Guilelmo de Gannato cf. SSOP. I, 694; Denifle l. c. pag. 663.

Item. Assignamus ad legendum in conventu Florentino fr. Nicholaum Muscini (1) de conventu Neapolitano provincie Sicilie. Pro anno vero sequenti, quantum nostra interest, fr. Cornelium de Pistorio; ad legendum vero bibliam ibidem [fr.] Lucam de Arecio.

Conventui Coloniensi damus in lectorem Henricum de Cervo (2); [ad] sentencias ibidem fr. Iohannem Snewelin; magistrum studencium fr. Nicholaum Snewelin.

Conventui Montis Pessulani assignamus ad legendum sentencias fr. Hugonem Morerii de conventu Biterrensi; magistrum studencium [fr.] Bartholomeum de Multisdenariis; ad legendum ibidem bibliam [fr.] Dominicum de Florencia (3).

Conventui Neapolitano damus in lectorem sentenciarum fr. Stephanum de Aversa; magistrum studencium ibidem fr. Nicholaum Ticii de Pennis.

Conventui Bononiensi damus in lectorem [fr.] Matheum de Beletasa; ad sentencias ibidem [fr.] Franciscum Marmandi (4); biblicum ibidem fr. Beregarum Gileti.

Conventui Magdeburgensi damus in lectorem fr. Iohannem Biscophesdorf; sentencias ibidem [fr.] Franciscum de Plavvisse.

Item. Committimus reverendo patri magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de magistris, lectoribus et sublectoribus, magistris studencium, biblicis et studentibus ordinet et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Conventus et monasteria Pere, Caphe et Trebisundarum supponimus et adiungimus provincie Grecie, et mandamus provinciali Grecie, quatenus examinet, ordinet et disponat et curam habeat de conventibus illis, sicut de ceteris conventibus provincie.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus deposicionem, suspensionem et quamcumque aliam punicionem factam contra fratrem Nicholaum Eymerici (5), sacre theologie professorem, pro tempore quo fuit vicarius in provincia Aragonie deputatus per generale capitulum [apud] Ferrariam celebratum, nullas esse nec fuisse tamquam latas a suis non iudicibus in hac parte et alias quovis modo.

Provincie Terre sancte damus in provincialem fr. Bartholomeum Rubei Pisanum de provincia Romana et eumdem provincialem damus in

(1) De fr. Nicolao Caracciolo (Moschino) cf. SSOP. I, 696.
(2) De fr. Henrico de Cervo ibid. pag. 640.
(3) De fr. Dominico de Florentia ibid. pag. 772.
(4) De fr. Francisco Marmandi cf. MOPH. VII, *Chronicon Petri de Arenys* pag. 53 sqq.
(5) De fr. Nicolao Eymerici cf. SSOP. I, 709 et MOPH. VII l. c. pag. 52 sqq.

vicarium in Romana provincia, donec provincialis fuerit electus et confirmatus et presens extiterit in eadem.

Provincie Tholosane damus in vicarium fr. Petrum de Maricalmo (1), magistrum in theologia.

Provincie regni Sicilie damus in vicarium fr. Philippum de Theate (2), lectorem Neapolitanum, donec provincialis ut supra.

Provincie Hungarie damus in vicarium fr. Henricum priorem Viennensem de provincia Theutonie, donec provincialis fuerit electus et confirmatus et presens exstiterit in eadem.

Provincie Lombardie superioris damus in vicarium fr. Thomam de Casasca (3), inquisitorem, donec provincialis, ut supra.

Denunciamus fratribus universis, quod quicumque frater sine licencia magistri ordinis ad Romanam curiam accesserit aut cum intencione illuc eundi de suo conventu exierit, aut ibi ultra terminum sibi assignatum remanserit, incurrat transgressionem precepti et sentenciam excommunicacionis ipso facto, quam reverendus pater magister ordinis tulit in diffinitorio in scriptis iuridice de diffinitorum consilio; cuius absolucionem retinuit sibi soli.

Concedit tamen magister ordinis prioribus provincialibus vel eorum vicariis generalibus, quod singuli eorum possint ad dictam curiam pro negociis ordinis, quocienscumque necesse fuerit, mittere duos fratres. Provinciali autem provincie Provincie conceditur, quod fratres sue provincie possit ad dictam curiam licenciare, prout paci et honori ordinis viderit expedire.

Sequens autem capitulum generale ponimus in conventu Valentino [in provincia] Provincie, et volumus et ordinamus, quod nullus frater presumat ad capitulum generale accedere sine magistri ordinis licencia speciali; nec conventum suum exeat cum proposito accedendi ibi. Omnem autem fratrem oppositum facientem volumus ipso facto voce esse privatum, ad quam restitui non valeat infra annum. Fratres vero qui diffinient, locum intrent capituli dominica infra octavas ascensionis domini, nec habentes licenciam locum intrent capituli ante sextam feriam festum penthecostes precedentem.

---

9) et] donec E. — 15) incurrat] incurrerit E. — 31) diffinient] diffinierunt E. — 33) precedentem] nota, quod hic deficiunt acta capituli generalis Valencie celebrati *add. in marg.* E.

---

(1) De fr. Petro de Maricalmo cf. supra pag. 330 l. 8.

(2) De fr. Philippo de Theate cf. SSOP. I, 671.

(3) De fr. Thoma de Casasca vel Clarasco cf. l. c. pag. 702; Eubel l. c. p. 26; MOPH. VII. l. c. pag. 56.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS VALENTIAE CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC° LXIV°·

Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: si autem in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel ipso provinciali capitulo quocumque casu aliquam provinciam priore provinciali carere contigerit, ad provinciale capitulum eius electio pertinebit; quod sic intelligitur: non solum si ipso tempore carere inceperit, sed eciam post mortem prioris provincialis vel alio quocumque casu inceperit carere ante capitulum generale, et quia vel provincia non elegerit priorem provincialem ante vel quia electus non fuerit confirmatus, vel quocumque alio casu adhuc provincia non habet provincialem confirmatum vel electum et per consequens eo caret, quod ad provinciale capitulum et non ad electores eius electio pertinebit.

In capitulo generali Valencie de regno Francie sub magistro Simone anno domini · m°· ccc°· lxiiii°·

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD IANUAM CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· LXV°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: In ordinario, quod quando agitur feria tercia de beato Dominico, secunda oracio sit de beato Petro martyre vel de sancto Thoma, nisi in tempore paschali et nisi illa die sit festum trium lectionum vel alicuius sancti memoria; et quod a septuagesima usque ad quadragesimam dicatur in missa loco tractus, Pie pater sine alleluia, incipiente cantore et toto conventu prosequente.

Item. Quod festum decollacionis beati Iohannis baptiste sub festo duplici celebretur.

Item hanc: In capitulo de capitulo provinciali, ubi dicitur: dictis autem scrutatoribus voluntatum, addatur statim et dicatur sic: et diffinitoribus capitulorum generalium et provincialium, [et] statim sequatur: in virtute sancte obediencie precipimus etc.

Item hanc: In capitulo de itinerantibus circa finem, ubi dicitur: si vero conversus fuerit, deleatur totum usque ad finem capituli.

Item hanc: In capitulo de studentibus, ubi dicitur: magister ordinis provideat de lectoribus competentibus, addatur statim et dicatur sic:

precipimus autem in virtute sancte obediencie, quod quilibet magister in theologia in aliquo studio noviter magistratus, in quo de iure regere habeat, legat et regat continue in dicto studio, quousque habeat successorem. Et supradicta omnia medio tempore observentur.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

In primis mandamus et omni districtione imponimus prioribus et presidentibus in conventibus universis, quatenus omnem fratrem, qui sine licencia a matutinis de beata virgine vel a divino officio in choro tractim, devote et cum pausa in medio versum cantando [se absentaverit], aut se non prostraverit et inclinaverit, quando debet, vel silencium indebite alicubi fregerit, vel a scolis lectorum principalium defuerit, vel alicuius sublectorum quoad studentes ipsius; vel extra conventum inutiliter vagando discurrerit, vel alicubi notabiliter fuerit ociosus, vel defectum de officio suo sibi commisso fecerit, vel absque licencia a graciis vel collacione remanere ausus fuerit, vel extra commune refectorium comederit, compellatur in una refectione a vino vel pictancia abstinere.

Item. Quicumque ieiunia ecclesie vel ordinis fregerit, carnes aut carneata intus vel extra comederit, vel qui in predictis indebite dispensaverit, vel qui rasuram seu tonsuram contra formam constitutam portaverit, aut circa infirmorum vel debilium necessariam procuracionem, vel hospitum benignam recepcionem vel parcialitatem aut noviciorum recepcionem, ipsorumque instructionem negligenciam vel notabilem defectum commiserit, aut sine socio ordinis et litteris testimonialibus ad quemcumque conventum accesserit, vel ad monasteria quecumque sine licencia presidentis, aut defectum de predicacione vel sermone commiserit, compellatur infra decem dies, postquam legitime constiterit, penitenciam facere gravis culpe.

Item. Quicumque frater vestes quoad formam indebitam vel materiam preciosam aut lectisternia contra constituciones habuerit et eis usus fuerit, vel pecuniam, libros, aurum vel argentum vel iocalia extra conventum tenuerit, vel pecuniam extra commune depositum habuerit, vel requisitus a suo superiore quocienscumque racionem de receptis et expensis integraliter non reddiderit, compellatur infra decem dies, postquam presidenti [constiterit], penitenciam facere gravis culpe. Et nichilominus omnia supradicta et appropriata illi fratri auferat eidem, eique nullatenus reddat, ipsaque in ipsius conventus utilitatem convertat. Cui conventui ex nunc applicamus penitus et ex toto omnia sic detenta, imponentes presidentibus universis, quod omnes pertinaces et huiusmodi

---

15) remanere] minuere E. — 35) nichilominus] illi fratri *add.* E.

ordinaciones contempnentes per alias graviores penas puniant, prout pensatis condicionibus eis visum fuerit expedire.

Item. Constitucionem de percussoribus et arma portantibus, et ludentibus ad taxillos et impositoribus criminum positam in capitulo de graviori culpa, et constitucionem positam in capitulo de itinerantibus, de procurantibus apud extraneos studia, officia, titulum vel conventum pro se vel pro alio, vel fratrem inde expelli vel amoveri, vel reditum impedire, et cetera contenta ibidem volumus et mandamus, quod tam priores provinciales quam conventuales vel eorum vices gerentes infra mensem, postquam eis legitime constiterit de transgressoribus eorum, faciant a sibi subditis inviolabiliter observari.

Item. Mandamus prioribus provincialibus et conventualibus ac presidentibus universis, quatenus dent operam efficacem ad capiendum omnes apostatas nostri ordinis, ubicumque poterunt inveniri, invocato si oportet, subsidio brachii secularis, precipimusque, quod provinciales et eorum vicarii tam in carceribus quam extra de ipsorum culpis tam in ordine quam extra commissis iuxta constitucionum tenorem et ipsorum consilium eos puniant acriter et emendent.

Item. Linguas multorum fratrum pestiferas cohibere volentes, volumus et mandamus, quod quicumque frater suum ordinem vel superiores sui ordinis vel fratres vel personas alias bone fame convictus fuerit diffamasse, tali diffamacione, que iudicio plurium discretorum fratrum de sic diffamatis possit scandalum generari, voce et omni promocione habita et habenda sit ipso facto privatus. Si vero promocionem non habens convictus fuerit hoc fecisse, per presidentem pena graviori culpe debita puniatur, nec cum predictis [nisi] per magistrum ordinis vel capitulum generale, humiliter prius culpa proposita et venia petita, valeat dispensari. Qui vero talem diffamacionem audiverint vel probabiliter sciverint et in denunciando presidentibus negligentes extiterint, post octo dies sint omni voce pariter [nisi] in sui accusacione privati; ad quam nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale restitui non valeant ullo modo. Presidentes autem, qui tales diffamatores, postquam eis legitime constiterit, punire neglexerint, absolvantur in penam. Omnes autem, qui ante precedentem ordinacionem tales diffamaciones fecisse fuerint deprehensi, penis submittimus supradictis.

Item. Mandamus fratribus universis, quatenus dioecesanis et parochianis seu curatis et eorum loca tenentibus iuxta condicionem et statum personarum exhibeant reverenciam et honorem, nec cum ipsis sine ma-

---

13) operam] asperam E. — 26) debita] debet ei E.

gna necessitate et causa audeant litigare, sine prioris provincialis vel eius vicarii generalis licencia speciali, si ad ipsos commode possit haberi recursus; et in nostris privilegiis et exempcionibus minime glorientur, sed cum ipsis, ut necesse fuerit, ipsa cum moderamine et humilitate proponant.

Item. Sub absolucionis pena mandamus prioribus et presidentibus universis, quatenus nullos fratres exponant ad predicandum populo verbum dei vel ad confessionum audienciam, nisi per priorem provincialem vel eius vicarium sufficientes et ydonei fuerint inventi ad predicta; nec quoscumque fratres ad professionem recipiant vel ad sacros ordines promoveant, nisi in litteratura sufficientes et ydoneos et in etate et tempore a canonibus constitutos; nec pecuniam conventuum pertractare vel expedire per seipsos audeant quovis modo.

Item. Precepit vicarius de ordine et [de] diffinitorum beneplacito et assensu in virtute sancte obediencie et sub pena excommunicacionis fratribus conversis, quatenus infra tres menses a publicacione presencium in suis provinciis reassumant, qui non habent habitum conversorum, qui in nostris constitucionibus continetur, nisi super hoc indultum apostolicum in contrarium habeant vel nisi per magistrum ordinis vel eius vicarium fuerit dispensatum.

Item. Prohibemus, ne fratres Parisiensi studio deputati per annum ante accessum ad dictum studium in priores confirmentur vel in prioratus officio teneantur; et ne de ipso studio redeuntes priores possint fieri, nisi duobus annis lectores principales fuerint vel dicto tempore legerint in aliquo studio generali; volentes, quod quilibet studens, qui vadit ad aliquod studium generale extra suam provinciam, teneatur ibi morari per unum annum toto tempore lectionum. Si autem contra predicta fecerit, honore talibus studentibus debito sit privatus.

Item. Prohibemus districtius, ne frater quicumque suo priori vel presidenti dicere audeat, quod non sit prior vel presidens suus legitimus, nec ab ipsius obediencia se subtrahere audeat quovis modo, donec per superiorem vel diffinitores capituli generalis vel provincialis, si quod est dubium, declaratum fuerit. Et ut supradicta diligencius observentur, imponimus presidentibus universis, quatenus in communi ea legi faciant quolibet mense scilicet, et tam provinciales quam eorum vicarii et visitatores diligenter inquirant de observancia predictorum, et qualiter tam presidentes quam subditi eorumdem sint secuti, eaque referant diffinitoribus generalis vel provincialis capituli, ut per eos transgressores omnes tam per absolucionem a suis officiis, quam penis aliis debitis puniantur.

3) et in] nec tamen E.

Volentes, quod provinciales seu diffinitores provincialis capituli taxent expensas et provisiones visitatorum in conventibus, in quibus taxate non fuerint, ultra quas dicti visitatores conventus gravare non possint nec priores ultra taxacionem de bonis conventus valeant ipsis in aliquo providere.

Item. Omnes fratres sequentes exercitus et societates, terras et provincias devastantes et incendentes domos indebite et iniuste, subiicimus sentencie carcerali, denunciantes omnes omnibus graciis ordinis esse privatos.

Item. Fratres omnes, cuiuscumque condicionis existant, ad conventus suos reducimus et per presentes suis conventibus applicamus, pro quibus per professionem recepti fuerint, nisi per reverendum magistrum ordinis vel priores provinciales seu diffinitores generalis vel provincialis capituli ex causa racionabili aliter sit ordinatum, exceptis fratribus translatis de provincia ad provinciam et de contrata ad contratam, simpliciter et ex toto omnem graciam in supradictis contrariam a quocumque factam totaliter revocantes. Et committimus singulis prioribus provincialibus, quatenus provinciis Grecie et Terre sancte fratres voluntarios sue provincie assignare valeant simpliciter et ex toto seu ad tempus de provincialium dictarum beneplacito et assensu.

Item. Omnes gracias exemptorias de successione bonorum et de cameris habendis extra commune dormitorium, et de pluribus cameris retinendis nisi pro magistris, inquisitoribus et actu legentibus, quibuscumque concessas totaliter revocamus, rogantes reverendissimum patrem magistrum ordinis, quod tales gracias faciliter non concedat.

Item. Significamus fratribus universis, quod omnes fratres, qui per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam [vel] obedienciam sibi vel alteri commissam seu iniunctam per quamcumque personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam quocumque modo procuraverit revocari vel in aliqua provincia seu conventu aut eciam officio sive studio generali poni, vel remanere, vel inde amoveri, vel cum personis extraneis commorari, ipso facto ex vi presentis statuti in penam incidit graviori culpe debitam, in qua cum tali dispensari non possit, nisi per magistrum ordinis aut capitulum generale. Talis autem, quamdiu erit in hac penitencia, si predicator est, officium predicacionis non exerceat nec ad aliquod officium in ecclesia debet notari, nec illi aliqua obediencia committi, nec vocem habeat nisi in sui accusacione; et si sacerdos fuerit vel diaconus, hiis officiis non fungatur et sic celebrare et confessiones audire et alia sacerdotis officia exercere non poterit, ut in capitulo de graviori culpa cum multis aliis expressius continetur.

---

21) de] in E. — 29) seu — continetur *om.* E.

Item. Districtissime mandamus fratribus omnibus, [quod] non intrent monasteria sororum nostrarum, nisi in casibus positis in constitucionibus sororum earumdem; contrarium facientes et hoc fecisse convictos legitime volumus esse subiectos pene, quam reverendus pater magister ordinis in suis ordinacionibus huiusmodi transgressoribus imposuit, a qua infra mensem per nullum absolvi possint, nisi per reverendum patrem vel priorem provincialem. Et ut premissa firmius observentur, revocat dictus pater provincialis (!) [de] diffinitorum consilio et assensu [licencias] quibuscumque fratribus, cuiuscumque condicionis vel status existant, sub quacumque forma verborum vel litterarum datas vel concessas, reservat eciam sibi soli dictus pater generalis absolucionem.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: si autem priorem provincialem in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale mori vel amoveri contigerit, intelligatur sic: si infra illud tempus quocumque alio casu provinciam aliquam priore provinciali carere contigerit (1).

Item. Declaramus, quod feria tercia immediate nativitatem domini precedente et in rogacionibus non debet fieri de beato Dominico, patre nostro, nisi sola memoria.

Item. Declaramus, quod acta capituli generalis non obligant fratres aliarum provinciarum, nisi postquam in capitulo provinciali fuerint publicata.

---

12) iste — conventum *om.* E.

---

(1) *Quae declaratio his verbis legitur in cod.* K: Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur. Si in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso capitulo provinciali quocumque casu aliquam provinciam priore provinciali carere contigerit, ad provinciale capitulum electio pertinebit; quod sic intelligitur: non solum si ipso tempore carere inceperit, sed eciam si post mortem prioris provincialis vel alio quocumque casu inceperit carere ante capitulum generale, et quia provincia non elegit priorem provincialem ante, vel quia electus ante non fuit confirmatus, vel quocumque alio casu adhuc provincia in dicto tempore non habet priorem provincialem confirmatum vel electum et per consequens eo caret, quod ad provinciale capitulum et non ad electores eius electio pertinebit.

In capitulo Ianue celebrato anno domini m°. ccc°. lxv°.

Quod intelligatur sic, ut si in dictis temporibus carere inceperit, vel ante dicta tempora per quemcumque casum carere inceperit et ipsis temporibus vel aliquo predictorum quocumque casu carencia ipsa duraverit.

In capitulo generali Ianue celebrato anno m°. ccc°. lxv°.

Item. Declaramus, quod domus Pere, Caphe et Trebisundarum sunt conventus, et quod fratres ibi conventuales possunt eligere priorem, et ad solum provincialem Grecie vel eius vicarium et ad nullum alium pertinet confirmacio eorumdem in regimen predictorum conventuum (1).

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS AVINIONE CELEBRATI ANNO DOMINI · M°· CCC°· LXVII°·

Serenitati conscienciarum providere volentes, omnes et singulas ordinaciones, admoniciones, precepta et sentencias excommunicacionis capitulorum generalium et provincialium, magistrorum ordinis et priorum provincialium quorumcumque et vicariorum ipsorum amotorum seu mortuorum simpliciter revocamus.

In capitulo Avinionensi celebrato anno domini millesimo · ccc°· lxvii°·

Declaramus, quod in conventu habente suppriorem, si datus fuerit vicarius per capitulum, amoto priore, talis vicarius habet convocare fratres ad electionem et scrutabitur vota eorum.

Avinione · m°· ccc°· lxvii°·

Declaramus hanc, quod vicarii prioris, eis mortuis vel amotis, non sunt vicarii.

In capitulo Avinionensi anno · m°· ccc°· lxvii°·

Declaramus, quod acta capituli generalis non obligant fratres aliarum provinciarum, nisi postquam in suis provinciis in capitulis provincialibus fuerint publicata.

In capitulo Burgensi anno domini millesimo ccc°· lxix°·

Idem fuit declaratum in capitulo Ianuensi anno millesimo ccc°· lxv°·

Idem fuit declaratum in capitulo anno domini · m°· ccc°· lxvii°·

Declaramus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Si in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso capitulo provinciali quocumque casu aliquam provinciam priore provinciali carere contigerit, ad provinciale capitulum electio pertinebit; quod sic intelligitur: non solum si ipso tempore carere inceperit, sed eciam si post mortem prioris provincialis vel alio quocumque casu inceperit carere ante capitulum generale, et quia provincia non elegit priorem provincialem ante, vel quia electus ante non fuit confirmatus, vel quocumque alio casu adhuc provincia in dicto tempore non habet priorem provincialem confirmatum vel electum et per consequens eo caret, quod ad provinciale capitulum et non ad electores eius electio pertinebit.

In capitulo Avenione anno domini · m°· ccc°· lxvii°· Et hec habet tria capitula.

---

(1) Quae declaratio *om.* K.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS BRUGIS CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°· CCC°· LXIX°·

Declaramus hanc, quod vicarii prioris, eis mortuis vel amotis, non sunt vicarii.

In capitulo Brugensi anno domini · m°· ccc°· lxix°·

Et idem fuit declaratum in capitulo Avenionensi anno · m°· ccc°· lxvii°·

Declaramus, quod acta capituli generalis non obligant fratres aliarum provinciarum, nisi postquam in suis provinciis in capitulis provincialibus fuerint publicata.

In capitulo Brugensi anno domini millesimo ccc°· lxix°.

Declaramus in fine constitucionum ipsarum de mutacionibus non faciendis ante electiones quascumque, ubi dicitur: nisi in provinciali capitulo et in loco ipsius provincialis capituli, quod intelligitur: infra decem dies, quos constitucio concedit pro celebracione capituli utriusque; unde si provincialis vel eius vicarius generalis infra dictos ·x· dies post publicacionem actorum faciat quamcumque mutacionem, non habet vigorem, nisi processerit de consensu fratrum illorum vel maioris partis eorum, qui pro tunc inibi diffinierunt.

In capitulo Burgis celebrato sub magistro H[elia] anno domini millesimo ccc°· lxix°·

Declaramus, quod si in conventu habente suppriorem datus fuerit vicarius per capitulum priore amoto, talis vicarius habet convocare fratres ad electionem, supprior vero scrutabitur ipsos.

In capitulo generali Burgis celebrato sub magistro Helya anno domini millesimo ccc°· lx°· nono.

Declaramus, quod sicut imminente electione priorum conventualium non debent fieri mutaciones fratrum ante mensem electionem predictam immediate precedentem nisi in casibus in constitucionibus expressis [nec] fratrum privaciones, simili modo declaramus et volumus, quod non fiant mutaciones fratrum, privaciones vocum, absoluciones priorum a tempore noticie carencie provincialis in aliqua provincia usque ad noticiam confirmacionis eiusdem nisi in casibus in constitucionibus declaratis.

Hoc extitit declaratum in capitulo generali apud Venecias celebrato anno domini ·m· ccc°· lvii°· (1).

Idem in capitulo Burgensi anno domini ·m°· ccc°· lxix°·

Declaramus hanc, quod solum frater [qui] legitime carceri mancipatur secundo vel primo pro delicto, pro quo in seculo moreretur, perdat

---

(1) Cf. supra pag. 380 l. 24 sqq.

bona sua, aliter non, et quod ipsa pertineant ad provisionem provincialis sui vel ad conventum, de quo talis frater exstitit nativus, secundum quod in ipsa provincia fuit actenus consuetum.

In capitulo Burgensi anno domini ·m· ccc°· lxix°·

Declaramus, quod magister ordinis ex sua ordinaria potestate et ex (sua) consuetudine ordinis approbata in toto ordine necnon et eius vicarius generalis in provincia vel conventibus ei commissis possunt confirmare priores, lectores instituere eciam in locis, ubi non viget studium generale, et ne aliqui priores absolvi valeant per aliquem eis inferiorem, ex causa racionabili inhibere (!); et quod prior provincialis non potest contra illa, que sunt ordinata per magistrum ordinis vel eius vicarium iam dictum, maxime si per eos aut eorum aliqua potestas subtracta fuerit in eisdem.

In capitulo Burgensi sub magistro Helia anno domini ·m°· ccc°· lxix°·

Declaramus, quod ordinaciones, que dicunt, quod committens incidit in talem penam ipso facto, requirunt primum iudicium, antequam reus dictam penam incurrat.

In capitulo generali Burgis celebrato sub magistro Helia anno domini millesimo ·ccc°· lxix°·

Item hanc, quod layci fratres de statu conversorum ad statum clericorum promoti non habent vocem in aliqua electione ordinis vel tractatu eorum, que ad generale vel provinciale capitulum sunt mittenda, ante quinque annos completos a die recepcionis huiusmodi habitus clericorum in antea computandos. Et quod iidem fratres clericati sunt et esse debent post fratres illos clericos quantum ad locum ubique et ad vocem in electionibus et tractatibus, qui eos in statu precesserunt clericali.

In capitulo Brugensi anno domini ·m· ccc°· lxix°·

In (1) isto capitulo (dictus) frater Mathias, provincialis Aragoniae, fuit absolutus ab officio provincialatus... Et per capitulum generale factus fuit vicarius provinciae frater Petrus de Custibus, quousque dictus magister B esset presens in provincia.

Et sub isto magistro [Helia] istud capitulum generale ordinavit, quod capitulum celebraretur de biennio in biennium (2).

---

(1) Quae sequuntur ad « in biennium » ex cronica Petri de Arenys desumuntur. Cf. MOPH. VII pag. 54, et infra pag. 412 l. 17 sqq.

(2) In eodem capitulo fuit absolutus prior provincialis provinciae Tolosanae fr. Sancius de Ficola. « Et occasio fuit, ait auctor libelli priorum provincialium provinciae Tolosanae (apud MARTÈNE et DURAND *Amplissima Collectio* VI, pag. 443), quod appellaverat cum multis aliis a magistro ordinis et eius vicario. Sed appellationis causa per dominum papam Urbanum V fuit commissa capitulo generali (cf. BO. II,

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS VALENCIE CELEBRATI DE PROVINCIA ARAGONIE ANNO DOMINI · M°· CCC°· LXX°·

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: Quod de beato Benedicto fiat festum duplex ·xxi· die mensis marcii.

Item. Inchoamus hanc: Quod de festivitate omnium sanctorum fiant octave et dicantur per octavas lectiones de communi martyrum, donec per magistrum ordinis de lectionibus sit provisum, et post dictas octavas festivitates sanctorum quatuor coronatorum et Theodori in feriis immediate sequentibus vacantibus celebrentur.

Item hanc: Quod de sanctis angelis fiant octave, sicut de sanctis octavas habentibus, ut in ordinario est notatum.

Item hanc: Quod festivitates trium lectionum, quando impedite fuerint, transferantur.

Item. Quod capitulum generale de biennio in biennium celebretur, et volumus, quod omnes predicte inchoaciones medio tempore observentur.

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc, quod de translacione beati Thome de Aquino nostri ordinis fiat festum totum duplex ·xxviii· die mensis ianuarii, et quod in crastinum fiat festum de beata Agnete secundo.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: In ordinario, ubi dicitur: quod omni tercia feria, addatur sic: quod a deus omnium usque ad primam dominicam adventus in tercia feria, si sit missa de beato Dominico, secunda oracio sit de beato Petro martyre vel de beato Thoma, nisi eadem die fuerit festum trium lectionum, aut alicuius sancti memoriam habentis, et quod istud alternetur, sicut quando ebdomada erit de choro dextro, dicatur oracio de beato Petro martyre, et quando erit de choro sinistro, dicatur oracio de beato Thoma, doctore nostro eximio de Aquino.

---

216 n. VII), et iudicatum iniuste appellasse; et ideo et ipse et alii graviter puniti fuerunt. Sed pepertum fuit appellantibus.... [*supplendum esse arbitror:* a pena carceris], quam incurrerant propter ordinationem, quae currebat anno illo ». *Qualis fuerit haec ordinatio, nescio.*

Item. Confirmamus hanc: In ordinario, ubi dicitur: de beata Maria Magdalena fiat festum duplex, addatur et dicatur sic: et de ipsa fiat memoria per octavam eiusdem in matutinis per antiphonam: Intercede supplicans etc.; versus: Dimissa sunt etc.; oracio: Largire etc.; et de beato Vincencio fiat idem in matutinis per antiphonam: Beatus Vincencius; versus: Corona; oracio: Adesto; in vesperis antiphona: Assumptus; versus: Gloria et honore; oracio ut supra.

Iste sunt admoniciones et ordinaciones.

Inprimis cum ex verbis immoderate prolatis aliquando ipsi veritati quam plurimum derogetur, et apud audientes non modicum scandalum generetur, prohibemus districte, ne fratres nostri ordinis in disputacionibus vel promocionibus aut aliis suis locucionibus quibuscumque de facili dicant aliquid seu asserant esse hereticum vel erroneum, nisi ex manifesta causa et deliberacione cum maioribus prehabita diligenti; quod si secus actum fuerit per quemcumque, talem temerarium voce privamus simpliciter in officio predicandi.

Item. Cum propter ignoranciam eorum, que agenda sunt, plures in devium facilius prolabantur, volumus et ordinamus ac in virtute sancte obediencie precipimus, quod de cetero acta capitulorum generalium sub sigillo magistri ordinis et acta capitulorum provincialium sub sigillo priorum provincialium et vicariorum eorumdem ad provincias et conventus per illos portentur, ad quos de iure secundum consuetudinem ordinis pertinebit, imponentes sub tenore eiusdem precepti omnibus prioribus conventualibus et eorum loca tenentibus, quatenus declaraciones et ordinaciones capitulorum generalium et provincialium semel in mense legi faciant fratribus congregatis in capitulo vel in mensa. Si quis autem frater tunc absens fuerit, ille sub eodem precepto infra id tempus, cum presens fuerit in conventu, easdem teneatur legere vel audire intelligibiliter et perfecte. Et nichilominus volumus, quod quilibet frater ordinis consimiliter sub precepto legat vel audiat omnes integraliter constituciones nostras ad minus quolibet anno semel.

Item. Ne bona communia distrahantur, volumus et ordinamus, quod anniversaria et libri sumptuosi necnon concessiones eleemosyne perpetue, sive quevis alia bona conventuum immobilia precium, decem florenorum et supra coniunctim vel divisim valencia, nullatenus vendantur seu quovis modo alienentur per quemcumque, nisi de licencia venerabilis patris magistri ordinis aut priorum provincialium, que non concedatur sine causa multum racionabili et urgente; quod si aliter factum fuerit, volumus totum esse irritum et inane. Mandantes universis presidentibus conventuum, quod de bonis communitatis faciant in quolibet officio inventaria duplicata, quorum unum per patrem, qui exercebit officium rerum in

inventario contentarum, et aliud in communi conventus deposito teneatur.

Item. Volumus, quod nullus frater recipiat aliquem librum ad usum sine consensu, nisi in aliquorum presencia seniorum per manum presidentis illius conventus, ad quem liber huiusmodi pertinebit. Presidens vero illum librum a die collacionis eiusdem, scribat in uno libro ad hoc deputato, quem volumus conservari in communi deposito conventus ad cautelam. Fratres autem iam libros ad usum possidentes tradant eos in scriptis presidentibus conventuum, quorum libri sunt, qui conscribant ipsos in libro superius memorato; alias privamus eos usu librorum talium per presentes. Prohibentes fratribus universis, ne communicent qualitercumque libros predicabiles personis extra nostram obedienciam constitutis, nisi de reverendi patris magistri ordinis aut suorum provincialium speciali licencia petita pariter et obtenta. Quilibet autem frater, qui librum sine consensu ad usum vendiderit vel impignoraverit aut qualitercumque alienaverit sine licencia sui superioris, furti iudicio condempnetur.

Item. Ordinamus, quod omnia missalia ordinis maxime in loco canonis corrigantur, quibus officium nostri doctoris egregii sancti Thome integraliter annotetur; adiicientes, quod post graciarum actiones in omnibus conventibus semper dicatur in choro: Salve regina, voce submissa cum responsu et collecta de beata virgine, sicut ad horas diei fieri consuevit.

Item. Mandamus fratribus universis, qui racione officii aut evitandi scandali vel imposite penitencie non sunt alibi assignati, quod redeant ad suos nativos conventus, quibus eos ex nunc simpliciter assignamus; ordinantes, quod studentes Parisius assignati remaneant ad minus per unum annum, alias volumus, quod ad lectionem quamcumque nequeant per aliquem in posterum promoveri; adiicientes, quod nulli studenti extra provinciam suam ad studium misso possit aliquis alius substitui ibidem per quemcumque infra sex menses computandos a possessione sui studii, nisi talem studentem infra tempus pretaxatum mori contigerit vel aliter legitime impediri; et volumus, quod deinceps, qui fuerint apostate vel sentencialiter incarcerati, non possint lectores fieri aut in priores aliquatenus confirmari.

Item. Ordinamus, quod nullus frater aliquam capellaniam recipiat absque licencia sui provincialis. Quod si oppositum fiat, totum emolumentum suo conventui simpliciter applicamus.

Item. Insuper volumus, quod nullus promoveatur ad sacros ordines, nisi attigerit tempus secundum canonum sanctiones.

Item. Ordinamus, quod quilibet frater iuvenis non competenter sciens

scribere aut cantare, cogatur addiscere ad scribendum et cantandum per abstinenciam in pane et aqua et privacionem graciarum.

Item. Ordinaciones factas in capitulo Brugensi de non provocando dominos prelatos in sermonibus sub pena privacionis vocis, quam transgressores ipso facto incurrant; et de non imponendo thesim alicui indebite ac eciam inconsulte; de bona educacione noviciorum et ipsorum recepcione; de modo visitandi et visitatores instituendi; de libera electione; de modo procedendi ad eamdem, hoc adiecto, nisi forte omnes electores essent presentes in conventu, qui absque dolo et fraude concorditer vellent eligere infra tres dies pretaxatos; et de lectoribus senteciarum et biblie in universitatibus, quod veniant pro tempore; et faciendo fidem superioribus de graciis quomodolibet impetratis, necnon de studentibus de studio redeuntibus sine littera testimoniali; quodque in scrutiniis priorum provincialium dies et loca pariter annotentur; et quod magistri regentes in universitatibus non se absentent, donec presentem habeant successorem, cum omnibus et singulis clausulis suis in forma volumus in suo robore firmiter permanere.

Item. Volumus, quod nullus frater, cuiuscumque ordinis existat, teneat duas habitaciones in conventibus quibuscumque, adiicientes, quod famulus non teneatur ad expensas conventuum per quemcumque, nisi fuerit actu regens in studio generali aut inquisitor vel ordinis procurator.

Item. Volumus, quod fratres conversi portantes alba scapularia, nisi licenciam habeant specialem, ad formam constitucionis absque mora penitus reducantur; super quo presidencium consciencias oneramus.

Item. Denunciamus, quod quicumque frater ordinis nostri per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam, vel obedienciam sibi vel alii fratri iniunctam per quamcumque personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam procuraverit revocari vel in aliqua provincia seu conventu vel eciam officio seu in studio generali poni, remanere vel inde amoveri, ipso facto sentenciam excommunicacionis se noverit incurrisse; quam reverendus pater magister ordinis in diffinitorio iuridice protulit coram nobis; a qua nullus valeat absolvi nisi per magistrum ordinis vel per eum, cui super hoc commiserit vices suas.

Item. Ordinamus, quod omnes fratres validi, cuiuscumque gradus aut condicionis existant, in conventu existentes, bis comedant aut ad minus semel in refectorio in qualibet septimana; prohibentes in virtute sancte obediencie omnibus fratribus, quatenus nullus comedat in prandio sive cena infra conventum extra quatuor loca regularia, nisi notabiliter debilis fuerit aut decumbens.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie sub pena excommunicacionis et iniungimus omnibus magistris in theologia, quod antequam

disponant de sufficiencia et moribus fratrum licenciandorum coram cancellariis universitatis, primo omnia et singula, que de huiusmodi licenciandis fratribus depositaverunt, suo superiori dicant et explicent, conferendo eidem (eadem) de hiis, que debebunt deponere vel non de huiusmodi licenciandis. Ordinamus et districte mandamus provincialibus prioribus, quatenus per preceptum et sentenciam excommunicacionis inquirant de diffamatoribus in hac materia, et inventos puniant tanquam sui ordinis destructores, arcendo quoscumque fratres, ad quos non spectat facere testimonium de licenciandis ad magisterium, quod nullatenus se intromittant de cetero de tali testimonio perhibendo.

Item. Omnem fratrem sine socio nostri ordinis extra incedentem ipso facto tenore presencium voce privamus, subiicientes eidem pene quemlibet fratrem camisiam [lineam] deferentem; quod si presidens fuerit, toto tempore, quo illa utetur, a suo officio presidencie decrevimus et volumus esse suspensum; revocantes omnes gracias exemptorias fratribus a quocumque concessas sub quacumque forma verborum, eciamsi de verbo ad verbum de ipsis oporteret singularem fieri mencionem.

Item. Denunciamus fratribus universis, quod ex antiqua declaracione ordinis fratres inquisitores de personalibus suis prioribus conventualibus et pertinentibus ad officium inquisicionis suis prioribus provincialibus debent reddere racionem.

Concedimus prioribus provincialibus Terre Sancte et Grecie, quod quilibet ipsorum possit sue provincie viginti fratres extraneos simpliciter assignare, de consensu tamen provincialium, de quorum provinciis fratres huiusmodi assumentur, necnon eciam illos, qui ad predictas provincias veniunt cum litteris testimonialibus suorum provincialium et ibi voluerunt remanere.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores provinciales: Anglie, Polonie.

Item. Hos priores conventuales provincie Aragonie: Balagarii, Urgellensis, Illerdensis, Minoricensis et Calataiubii; et volumus et ordinamus, quod priores in hiis actis absoluti vel qui per litteras absolventur, isto anno in eisdem provinciis seu conventibus in eis officiis nullatenus resumantur nec confirmari valeant per quemcumque.

Facimus vicarios: in provincia Anglie fr. Guillelmum Andree, magistrum in theologia, de provincie Anglie.

In provincia Polonie fr. Iohannem de Brega, priorem Scalviensem (1), qui fuit anno preterito diffinitor capituli generalis Brugis celebrati, do-

(1) Huius nominis conventus in Polonia non existit; legendum esse arbitror « Zlupensis ». Cf. SSOP. I, pag. XI, n. X.

nec priores provinciales in predictis provinciis electi fuerint et confirmati et presentes extiterint in eisdem.

Concedimus cuilibet provincie licenciam duos conventus recipiendi.

Declaramus hanc, quando aliqua responsoria non possunt dici aliquando in anno, nisi in tercia feria vel in sabbato secundum rubricas ordinarii, in tali tercia feria vel in sabbato non debet fieri officium de beato Dominico vel in sabbato de beata virgine illa vice.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno immediate sequenti fr. Guillelmum de Marreija (1) de provincia Francie; pro anno secundo, quantum nostra interest, fr. Gombaldum de Vlugia de provincia Aragonie (2); et pro anno tercio, quantum nostra interest, fr. Simonem Bardelli (3), quem in casu, quo contigerit fr. Guillelmum de Marreija impediri, ad legendum sentencias pro anno immediate sequenti Parisius assignamus.

In Oxonia ad legendum sentencias pro anno presenti fr. Henricum Alberti de provincia Saxonie.

In Cantabrigia pro lectore sentenciarum pro primo anno extraneis debito fr. Bartholomeum Stivil (4) de provincia Aragonie, cui substituimus in casu, quo ipsum contingeret impediri, fr. Bernardum Mauricii de provincia Provincie.

Item. In conventu Bononiensi assignamus pro lectore principali fr. Peregrinum de Pipo, magistrum in theologia, de provincia Tholosana.

Ad legendum sentencias ibidem fr. Franciscum de Imola de provincia Lombardie inferioris; pro anno secundo, quantum nostra interest, fr. Martinum de Blanco de provincia Tholosana.

In conventu Florentino assignamus regentem fr. Leonardum Deffoliciano (!), magistrum in theologia de provincia Lombardie superioris.

Pro baccalario ibidem assignamus fr. Iohannem de Piperno de provincia Romana; et pro anno secundo, qui est primus annus extraneis debitus, quantum nostra interest, fr. Antonium Folqueti (5) de provincia Aragonie inter extraneos primo loco, et pro alio anno extraneis debito, quantum nostra interest, fr. Antonium de Peravissino de provincia Lombardie superioris.

---

(1) De fr. Guilelmo de Marreija cf. DENIFLE l. c. pag. 190.
(2) De fr. Gombaldo de Vlugia cf. ibid.; SSOP. I, 686; MOPH. VII, pag. 56.
(3) De fr. Simone Bardelli cf. DENIFLE l. c.
(4) De fr. Bartholomaeo Stivil cf. MOPH. VII, pag. 53.
(5) De fr. Antonio Folqueti cf. ibid. pag. 61.

Disposicionem autem aliorum lectorum committimus provinciali Romano, ut ipse provideat, secundum quod honori ordinis sibi videbitur expedire.

In Monte Pessulano pro lectore fr. Petrum Lileti, licenciatum in theologia; ad legendum sentencias ibibem fr. Petrum Campmanii.

In Colonia ponimus pro lectore fr. Iohannem de Constancia; ad legendum ibidem sentencias fr. Theobaldum de Alberic; magistrum studencium fr. Iohannem de Sigullis.

Disposicionem studii Neapolitani committimus priori provinciali regni Sicilie.

Disposicionem conventus Magdeburgensis committimus provinciali Saxonie.

In conventu Mediolanensi assignamus pro lectore fr. Vercellinum de Vercellis (1); ad legendum sentencias ibidem fr. Blasium de Gluciano; magistrum studencium fr. Luguinum de Novaria.

Ordinacionem vero conventus Barchinonensis committimus provinciali Aragonie.

Ordinacionem studii Pragensis committimus provinciali Bohemie.

In studio Salamantino assignamus pro lectore fr. Iohannem Capellanum; reliquorum lectorum ibidem disposicionem committimus provinciali Hispanie.

Ordinacionem omnium studiorum generalium committimus reverendo patri magistro ordinis, ut ipse de lectoribus, baccalariis, magistris studencium et biblicis provideat, secundum quod iudicaverit honestati ordinis expedire.

Denunciamus fratribus universis, quod quicumque frater ad Romanam curiam accesserit sine licencia magistri ordinis aut cum intencione accedendi iter arripuerit, seu in ea remanserit ultra terminum sibi assignatum, vel habens eciam licenciam super hoc solus sine socio fratre ordinis ipsam curiam intraverit, et qui in ea solus discurrerit, vel negocium duxerit aliquod absque scitu et licencia procuratoris ordinis in curia generalis, cuiuscumque gradus aut condicionis existat, vel qui in arte alchimie operatus fuerit ubicumque, seu ad deliberacionem alicuius fratris ordinis incarcerati operam dederit efficacem; qui aliquid predictorum fecerit, transgressionem precepti, excommunicacionis sentenciam incurrit ipso facto, quam reverendus pater magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de omnium nostrorum consilio et assensu; cuius absolucionem sibi soli reservavit. Fratres vero cum ad curiam venerint undecumque, cuiuscumque gradus aut condicionis exi-

---

(1) De fr. Vercellino de Vercellis cf. SSOP. I, 822.

stant, infra duos dies naturales, in quo illam intraverint, procuratori ordinis se presentent sub precepto, causas pro quibus veniunt eidem fideliter relaturi, et de ordinacionibus reverendi patris magistri ordinis et procuratoris predicti se informent ad plenum, eidem ac suis ordinacionibus [et] vicario generali magistri ordinis parendo humiliter et devote; et volumus et procuratori prefato districte imponimus et mandamus, quatenus delinquentem in aliquo premissorum sibique inobedientem et rebellem arrestet, quamcicius possit, et penas imponat eidem debitas iuxta predicta, et contra nostrarum seriem constitucionum facientes cum effectu, invocato, si necesse fuerit, auxilio brachii secularis, vel si sibi magis expediens videatur, eos, qui aliquid predictorum in curia commiserint, postquam eos denunciaverit penas incurrisse, deferat et remittat suis prioribus provincialibus penis ipsis, ut expedit pro honore ordinis, puniendos.

Provinciarum vero et conventuum rectores omnes ordinis et singuli eidem procuratori ordinis eiusque vicario, quoad predicta necnon eciam ad respondendum de iusticia querellantibus in curia coram eo, cum ipsos ad eos remiserit cum litteris suis obedire teneantur, sicut nobis, quare super predictis omnibus et singulis committimus [ei] plenarie vices nostras.

Nec volumus, quod aliquis inferior magistro reverendo de predictis aut aliquo predictorum absque illius procuratoris licencia se valeat intromittere aut eum aliquatenus super hiis impedire, sub precepto imponentes fratribus universis presidentibus, ut quemcumque fratrem de curia Romana redeuntem sine litteris testimonialibus dicti procuratoris aut eis declaratis ab eodem procuratore infra octo dies coram aliquibus antiquis fratribus publice denuncient voce privatum, quem nos tenore presencium privamus, ad quam non possit restitui nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale, vel alias penas incurrisse secundum declaracionem procuratoris supradicti vel eius vicarii in curia Romana supradicta.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie cuilibet priori provinciali et vicariis generalibus eorumdem, ut procuratori ordinis in Romana curia pro expensis ibidem factis et faciendis per eumdem, hinc ad festum nativitatis domini immediate sequens mittant sex bonos florenos de Florencia, et illi, qui aliud ei debent de tempore preterito, infra dictum festum eidem satisfaciant integraliter et perfecte.

Item. Omnes habilitaciones fratrum quorumcumque ad studia generalia, exceptis habilitacionibus illorum fratrum, quibus iam licencia secundum morem aliquarum universitatum data est seu [qui] interpretati sunt in universitate aliqua, et illorum, qui in presenti generali capitulo sunt ad habilitacionem aliquam nominati, factas seu concessas per quem-

cumque, aut quecumque capitula generalia seu provincialia virtute seu vigore cuiuscumque auctoritatis ordinis nostri, tenore presencium simpliciter revocamus nec volumus, quod de cetero habilitari aliquis frater valeat per quemcumque ad lecturam aliquam in universitate quacumque, nisi per duos annos vel tres ad plus lecturam sentenciarum immediate precedentes.

Rogamus autem dictum reverendum magistrum ordinis et supplicamus eidem ad evitandum fraudes, que in promocionibus aliquorum contigisse novimus aliquando, quatenus nullum fratrem de cetero habilitet ad quamcumque lecturam in universitatibus theologie, nisi eos, quos priores provinciales et diffinitores capitulorum provincialium, de quorum provinciis fuerint fratres huiusmodi, promovendos ad hoc presentaverint, qui experienciam habuerint de promovendorum sufficiencia, moribus atque vita.

Committimus reverendo patri magistro ordinis, quod provinciis Terre sancte et Grecie, quocienscumque et in quocumque casu ipsas vel aliquam in posterum contingeret priore provinciali carere citra immediate sequens capitulum generale, eisdem provinciis et ipsarum cuilibet de prioribus provincialibus providere valeat, secundum quod sibi videbitur expedire.

Item. Concedimus et committimus eidem magistro reverendo auctoritatem nostram in omnibus et per omnia, quantum possumus et nostra interest, tam circa assignaciones generalissimi capituli quam circa reformaciones, disposiciones, dispensaciones et ordinaciones quascumque, necnon et circa omnia alia et singula, que paci et tranquillitati seu conservacioni ordinis aut conventuum vel fratrum singularium iudicaverit expedire.

Cum capitulo generali pluribus de causis visum fuerit expedire, quod capitulum generalissimum ad serenitatem conscienciarum fratrum sit in ordine celebrandum, ideo mandamus et firmiter precipimus, ut provincie universe nostri ordinis in suis capitulis provincialibus immediate sequentibus deliberent, an expediat ordini nostro, quod celebretur ad serenitatem conscienciarum fratrum aliquod capitulum generalissimum, et quod ille provincie, quibus hoc visum fuerit expedire, ipsum capitulum generalissimum petant et cartas scribant fideliter et secrete, sub sigillis suorum provincialium et omnium diffinitorum suorum provincialium capitulorum, ipsasque mittant infra instans festum purificacionis beate Marie virginis magistro ordinis reverendo, ut ipse magister ordinis dictum capitulum generalissimum debitis loco et tempore convocare et assignare valeat, et assignacionem et convocacionem huiusmodi generalissimi capituli provinciis intimare, ut sic in suis aliis immediate sequentibus capi-

tulis provincialibus secundum nostrarum seriem constitucionum talis generalissimi capituli celebracio pertinebit et in quos diffinitores fratres provinciarum suarum, prout exigit auctoritas generalissimi, plenarie transferant vota sua.

Iste sunt penitencie.

Quoniam diffinitores capitulorum provincialium provincie Theutonie, Bohemie, Polonie, Anglie, Hispanie in scrutiniis suorum priorum provincialium obmiserunt annotare millesimum, diem atque locum, contra ordinacionem precedentis capituli generalis, imponimus ipsis tres dies in pane et aqua, in quibus sub precepto sancte obediencie infra duos menses a noticia presencium teneantur indispensabiliter abstinere.

Item. Absolvimus vicarium datum et institutum in Dalmacia per provincialem Ungarie, imponentes eidem provinciali in virtute sancte obediencie, quod diligenter inquirat per omnem censuram ecclesiasticam, qui fuerint fratres rebelles seu inobedientes seu irreverenter tractari procurantes per personas seculares, et inventos puniant taliter, quod transeat ceteris in exemplum; imponentes predicto provinciali, quod de maturo fratrum consilio vicarium de cetero ibidem instituat, qui zelator sit sui ordinis, maturus pariter et discretus.

Item. Declaramus, quod capcio fratrum nostrorum facta in conventu Maioricensi, iam sunt quatuor anni vel circa, quantum apparet ex propositis coram nobis, iniuste et indebite fuit facta et non exigentibus demeritis eorumdem.

Item. Volumus mandamus et ordinamus, quod quilibet prior provincialis pro quolibet conventu sue provincie pro presenti anno unum florenum pro fabrica venerabilis sepulchri sancti Thome procuratori ordinis ad curiam Romanam mittat a noticia presencium vel priori Tholose; pro alio vero anno mittat modo simili pro quolibet conventu sue provincie unum florenum ad sequens capitulum generale.

Cum reverendus pater magister ordinis ad honorem nostri doctoris egregii sancti Thome sepulchrum eiusdem sacrosancti corporis edificare ceperit in Tholosa, in materia et forma quam plurimum sumptuosum, ut expensis tanti operis sufficiat, exhortamur affectu, quo possumus, fratres singulos, necnon eisdem imponimus in remissionem peccatorum suorum, quatenus personis devotis eidem glorioso doctori suadeant, quod per eleemosynas suas ad tam sanctum opus manus suas porrigant adiutrices; quibus omnibus huiusmodi benefactoribus concedit centum dies de indulgencia dominus noster papa, cuius in curia Romana habetur bulla. Quidquid autem inde receperint, mittant ipsi patri reverendo tam

---

1) talis — sua *textus evidenter mutilus*. — 38) cuius] Sergio, hec *cod*. III, 4.

cito, sicut poterunt, vel saltem deferant ad immediate sequens capitulum generale.

Item. Precipimus et mandamus in virtute sancte obediencie universis presidentibus conventuum et prioribus monasteriorum quorumcumque, quatenus infra unum annum a noticia presencium copiam bullarum omnium, que diligenti habita inquisicione reperiuntur in suo conventu vel monasterio, integraliter mittant suo priori provinciali vel eius vicario generali, annotando in copia summum pontificem, qui concesserit tale privilegium, ut in bulla seu sigillo plumbeo invenitur, annotando eciam conventum, ubi talis bulla reservatur, demptis illis bullis, quorum tota bulle substancia in privilegio, quod privilegium magnum seu maxime magnum dicitur, continetur. Intelligimus autem de illis bullis, que utiles esse possunt toti ordini aut provincie alicui seu officio magistri ordinis vel priori provinciali aut inquisitori aut conventui alicui sive monasterio, si exinde saltem indirecte de talibus bullis tangentibus conventus vel monasteria ordinis posset commoditas aliqua discretorum iudicio evenire.

Ista suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo in Christo patre et domino domino nostro summo pontifice quilibet sacerdos tres missas.

Pro reverendissimo in Christo patre ac domino domino cardinali Hostiensi (1) quilibet sacerdos duas missas.

Pro reverendissimis in Christo patribus ac dominis dominis cardinalibus Boloniensi (2), Tusculano (3), Albanensi (4), Belliforisis (5), sancti Marcialis (6) de Agrifolio (7), Neapolitano (8), Ierosolymitano (9), Tholosano (10), quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) Guilelmo Sudre O. Praed.; de quo supra pag. 330 l. 1; prom. 18 Sept. 1366 tit. ss. Ioh. et Pauli, voc. « Massiliensis » postea (post 10 Maii 1367) ep. Ostien. † 18 Apr. 1373; cf. EUBEL l. c. pag. 20.

(2) Guidone de Bolonia (Bouloyne) tit. s. Caeciliae, prom. 20 Sept. 1342; † Ilerdae 25 Nov. 1373 l. c. pag. 17.

(3) Aegidio Isalini (Aycelini) de Monteacuto, tit. s. Martini in mont., postea (1386 Iul. 26) ep. Tusculan. prom. 17 Sept. 1361; † Avin. 5 Dec. 1379 l. c. p. 19.

(4) Anglico Grimaldi O. S. Aug. prom. 18 Sept. 1366, tit. s. Petri ad vinc., (postea 17 Sept. 1367) ep. Albanen., † Avin. 16 Apr. 1388; l. c. pag. 20.

(5) Petro Rogerii, prom. 29 Maii 1348, diac. s. Mariae novae, card. « Bellifortis » vulg. nuncup., postmodum Gregorio papa XI, l. c. pag. 18.

(6) Hugone de s. Martiali prom. 17 Sept. 1366, diac. s. Mariae in porticu, vulg. « s. Martialis » † a. 1403, l. c. pag. 19.

(7) Guilelmo de Agrifolio (Aigrefeuille), prom. 12 Maii 1367 tit. s. Stephani in Coelio monte, vulg. « de Agrifolio », † Avin. 13 Ian. 1401; l. c. pag. 20.

(8) Bernardo de Bosqueto, aep. Neapolitan. prom. 22 Sept. 1368, Bas. XII apost., † Avin. 19 Apr. 1371; l. c.

Pro reverendissimo in Christo patre ac domino domino Guilielmo (11) cardinali, et venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino episcopo Valencie et patre ac fratribus ipsius, quilibet sacerdos duas Missas.

Pro dominis canonicis et curatis civitatis Valencie quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis archiepiscopo Tarraconensi et episcopis Dertusensi, Illerdensi et Vicensi quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo imperatore rege Romanorum, semper augusto, et domina imperatrice eius consorte, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino rege Aragonie et domina regina consorte sua ac liberis eorumdem quilibet sacerdos tres missas.

Pro illustrissimo principe domino rege Francorum, ac domina regina eius consorte et unigenito eorundem quilibet sacerdos duas missas.

Pro illustrissimis dominabus domina regina Iohanna, domina regina Blanca, domina comitissa de Alenconio, et domina Iohanna, filia domini regis Aragonie, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino rege Anglie quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis regibus Castelle, Portugallie, Navarre et eorum consortibus ac liberis et domicellis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimis dominis ducibus Andegavie, Biturie, Burgundie et principe Galearum, quilibet sacerdos unam missam.

Pro inclyto domino comite Empuriarum, et domina comitissa matre sua et pro quibus intendit, quilibet sacerdos duas missas.

Pro domina Margarita de Cardona, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domina Maria de sancto Paulo comitissa Combroxie, et domina Valencie quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominabus sororibus Maria de Claramonte, Maria de Borbonio et Maria de Britania, quilibet sacerdos unam missam.

21) domicellis] Domi Cecilie *cod.* III, 4 *forsitan* dom̃. Sicilie.

(9) Philippo Cabassole patr. Hierosol. prom. 22 Sept. 1368, tit. ss. Marcellini et Petri, postea (31 Maii 1370) ep. Sabinen., vulg. «Hierosolymitanus», † Perusii 27 Aug. 1372 l. c.

(10) Raymundo de Canhiliaco (Canillac) aep. Tolosan. prom. 17 Dec. 1350, tit. s. Crucis in Hierusalem, postea (1361 Nov. 4) ep. Praenestin., † Avinione 20 Iunii 1373; l. c. pag. 18.

(11) Guilelmo Iudicis (de la Jugée) prom. 20 Sept. 1342 diac. s. Mariae in Cosmedin postea (22 Sept. 1368) translatus esse dicitur in presb. ordin., † 28 Apr. 1374; l. c. pag. 17.

Et pro sorore Iacoba Valencie et sorore Alemania, et pro quibus intendunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino Philippo Boyll et consorte ac liberis eorumdem quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino magistro de Muntessa, et capellano Amposte, Berengario de Crudillis commendatore de Muntessa, et bono statu ordinis sui, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino comite Urgelli, et domina comitissa eius consorte ac domina comitissa matre ipsius quilibet sacerdos unam missam.

Pro domina vicecomitissa de Cardona et domino vicecomite eius filio, et domina consorte sua et dominabus vicecomitissa de Capraria, et domina Timbos de Pulchroloco, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro dominabus Toda de Stincillis, Theresia de Boyll, Arnalda Blasi Ferdinandi, quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis militibus civitatis Valencie quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis iuristis dicte civitatis quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis pannorum paratoribus, apotecariis, corregerariis et aliis ministralibus dicte civitatis Valencie quilibet sacerdos unam missam.

Pro confratribus sancti Narcisii et confratribus clericis quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu civitatis Valencie quilibet sacerdos tres missas.

Item. Pro provinciali Aragonie, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro magistro Iohanne Mathei, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro fratre Bernardo Ferrerii, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro fratre Francisco de Pontonibus, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro fratre Iacobo Olivarii, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro fratre Petro Claranis, et pro quibus intendit, quilibet sacerdos unam missam.

Item. Pro reverendo magistro ordinis quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro reverendis patribus diffinitoribus huius presentis capituli generalis quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro hiis, qui iuvarunt vel iuvabunt in posterum ad fabricam tumuli doctoris nostri eximii sancti Thome, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro hiis, qui receperunt fratres venientes ad capitulum generale, et hiis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, et hiis, qui cum nostri ordinis habitu sunt sepulti, quilibet sacerdos duas missas.

Item. Pro bono statu ordinis nostri quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro reverendissimo patre domino domino Iohanne de Molendino (1), olim cardinali, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo patre domino Cessarauguste, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino Matheo (2), olim cardinali, quilibet sacerdos unam miss.

Pro domino infante Petro Berengario ix° comite Empuriarum, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimis patribus dominis Aquensi et domino Nicholao olim cardinali Aragonie (3) quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobilibus Guilaberto de Scintillis et Petro de Cardona, quilibet sacerdos unam missam.

Pro quibusdam personis, quas intendit prior provincialis Tholosanus, quilibet sacerdos unam missam.

Letanie et salve regina more solito dicantur.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus post duos annos immediate sequentes, in conventu Tholosano de provincia Tholosana.

Reverendo autem magistro ordinis, ne propter diuturnitatem temporis religio aliquod paciatur detrimentum, imponimus et mandamus, quatenus, si querelam seu querelas medio tempore audiverit de aliquibus provinciis aut prioribus provincialibus quibuscumque, quam cicius poterit, per se vel per suos vicarios studeat modis omnibus, prout tenetur ex sui debito officii reformare et corrigere tam in capitibus quam in membris.

Volumus autem et ordinamus, quod diffinitores [qui] in sequenti capitulo generali habebunt diffinire, locum intrent circa dominicam infra octavam ascensionis domini. Nullus autem frater ad dictum capitulum accedat sine reverendi patris magistri ordinis licencia speciali, nisi vocem habeat in capitulo, nec locum intret nisi ante sextam feriam pentecostes

---

(1) Ioannes de Molendino tit. s. Sabinae obiit Avinione 23 Febr. 1353; cf. EUBEL l. c. pag. 18; DENIFLE *Chartularium* II indicem; SSOP. I, 627.

(2) De Matthaeo de Ursinis O. Praed., cf. supra pag. 276 l. 20.

(3) Nicolao Roselli, † Maioricis 28 Martii 1362; cf. EUBEL l. c. pag. 19 et supra pag. 335 l. 5.

immediate precedentem. Quicumque vero contrarium fecerit, sit ipso facto voce privatus et penam culpe gravis facere teneatur.

Expliciunt acta capituli generalis Valencie de provincia Aragonie celebrati anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS TOLOSAE CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°·CCC°·LXXII°·

Declaramus, quod ad benedictionem lectionis tantum debet inclinare frater, qui dicturus est lectionem.

In diffinitorio capituli generalis Tholose celebrati sub magistro ordinis fratre H[elia] anno domini ·m°·ccc°·lxxii°·

Assignamus (1) ad legendum sententias Parisius frat. Simonem Vardeli (2) de provincia Francie. Pro anno vero secundo frat. Iohannem Castellanum de provincia Hispanie. Item pro anno tertio frat. Bonetum Litelli de provincia Francie. Item ad legendum ibidem bibliam immediate post primum, qui iam legit, frat. Iohannem Balbi[ni] de provincia Francie.

EX ACTIS CAPITULI GENERALIS FLORENTIAE CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°·CCC°·LXXIV°·

Constitucio nova de capitulo generali biennali vel triennali facta in capitulo Florentino auctoritate domini Gregorii pape ·xi· (3).

Quia magister ordinis et eius vices gerentes et diffinitores capituli generalis sicut possunt ex causa legitima quoad locum mutare capitulum generale, ita eciam quoad tempus prolongando vel accelerando ita quod acceleracio non possit fieri infra annum consignati capituli nec prolongacio eiusdem ultra triennium, nisi vacacio fieri magistri in festo contingeret vel post festum sancti Michaelis in tercio anno vel in primo triennali capitulo vel in secundo biennali, prout inferius expressatur; auctoritatem autem accelerandi vel prolongandi capitulum cuicumque vicario concedi posse simpliciter prohibemus, adiicientes quod quandocumque imminente biennali capitulo magistro ordinem carere contigerit nulla mutacio quoad tempus fieri possit nisi magistri vacacio contingat in

---

(1) Quae assignationes desumptae sunt ex DENIFLE *Chartularium*, III, 206; cf. notas ibid. appositas.

(2) De fr. Simone Vardeli seu Bardelli cf. supra pag. 417 l. 13.

(3) Quae constitutio in linguam Gallicam translata invenitur in cod. ms. n. 32 pag. 368 sqq. bibliothecae publicae Autisiodorensis (Auxerre).

festo vel post festum sancti Michaelis in secundo anno, quia tunc supersederi debet a capitulo generali illo anno. Si vero anno primo imminentis triennalis capituli ordo magistro caruerit, tunc accelerabitur capitulum, ita quod inter vacacionem magistri et capitulum electionis nisi unum festum pentecostes intervenire non possit, alias si post primum computandum a vigilia penthecostes exclusive magisterium vacare contingat, nulla capituli mutacio quoad tempus tantum fiat, nisi contigerit uno anno in festo vel post festum beati Michaelis; quare tunc eciam supersederi debet a capitulo generali, ut expressum est, de capitulo biennali. Imminente autem biennali vel triennali capitulo non eligatur diffinitor capituli generalis nec eius socius assignetur nisi in anno ultimo, quo scilicet celebrandum est capitulum generale. Et qui una vice electus fuerit ad predictam diffinicionem ad eandem eligi immediate sequenti vice non possit. Singulis annis nichilominus post festum penthecostes fiant capitula procincialia et scruptinia de provincialibus defferenda (!) per diffinitores vel socios eorum aut per socium provincialis in anno provincialium ad capitulum generale, qui diffinitor[es] duabus vicibus et provinciales tercia vice omnia diffinient, constituent et tractabunt. Insuper obitus fratrum defunctorum post precedens capitulum recitetur, ut fiat pro eis communis absolucio, ut est moris.

In capitulo Florentino anno domini ·m°·ccc°·lxxiiii°·

Hec constitucio fuit facta auctoritate pape Gregorii XI. in uno solo capitulo tantum et debet in fine constitucionum poni.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS APUD BITURICUM CELEBRATI ANNO DOMINI ·M°·CCC°·LXXVI°·

Iste sunt approbaciones.

Approbamus hanc: quod insula Sicilie et nacio Hibernie pro provinciis habeantur cum iuribus aliarum provinciarum, et sic vocate in suis locis debitis post alias provincias in nostris constitucionibus adnotentur. Quarum prima scilicet insula Sicilie cum suo vicario usque ad sequens generale capitulum maneat independens; secunda vero videlicet nacio Hibernie usque ad sequens generale capitulum sub regimine provincialis Anglie perseveret.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc, quod in constitucionibus per dominum papam Iohannem confirmatis, ubi de predicatoribus generalibus agitur, post il-

lud, quod in fine illius clausule dicitur: non possunt etc., addatur: et si oppositum fuerit attemptatum, totum sit irritum et inane.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus, quod socii magistrorum et baccalaureorum Parisiensium non debent gaudere privilegiis studencium, nisi iudicio suorum provincialium ad hoc de facto declarati fuerint in sciencia et moribus sufficientes.

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos priores conventuales: Brugensem, Gracianopolitanum, Fortonensem (1), Blesensem, Carnotensem, Gandensem et sancti Johannis. Et volumus et ordinamus, quod priores in istis actis absoluti et alii eciam, qui per litteras absolventur, ad eadem officia in eisdem conventibus isto anno nullatenus assumantur sive eciam eligantur.

Iste sunt ordinaciones et admoniciones.

Inprimis cum propter ignoranciam eorum, que agenda sunt, plures in devium prolabantur, volumus et ordinamus, quod de cetero acta capitulorum generalium ab ipsis capitulis generalibus per provinciales in anno provincialium et per diffinitores in anno diffinitorum, ac eciam per socios eorumdem portentur ad suas provincias scripta in pergamenis et de bona littera sub sigillo magistri ordinis reverendi; acta vero capitulorum tam generalium quam provincialium de ipsis capitulis provincialibus per socios priorum conventualium ad suos conventus cum sigillis priorum provincialium modo consimili deferantur. Quibus provincialibus, diffinitoribus ac sociis mandamus in virtute sancte obediencie, quatenus loca dictorum capitulorum non exeant sine ipsis actis modo predicto completis correctisque ac eciam sigillatis. Imponentes omnibus prioribus conventualibus ac eorum loca tenentibus sub pena absolucionis, quatenus ordinaciones, precepta et denunciaciones dictorum capitulorum semel in mense legi faciant fratribus omnibus congregatis in capitulo vel in mensa. Si quis autem frater tunc absens fuerit, ille infra idem tempus, postquam presens fuerit in conventu eadem teneatur legere vel coram se legi facere intelligibiliter et complete; et modo consimili volumus et mandamus, quod quilibet frater ordinis legat vel audiat omnes constituciones nostras ad minus quolibet anno semel. Adiicientes et presidentibus conventuum universis districtius imponentes, quatenus predicta acta capitulorum generalium et provincialium in bibliotheca communi firma sub clausura per fratrem aliquem ad hoc specialiter deputatum custodire faciant sollicite, taliter quod futuris temporibus ibidem valeant reperiri.

---

(1) « Fortonensem » legendum esse arbitror « Fontiniacensem » cf. SSOP. I, pag. VI, n. III.

Item. Ne bona communia indebite distrahantur, sed melius solito conserventur, volumus et ordinamus, quod anniversaria et libri in conventibus minime duplicati, maxime sumptuosi, necnon quecumque alie elemosine perpetue seu quevis alia bona conventuum immobilia, precium decem florenorum coniunctim vel divisim valencia, nullatenus vendantur, seu quovis modo alienentur per quemcumque aut permutentur seu eciam transferantur, nisi de licencia reverendi patris magistri ordinis aut priorum provincialium seu vicariorum generalium eorumdem, que non concedatur nisi ex causa multum racionabili et urgente, interveniente nichilominus ad hoc expresso consensu tocius conventus vel maioris partis ipsius, sine dolo et fraude capitulariter congregati. Quod si oppositum factum fuerit per quemcumque, totum sit irritum et inane. Adiicientes, quod de cetero in omnibus et singulis procuratoriis vel sindacatibus conventuum quorumcumque, in quibus dabatur protestas vendendi vel alienandi aliqua bona immobilia seu elcemosinas perpetuas, addatur semper ista clausula: Dum tamen ad hoc interveniat specialis assensus sive licencia reverendi patris magistri ordinis aut prioris provincialis vel vicarii generalis alterius eorumdem. Omnes autem et singulos presidentes et fratres ceteros oppositum facientes alicuius premissorum ad restitucionem bonorum huiusmodi simpliciter obligamus. Quod si facere non potuerint, pene subiaceant culpe gravioris.

Item. Mandamus sub pena absolucionis presidentibus conventuum universis, quatenus infra duos menses a noticia presencium de bonis suarum communitatum faciant pro quolibet officio inventaria duplicata, quorum unum apud fratrem, qui exercebit officium rerum in inventario contentarum, et aliud in communi conventus deposito teneatur; qui vero in hoc reperti fuerint negligentes, in penam indilate a suis officiis absolvantur.

Item. Volumus et ordinamus, quod quilibet frater iuvenis non competenter sciens scribere et cantare, cogatur addiscere ad cantandum et scribendum per abstinenciam in pane et aqua et per privacionem graciarum ordinis. Novicii vero et primi noviter professi extra conventum, quanto rarius fieri potest, licencientur, et non sine causa multum racionabili et urgente.

Item. Volumus et districte imponimus fratribus nostri ordinis universis, quatenus in suis sermonibus et colloquiis inducant populum verbo, opere et exemplo ad bonam observanciam sancte matris ecclesie, faventes negociis et personis ipsius, tam publice quam secrete, quantum potuerint bono modo. Omnem autem fratrem implicite vel explicite pro negociis sancte Romane ecclesie odiosam ambasciatam facientem, ipso facto carceri formaliter condempnamus.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie, quod nullus frater procuret sibi vel alteri lecturam sentenciarum per se vel per alium seu per alias personas interpositas extra nostri ordinis obedienciam constitutas, nec legat ipsas sentencias in aliqua universitate, nisi ubi fuerit assignatus, et in loco sibi deputato per generale capitulum vel de licencia magistri ordinis speciali. Quicumque autem frater contrarium fecerit, sentenciam excommunicacionis incurrit ipso facto, quam reverendus pater magister ordinis tulit iuridice in diffinitorio coram nobis de omnium nostrum consilio pariter et assensu.

Quod si qualitercumque contigerit, fratrem aliquem lecturam sentenciarum in studio alicuius universitatis per graciam impetrare, volumus, quod conventus illius universitatis, ubi habebit legere, tali fratri teneatur ad aliquod subsidium temporale, nisi solvat contribucionem studencium ibidem solvi consuetam; et rogamus magistrum ordinis reverendum, quatenus de cetero cum nullo dispenset in casu antedicto.

Item. Mandamus districte prioribus provincialibus universis, quatenus quamcicius commode potuerint, mittant procuratori ordinis in Romana curia defectus fratrum apostatarum et apostatancium fautorum, ut sic ipse per eosdem informatus debite procedere valeat pro honestate et utilitate ordinis contra huiusmodi insolentes.

Item. Mandamus districte presidentibus conventuum universis, quatenus omnes fratres fugitivos et solos sine socio ordinis incedentes, ad ipsos quoque sine litteris testimonialibus declinantes, detineant et includant ac penis debitis macerent, donec prior provincialis, in cuius provincia reperti fuerint, cum deliberato consilio, si sibi expediens videatur, mandaverit liberari.

Item. Mandamus districte presidentibus conventuum universis, quatenus infra unum annum corrigant cum omni diligencia vel corrigi faciant missalia et constituciones suorum conventuum, alias in sequenti provinciali capitulo in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Mandamus sub precepto sancte obediencie fratribus nostri ordinis universis, quatenus nullus eorum cuiuscumque status, gradus aut condicionis existat, audeat comedere in prandio vel in cena ordinariis extra eorum loca ordinaria, nisi esset notabiliter debilis vel infirmus; nec aliquis frater habeat in aliquo conventu nisi unam cellam seu cameram sibi appropriatam; et si oppositum factum fuerit per quemcumque, totum id simpliciter revocamus.

Item. Volumus et ordinamus, quod quicumque frater repertus fuerit iudicio eius, ad quem spectat, sine causa racionabili a quocumque suo superiore appellasse, carcerali custodie mancipetur.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie singulis provincialibus,

quatenus novum officium de translacione sacrosancti corporis beati Thome ipsis provincialibus per reverendum magistrum ordinis traditum seu missum faciant in singulis conventibus suarum provinciarum infra annum ad tardius adnotari.

Item. Volumus et ordinamus, quod inquisitores omnes nostri ordinis morentur in locis principalibus suarum inquisicionum et ibidem diligenter suum exerceant officium, alias per suos provinciales indilate a suis officiis absolvantur; significantes fratribus universis, quod de notabili negligencia inquisitorum nostri ordinis gravis querela pervenit ad aures domini nostri pape.

Item. Ad nostre religionis conservacionem precipimus in virtute sancte obediencie fratribus et maxime presidentibus conventuum nostri ordinis universis, quatenus ad recepcionem noviciorum dent per omnia operam efficacem, et receptos informare vel informari facere studeant in vita, moribus et doctrina, secundum graciam a domino sibi datam.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam, vel obedienciam sibi vel alteri iniunctam per quamcumque personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam quocumque modo revocari procuret vel in aliqua provincia seu conventu aut aliquo officio seu studio generali assignari vel remanere aut amoveri; nec in arte alchimie quomodolibet operari presumat seu eciam operari facere; nec vadat ad Romanam curiam sine licencia magistri ordinis speciali, aut in ea solus sine socio fratre ordinis discurrat nec ibidem absque scitu et beneplacito procuratoris ordinis negocium quodcumque alicuius ponderis pertractet, seu ibidem remanere presumat ultra terminum sibi assignatum.

Item. Mandamus, quod nullus frater presumat dicere suo prelato cuicumque, quod non sit prelatus seu prior, sic quod propter hoc ab obediencia ipsius se subtrahat quovis modo, donec per superiorem, ad quem pertinet, fuerit declaratum. Quicumque vero oppositum fecerit alicuius predictorum, sentenciam excommunicacionis incurrit ipso facto, quam reverendus pater magister ordinis tulit iuridice et in scriptis de omnium nostrum beneplacito et assensu. Concedimus tamen prioribus provincialibus, quatenus quilibet eorum, dum necessarium fuerit, mittere valeat ad dictam Romanam curiam duos fratres pro negociis suarum provinciarum. Ab hoc tamen eximimus fratres illius provincie, ubi pro tempore Romana curia residebit, qui possint ire ad curiam de sui provincialis licencia petita pariter et obtenta.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater, cuiuscumque condicionis existat, presumat de cetero iurare alteri cuicumque, quod pro ipso faciat in aliqua electione; quod si oppositum attemptatum fuerit

per quemcumque, tale iuramentum cassum esse volumus et carere omni roboris firmitate, et omnes similiter huiusmodi iuramentum facientes ex nunc pro tunc simpliciter omni voce privamus.

Item. In virtute sancte obediencie precipimus fratribus universis et singulis 'ad legendum sentencias in theologia assignatis et in posterum assignandis, quatenus de cetero non presumant transire ad magisterium in theologia, quousque officium magistri studencium tenuerint et realiter executi fuerint per unum annum ad minus pro toto tempore lectionum, nisi a reverendo patre magistro ordinis vel provinciali super hoc licenciam habuerint specialem. Et modo consimili precipimus magistris in theologia quibuscumque, ne ad hoc ipsos vel eorum aliquem presentent ullo modo. Quicumque autem oppositum attentare presumpserit, preter penam transgressoribus precepti debitam regencia ordinaria scholarum dicti conventus simpliciter sit privatus, nec volumus, quod frater huiusmodi qualitercumque ad huiusmodi regenciam admittatur, statutis et ordinacionibus quorumcumque ordinis presidencium non obstantibus quibuscumque. Hanc autem ordinacionem volumus habere vim declaracionis, et 'fratres omnes et singulos, quos tangit vel tangere potest, statim, dum ad eorum noticiam pervenerit, ad eam simpliciter obligari.

Item. Inhibemus districte prioribus provincialibus, quatenus de cetero non instituant quoscumque vicarios in contratis, nacionibus seu eciam conventibus quibuscumque sine causis urgentibus et valde necessariis, provinciis Theutonie, Anglie et Hungarie duntaxat exceptis; quod si oppositum factum fuerit per quemcumque, totum id decernimus fore irritum et inane.

Item. Sub precepto sancte obediencie prohibemus, ne frater aliquis infamet fratrem quemvis alium nostri ordinis apud personam vel personas quascumque extra obedienciam nostri ordinis constitutas, seu aliis ad extra revelet secreta ordinis vel facta, ex quibus possit turbari ordo noster vel frater aliquis seu [ordo] infamari; denunciantes fratrem omnem, qui ex nunc contrafecerit, incidisse in sentenciam excommunicacionis, quam magister reverendus tulit canonice in diffinitorio de omnium nostrum consilio et assensu. Et quia contra fratrem Egidium de Ianua magistrum nobis fuit processus exhibitus, quo de huiusmodi et aliis multum et graviter notabatur, quem punire non debuimus inauditum, ideo provinciali Lombardie superioris mandamus, quatenus eumdem fratrem de predictis audiat et causam attente discuciat; qua diligenter examinata, facere non negligat iusticie complementum.

Quascumque autem gracias exemptorias et concessiones camerarum quarumcumque extra commune dormitorium, confirmaciones quoque huiusmodi concessionum factas seu concessas quibuscumque fratribus nostri

ordinis sub quavis forma verborum per quoscumque nostri ordinis presidentes, tenore presencium simpliciter revocamus, exceptis duntaxat graciis de cameris factis magistris et baccalariis in theologia, et concessionibus camerarum factis illis fratribus, qui eas construi fecerunt propriis sumptibus et expensis. Et idem dicimus de concessionibus camerarum quarumcumque extra vel intra commune dormitorium existencium factis quibuscumque fratribus, sive sint magistri sive non, que magistro ordinis vel prioribus provincialibus aut usui fratrum hospitum vel infirmorum retroactis temporibus fuerunt applicate.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno presenti fratrem Iohannem de Castro Theodorici (1) de provincia Francie, cui substituimus fratrem Iohannem Balbini (2) de eadem provincia. Et quantum nostra interest, pro primo anno extraneis debito post illum, qui nunc legit, assignamus ad legendum sentencias ibidem fratrem Gerardum de Burens de provincia Saxonie. Pro secundo vero similiter extraneis debito assignamus ibidem ad legendum sentencias fratrem Godfridum Iisproletri (!) de provincia Theutonie. Pro tercio vero modo consimili extraneis debito, quantum nostra interest, assignamus ibidem ad legendum sentencias fratrem Arnulfum de Lasteria (3) de provincia Tholosana, et in casu, quo aliquem de duobus predictis in primo loco assignatis contingeret impediri, eidem substituimus pro eodem anno prefatum fratrem Arnulfum, quem eciam de presenti pro studente honoris ibidem assignamus cum graciis et privilegiis baccalaureis ibidem fieri consuetis. Ad legendum bibliam post illum, qui nunc actu legit, assignamus fratrem Guilielmum de Roseriis (4) de provincia Francie.

In Oxonia ad legendum sentencias pro anno septuagesimo sexto assignamus fratrem Vincencium de Ulysbona provincie Hispanie. Pro secundo cursu extraneis debito assignamus ibidem ad legendum sentencias, quantum nostra interest, fratrem Iohannem de Berberano (5) de provincia Aragonie; pro duobus vero annis intermediis committimus provinciali Anglie et suo provinciali capitulo, quod de lectoribus sentenciarum provideant de fratribus intraneis, prout discrecioni eorum visum fuerit expedire.

In Cantabrigia assignamus ad legendum sentencias pro anno presenti, scilicet septuagesimo sexto fratrem G. Cambri (6) de provincia Anglie.

(1) De fr. Ioanne de Castro Theodorici cf. Denifle l. c. pag. 229.
(2) De fr. Ioanne Balbini cf. supra pag. 426 l. 15.
(3) De fr. Arnulfo de Lasteria cf. Denifle l. c.
(4) De fr. Guilelmo de Roseriis cf. Denifle l. c.
(5) De fr. Ioanne de Berberano vel Barbarano cf. MOPH. VII, pag. 57.
(6) De fr. Cambri cf. SSOP. I, 901.

Pro secundo cursu, fratrem G. Dobanii de eadem provincia. Pro primo vero cursu extraneis debito, quantum nostra interest, assignamus ibidem ad legendum sentencias fratrem Antonium Hostergerii de provincia Lombardie superioris.

Declaramus autem, quod forma exponendi ad magisterium in universitatibus Oxonie et Cantabrigie alias observata per provinciam Anglie non preiudicat in aliquo potestati seu auctoritati reverendi patris magistri ordinis aut capitulorum generalium, quin videlicet ipsi possint in dictis universitatibus fratres intraneos ad magisterium exponere, sicut in aliis universitatibus est fieri consuetum; quam formam in favorem dicte provincie pronunciamus in suis terminis remanere, hoc addito, quod nulla visitacio dicte provincie possit de cetero pro anno sibi debito exponere preter unum fratrem, nisi in casu, quo illum expositum contigerit legitime impediri, et si oppositum factum fuerit, totum sit irritum et inane.

Item. Denunciamus fratribus universis ad legendum sentencias in universitatibus Oxonie vel Cantabrigie iam assignatis et aliis eciam in posterum assignandis, quod de forma seu statuto dictarum universitatum est, ut quicumque habet ibidem legere sentencias, opponat per unum annum, antequam intret ad ipsam lecturam.

Quare mandamus eisdem fratribus, quod taliter de suis disponant negociis, quod non faciant defectum de dicta opposicione, alias cursu sibi debito in dictis universitatibus seu aliqua earumdem ipso facto erunt privati; et in hoc casu, committimus provinciali Anglie, quatenus de fratribus sue provincie ad hoc dispositis provideat, qui opponere et legere habeant loco predictorum, omni dolo et fraude postpositis et semotis.

In Tholosa ad legendum sentencias pro anno septuagesimo sexto assignamus fratrem Iacobum de Scrampis de provincia Tholosana. Pro alio anno immediate sequenti assignamus ibidem ad legendum sentencias fratrem Heliam Bruni de eadem provincia. Pro tercio vero anno, fratrem Arnaldum Berengarii de eadem provincia. Pro quarto vero anno, qui erit extraneorum, quantum nostra interest, assignamus ibidem ad legendum sentencias fratrem Simonem de Saltarellis (1) de provincia Romana, quem eciam in casu, quo aliquem predictorum contingeret impediri, eidem substituimus. Ad legendum bibliam ibidem pro anno presenti fratrem Arnaldum Berengarii. Pro duobus vero annis immediate sequentibus assignamus ibidem ad legendum bibliam fratrem Hugonem de Columbario, quem eciam ibidem de presenti assignamus pro studente honoris cum graciis et privilegiis huiusmodi studentibus ibidem fieri consuetis.

(1) De fr. Simone de Saltarellis cf. SSOP. I, 611.

Pro magistro studencium assignamus ibidem pro anno presenti fratrem Heliam Bruni de provincia Tholosana.

In Bononia assignamus pro lectore principali fratrem Petrum de Marca de provincia Tholosana, magistrum, et in casu, quo ipsum contigerit impediri, committimus provinciali Lombardie inferioris, quatenus tam de lectore principali quam de aliis lectoribus ibidem provideat, prout sue discrecioni visum fuerit expedire. Eidem insuper committimus, quatenus studium generale sue provincie possit, si sibi expediens videatur, mutare ubicumque et quandocumque sibi videbitur de loco ad locum et de lectoribus, ut premittitur, providere.

In conventu Coloniensi assignamus pro lectore principali fratrem Ulricum Teobaldi. Ad legendum sentencias ibidem fratrem Gotz de Melde. Pro magistro studencium fratrem Iohannem de Pergis.

In conventu Neapolitano assignamus pro lectore principali fratrem Nicolaum de Troia, magistrum (1). Ad legendum sentencias ibidem pro anno presenti fratrem Antonium Donade de Aversa. Pro anno secundo fratrem Dominicum de Afragela. Pro magistro studencium ibidem pro anno presenti fratrem Antonium de Catheniano. Pro anno secundo fratrem Ludovicum de Ianuario.

In conventu Montispessulani assignamus pro lectore principali fratrem Petrum Borroni (2) magistrum. Pro anno immediate sequenti fratrem Raymundum Boqui. Ad legendum sentencias ibidem fratrem D. Ianuarii. Pro anno immediate sequenti fratrem Arnaldum Reparati. Ad legendum bibliam ibidem pro anno presenti fratrem Guilliermum Berengarii; pro duobus annis immediate sequentibus fratrem Iohannem Alberti. Pro magistro studencium ibidem pro anno presenti fratrem Iohannem Hebrardi. Pro secundo anno fratrem Bernardum Pagesi, quem eciam substituimus pro anno presenti prefato fratri Petro, in casu quo ipsum contigerit impediri.

In conventu Mediolani assignamus pro lectore principali fratrem Antonium Hostergerii (3). Ad legendum sentencias ibidem pro anno presenti fratrem Iacobum Santum; pro anno sequenti prior provincialis providebit.

In conventu Barcinonensi assignamus pro lectore principali pro anno presenti fratrem Raymundum de Olivariis. Pro anno immediate sequenti fratrem Bartholomeum Gazoni (4). Ad legendum sentencias ibidem pro

(1) De fr. Nicolao de Troia cf. SSOP. I, 702; MOPH. VII, pag. 62.
(2) De fr. Petro Borroni cf. ibid. pag. 59.
(3) De fr. Antonio Hostergerii cf. supra pag. 434 l. 3.
(4) De fr. Bartholomaeo Gazoni cf. MOPH. VII, pag. 61.

primo anno fratrem Dominicum Serrati (1). Pro secundo anno fratrem Petrum Thostala. Ad legendum bibliam ibidem assignamus fratrem Raymundum Romey. De magistro studencium provincialis Aragonie providebit.

In conventu Avinionensi assignamus pro lectore principali fratrem Michaelem Perdigacii (2), magistrum, cui substituimus fratrem Iacobum Vincencii, magistrum.

In conventu Burdigalensi assignamus pro lectore principali fratrem Stephanum de Cumba, magistrum.

In conventu Veneciano assignamus pro lectore principali fratrem Iohannem de sancto Thoma (3).

Ordinacionem autem omnium studiorum generalium committimus reverendissimo patri magistro ordinis, ut ipse de lectoribus, baccalareis, biblicis et magistris studencium provideat, prout honestati et honori ordinis sibi visum fuerit expedire. Committimus insuper eidem magistro reverendo, quatenus provinciis Grecie et Terre sancte, quocienscumque et quocumque casu ipsas vel earum aliquam contigerit priore provinciali carere, usque ad immediate sequens capitulum generale dictis provinciis et earum cuilibet de provincialibus providere valeat semper, quod sibi videbitur expedire.

Ordinacionem studii Magderburgensis committimus provinciali provincie Saxonie.

Letania et salve regina more solito dicantur; et nichilominus post omnes horas dicatur oracio pro domino nostro papa cum versiculo, prout est moris.

Concedimus cuilibet provinciali nostri ordinis, quatenus in sua provincia possit recipere duas domos seu duos conventus, interveniente tamen ad hoc primitus licencia et beneplacito domini nostri pape.

Iste sunt penitencie.

Cum fratres conventus Constanciensis de provincia Theutonie multas personas nobilis condicionis tam seculares quam regulares plurimum scandalizaverint, et in ipso scandalo suo provinciali notabilem irreverenciam fecerint, idcirco eidem provinciali et diffinitoribus provincialis capituli in prefata provincia proxime celebrandi precipimus et precipiendo committimus, quatenus in eodem provinciali capitulo vel prius de predicto scandalo commisso, ut premittitur, quantum potuerint, se infor-

---

(1) De fr. Dominico Serrati cf. ibid. pag. 55.

(2) De fr. Michaele Perdigacii cf. Denifle l. c. n. 1295.

(3) Estne idem ac Johannes Thomae, de quo Denifle l. c. indice? Ratio temporum quidem congrueret.

ment, et habita sufficienti informatione dictos fratres puniant, prout ratio suadebit. Fratribus autem A. de Vila et Hermanno de Clidiberc (!) dicti conventus Constanciensis, quos specialiter auctoritate presencium citamus ad dictum capitulum, in virtute sancte obediencie precipimus, quatenus ad dictum capitulum veniant et compareant coram prefatis provinciali et diffinitoribus ad quesita et proposita responsuri.

Item. Cum socius conventus Atrebatensis non apportaverit nec miserit scrutinium prioris sui, et capitulum idcirco expensis ei debitis (!) pro via capituli, ipsum privamus simpliciter et ex toto [graciis ordinis].

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo in Christo patre ac domino domino nostro summo pontifice quilibet sacerdos ·iv· missas. Et volumus et ordinamus, quod in quolibet conventu qualibet septimana scribatur unus hebdomadarius, qui celebret continue pro bono statu ipsius ac tocius ecclesie sancte dei.

Item. Quod quilibet frater celebrans missam privatam dicat in eadem oracionem: « deus omnium » vel: « deus, a quo sancta desideria », nisi fuerit missa defunctorum.

Item. Pro reverendissimo in Christo patre ac domino domino cardinali de Agrifolio (1), prestantissimo ac fidelissimo nostri ordinis procuratore, quilibet sacerdos ·ii· missas.

Item. Pro reverendissimis in Christo patribus ac dominis dominis Ostiensi (2), Albanensi (3), Gebennensi (4), Morinensi (5), Narbonensi (6), Aragonensi (7), Ambianensi (8), totoque collegio dignissimo dominorum cardinalium quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro reverendis in Christo patribus, dominis episcopis Cameracensi, Antisiodorensi, Aniciensi, Parisiensi, Morinensi, abbatibusque Donetensi, sancti Satyri, Plenipodii, sancte Genovefe et Venetensi quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino archiepiscopo Bituricensi quil. sacerdos ·i· miss.

---

(1) De quo supra pag. 422 l. 25.

(2) Petro de Stagno (d'Estaing) O. S. B.; aep. Bituricen., prom. 7 Iunii 1370 tit. s. Mariae in Transtiberim, (28 Sept. 1373) ep. Ostien.; † Romae 25 Nov. 1377. Cf. Eubel l. c. pag. 20.

(3) De quo supra pag. 422 l. 24.

(4) Roberto de Gebennis, ep. Cameracen., prom. 30 Maii 1371, bas. XII. apost., futuro in sua obed. Clemente p. VII.; Eubel l. c. p. 21.

(5) De quo supra pag. 422 not. 3.

(6) De quo supra pag. 423 not. 11.

(7) Petro de Luna, prom. 20 Dec. 1375, diac. s. Mariae in Cosmedin, postea papa Bened. XIII.; Eubel l. c. pag. 21.

(8) Joanne de Grangia (de la Grange), prom. 20 Dec. 1375, tit. s. Marcelli, postea (1379) ep. Tusculan. † Avinione 14 al. 24 Apr. 1402; Eubel l. c.

Item. Pro reverendis in Christo patribus et dominis dominis archiepiscopis Lugdunensi, Rhemensi, Rothomagensi, Senonensi, Turonensi, Bisuntinensi, et dominis episcopis Nannetensi (1), Sylvanectensi, Terracinensi (2), Sagiensi (3), Capritano (4) et Betlemitano (5) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro reverendis patribus magistro ordinis ac diffinitoribus presentis capituli et pro quibus intendunt, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro reverendo patre magistro sacri palacii (6) quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro religiosissimis sororibus ordinis nostri, sorore Maria de Borbonio, domina priorissa de Piciaco, priorissa Pruliani, priorissa Valencianensi, ceterisque sororibus ordinis nostri et fratribus conventus Bituricensis quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro illustrissimis principe domino rege Francie et domina consorte sua ac nobili serenissima prole eorumdem quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro nobilissimo principe domino duce Biturice, qui ordinem nostrum et fratres in isto capitulo solemniter festivavit, quilibet sacerdos ·iii· missas.

Significamus autem fratribus universis, quod reverendus pater magister ordinis et venerabiles provinciales diffinitores presentis capituli, attendentes ad ferventissimam affectionem, quam illustris princeps et dominus dux Biturice habet ad nostrum ordinem et ostendit in presenti capitulo, et alias per effectum multipliciter se habere monstravit, concesserunt ac eciam tenore presencium concedunt, quatenus pro ipso, dum ex hac luce migraverit, fiant per totum ordinem suffragia omnia et singula, que pro magistro ordinis in ipso ordine iuxta nostrarum constitucionum sunt fieri consueta.

Item. Pro nobilissima domina domina ducissa Biturice consorte prefati domini quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro dilectissimo domino Karulo, domini prefati ducis primogenito et domina consorte eius ceterisque liberis eius, quilibet sacerdos ·i· missam.

---

(1) Simone de Lingonis olim mag. gen. Ordinis; EUBEL l. c. p. 372 et supra p. 281 l. 31.

(2) Stephano Armandi O. Praed.; cf. EUBEL l. c. p. 504.

(3) Guilelmo de Rancia (Rances) O. Praed.; l. c. p. 450.

(4) Guilelmo de Sarciando O. Praed.; l. c. p. 169.

(5) Ademaro de Rupe (de la Roche) O. Praed.; l. c. p. 138.

(6) Nicolao de S. Saturnino, de quo supra pag. 400 l. 26.

Item. Pro clarissimis principibus et dominis dominis ducibus Andegavie, Burgundie, dominis fratribus domini regis Francie ac nobilissimis consortibus eorumdem ac liberis et domino duce Borbonii, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro nobilibus principibus ac dominis regibus, domino imperatore, regibus Castelle, Anglie, Aragonie, Hungarie, Cypri, ac domino inclito duce primogenito Aragonie et domina eius consorte, ac dominis comitibus Flandrie, Armaniaci, Fuxi, Bolonie et domino connestabili Francie, domino mareschallo de sancto Cesare, ac nobilibus consortibus ac liberis eorumdem, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro nobilissima domina domina comitissa de Alenconio nobilique prole sua quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro nobilibus dominis domino de Iuliaco et domina de Revello ac nobili prole eorumdem, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro nobilibus dominis domino comite de sancto Cesare ac domina comitissa Vindoniensi antiquiore, nobili comite Empuriarum, eius consorte ac liberis eorumdem, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino cancellario Biturice ac reverendo patre fr. Iohanne Rocelii, confessore domini ducis Biturice, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Iacobo Crocelli, domina consorte sua et liberis eorumdem bonoque statu civitatis Bituricensis necnon et omnibus confratribus de confratria sancte Catharine in Bituricensi conventu, et Gambaro Galhardi sive Bisunctio, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro fratribus ac sororibus nostri ordinis et fratribus minoribus, illisque, qui fratres ad hoc generale capitulum venientes gratis receperunt et recipient redeuntes ac illis, qui pias eleemosynas ad capitulum miserunt aut mittent in posterum, una cum illis, qui litteras habent de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos ·i· missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro sanctissimis in Christo patribus ac dominis dominis nostris pontificibus Benedicto et Innocencio, de nostro ordine assumptis, Iohanne, Clemente, Innocencio, Urbano ac reverendissimis patribus dominis cardinalibus assumptis de ordine, universisque cardinalibus, singulariter ad nostrum ordinem affectis, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Guillielmo Ostiensi (1) cardinali de nostro ordine assumpto, quilibet sacerdos ·iii· missas.

Item. Pro reverendissimo in Christo patre ac domino domino Carolo, Lugdunensi archiepiscopo, quilibet sacerdos ·iii· missas de requiem,

(1) Guilelmo Sudre, de quo supra pag. 422 not. 1.

quas reverendus pater magister ordinis singulis fratribus imponit et pre ceteris missis impositis vult dici.

Item. Pro inclita domina regina Aragonie et domina comitissa Empuriarum quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro reverendo patre Guillielmo (1) nostri ordinis sacri palacii [magistro], quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro religiosa sorore Alexia, olim priorissa Piciaci, necnon et reverendissimis patribus Hugone (2), Petro (3), Garino (4) eiusdem ordinis nostri magistris, Guillielmo de Castro Reginaldi (5) magistro et Bartholomeo de Ansiaco (6), eiusdem ordinis provincialibus Francie, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro fratribus et sororibus nostri ordinis defunctis, pro illis, pro quibus eleemosyne ad presens capitulum sunt transmisse, pro illis, qui litteras de beneficiis ordinis habuerunt, pro confratribus defunctis et confratria beate Catharine prefata, quilibet sacerdos ·i· missam.

Item. Pro domino Iohanne de Montepedone camerario eiusdem nonobilissimi principis prefati domini ducis Bituricе, quil. sacerdos ·i· mis.

Pro qualibet missa superius nominata quilibet clericus non sacerdos septem psalmos et quilibet conversus centum pater noster dicant.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens generale capitulum assignamus ad duos annos in conventu Carcassonensi de provincia Tholosana celebrandum in festo pentecostes, committentes magistro ordinis reverendo, quatenus ipsum generale capitulum de discretorum fratrum consilio possit mutare quoad locum, sicut sue discrecioni pro honestate ordinis visum fuerit expedire. Et volumus et ordinamus, quod nullus frater ad dictum capitulum sine licencia veniat, aut cum intencione veniendi suum conventum exeat; alias oppositum faciens voce simpliciter sit privatus. Diffinitores vero veniant, ut est moris.

Expliciunt acta capituli generalis loco et tempore ut superius celebrati.

Locus ✠ sigilli.

Actis additae sunt litterae magistri ordinis; cf. app. n. C.

---

(1) Guilelmo Romani; de quo SSOP. I, 644.
(2) Hugone de Vaucemain; de quo supra pag. 125 l. 13.
(3) Petro de Palma; cf. supra pag. 136 l. 31.
(4) Garino de Giaco; cf. supra pag. 283 l. 2; 307 *var.* I.
(5) De fr. Gulelmo de Castro Reginaldi; cf. supra pag. 161 l. 3.
(6) De fr. Bartholomaeo de Ansiaco; cf. supra pag. 336 l. 18.

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

HEC SUNT ACTA CAPITULI GENERALIS CELEBRATI APUD CARCASSONAM ANNO DOMINI ·M°·CCC°·LXXVIII°·

Iste sunt absoluciones.

Absolvimus hos provinciales: Lombardie inferioris, regni Sicilie, Terre sancte, Lombardie superioris, Hungarie et Tholosane, quem facimus lectorem in conventu Burdigalensi.

Absolvimus hos priores conventuales: Tholosanum, Orthesiensem, Figiacensem, Albiensem, Rutenensem, sancti Gaudencii, Limosiensem, Portus sancte Marie, Petragoricensem, Montis Albani, Morlanensem, sancti Geruncii, Mediolanensem provincie Lombardie superioris, Parisiensem, Budensem provincie Hungarie; et volumus, quod predicti priores hoc anno ad eadem officia in dictis provinciis et conventibus nullatenus assumantur.

Iste sunt inchoaciones.

Inchoamus hanc: quod provincia Dalmacie sit una provincia, et conventus Civitatensis, Utinensis et Iustinopolitanus de provincia Lombardie inferioris pertineant ad eamdem.

Item hanc: In capitulo de suffragiis mortuorum, ubi dicitur: pro fratribus et sororibus et omni, addatur sic: et pro illis, qui nobiscum cum habitu ordinis sepeliuntur.

Item hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: tres annos, dicatur: sex. Et hoc medio tempore observetur.

Item hanc: quod conventus Russie de cetero pertineant ad provinciam Polonie, quos de facto eidem provincie tenore presencium applicamus, et cure prioris provincialis Polonie submittimus; mandantes eidem, quatenus omnes ibidem existentes et ad dictam provinciam minime pertinentes ad provincias suas remittat ipsosque, prout iusticia suadebit, puniat quam cicius, si sibi non paruerint cum effectu, et specialiter Ganzellaum Stupensem, qui pro vicario ibidem se gessit, quem carcerali custodie deputet indilate.

Item hanc: quod in sabbatis in loco ultimorum versuum hymnorum, quando de beata virgine agitur, dicatur: Maria mater gracie etc., postmodum: Gloria tibi, domine, etc.

Item hanc: quod in illa inchoacione in capitulo generali Valencie facta (1), quod festivitates trium lectionum etc., addatur sic: in aliquam

(1) Cf. supra pag. 412 l. 15 sqq.

feriam sequentem eiusdem septimane vel precedentem, si sequens non fuerit, transferantur.

Iste sunt confirmaciones.

Confirmamus hanc: quod insule Sicilie et Hibernie sint provincie cum iuribus aliarum provinciarum. Et hec habet ·iii· capitula.

Iste sunt ordinaciones.

Inprimis ordinaciones immediate precedentis generalis capituli apud Bituricas celebrati, quod socii provinciarum et conventuum de cetero portent acta capitulorum generalium et provincialium scripta in bonis pergamenis, sigillo magistri ordinis vel suorum provincialium sigillata; de anniversariis et libris non duplicatis, et bonis immobilibus conventuum non vendendis, alienandis, permutandis nec transferendis, cum addicione: nec pignorandis; de procuratoriis seu syndacatibus instituendis, et sub certa forma faciendis cum addicione: quod presidentes provinciarum, qui penas ibi positas, cum eis plene constiterit, non fuerint contra delinquentes executi, a suis officiis sint absoluti; de inventariis per presidentes faciendis in singulis conventibus per singulas officinas de bonis eorumdem duplicatis cum addicione, quod nisi ea infra sex menses duplicaverint, sint ipso facto a suis officiis absoluti, cum omnibus et singulis clausulis ibidem contentis et penis appositis in eisdem totaliter innovamus (1).

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie omnibus et singulis prioribus provincialibus et conventualibus ac loca tenentibus eorumdem, quatenus omnem fratrem fugitivum ac solum sine socio nostri ordinis incedentem, nisi manifestam excusacionem habeat super incessu huiusmodi solitario, quamcicius commode poterunt, arrestent et includant ac penis debitis macerent, donec de discretorum consilio ab arresto huiusmodi mereatur liberari. Quod si in hoc reperti fuerint negligentes, in penam a suis officiis absolvantur.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie prioribus conventualibus ac eorum loca tenentibus universis, quatenus infra medium annum corrigant seu corrigi faciant integraliter et perfecte constituciones, missalia et ordinaria suorum conventuum; qui vero in hoc defecerint, sint ipso facto a suis officiis absoluti.

Item. Volumus et ordinamus, quod quicumque frater repertus fuerit iudicio eius, ad quem spectat, sine causa racionabili a quocumque suo superiore appellasse, carcerali custodie mancipetur; denunciantes fratribus universis, quod de iure communi et ex privilegio ordinis speciali a correctione et ab officiorum absolucione nulli fratri licitum est appellare.

---

(1) Cf. supra pag. 428 l. 15 sqq.

Item. Volumus et ordinamus, quod electiones sociorum priorum conventualium et electorum priorum provincialium de cetero non fiant in quacumque provincia vel conventu, nisi per mensem vel per quinque septimanas ante capitulum provinciale et electionem priorum provincialium imminentem; quod si secus actum fuerit, totum decernimus fore irritum et inane.

Item. Omnes et singulas gracias exemptorias et camerarum concessiones quarumcumque fratribus factas quavis forma verborum per quoscumque nostri ordinis presidentes, tenore presencium simpliciter revocamus, exceptis duntaxat graciis et cameris factis magistris et bacalareis, et exceptis concessionibus camerarum factis illis fratribus, qui eas construi fecerunt propriis sumptibus et expensis; et idem dicimus de concessionibus camerarum quarumcumque, extra vel intra commune dormitorium existencium, factis quibuscumque fratribus, magistris vel non magistris, que magistro ordinis reverendo vel prioribus provincialibus aut usui fratrum hospitum seu infirmorum retroactis temporibus fuerunt applicate. Et nichilominus precipimus fratribus universis, qui habent cameras seu cellas intra communem clausuram dormitorii, quatenus infra quindecim dies, postquam erunt presentes in suis conventibus, et presencium noticia ad ipsos pervenerit, claudant seu claudi faciant cum bono muro portas quascumque in dictis cameris seu cellis existentes, per quas exiri posset exterius, dormitorio clauso existente. Quicumque vero huic ordinacioni non paruerint cum effectu, ipsis cellis seu cameris et bonis eciam sibi concessis per ordinem simpliciter sint privati. Mandamus prioribus universis sub eodem precepto, quod cum eis de predictis constiterit, bona huiusmodi recipiant realiter a dictis fratribus et suis conventibus applicent indilate; que eciam bona fratres huiusmodi eis tradant seu per eos recipi permittant sub eodem precepto absque contradictione quacumque.

Item. Ut in factis fidei providencius solito procedatur, vult et ordinat magister ordinis reverendus de unanimi consilio [nostrum] et assensu, ac eciam mandat in virtute sancte obediencie inquisitoribus nostri ordinis universis, quatenus de cetero nullum fratrum nostri ordinis instituant vicarium seu commissarium, nisi talem, qui annum attigerit quadragesimum, et tunc nonnisi de consilio suorum priorum provincialium aut vicariorum generalium, nisi forsan frater huiusmodi esset prius iudicio eorumdem priorum provincialium seu vicariorum eorumdem ad hoc iudicatus sufficiens, ydoneus, pariterque discretus. Quod si aliquis inquisitorum oppositum attemptare presumpserit, eo facto ipse magister ordinis inquisitores huiusmodi ab illo nunc pro tunc absolvit officio, et omnibus, quorum interest vel interesse potest, absolutum denunciat per presentes. Omnes autem et singulos vicarios seu commissarios per quos-

cumque inquisitores iam factos unicuique denunciamus per dictum magistrum ordinis reverendum fuisse in nostra presencia ab huiusmodi officiis simpliciter absolutos.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie sub pena absolucionis a suis officiis prioribus provincialibus et conventualibus ac eorum loca tenentibus universis, quatenus diligenter inquirant, si aliqui fratres sibi subiecti extra conventus seu domos nostri ordinis carnes comederint contra nostrarum seriem constitucionum, et cum legitime de excessu huiusmodi eis constiterit, fratres, qui in hoc defecerint, compellant ad faciendam penitenciam in nostris constitucionibus contra deficientes huiusmodi positam et taxatam; quod si presidentes predicti in hoc fuerint negligentes, eamdem penitenciam sub precepto facere teneantur.

Item. Volumus et firmiter observari mandamus per presidentes universos et singulos nostri ordinis, quatenus nullum fratrem, qui carcerem fregerit vel ab ordine aufugerit seu aliquem alium de carcere extraxerit vel ad exeundum seu frangendum carcerem ordinis instrumentum quodcumque alicui incarcerato per se vel per alium ministraverit, aut qui, postquam adiudicatus fuerit carceri, ante incarceracionem realiter apostataverit, recipiant ad ordinem, nisi statim ipsum carceri mancipent realiter et de facto.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus frater de cetero moretur assidue cum aliquibus extra obedienciam nostri ordinis constitutis sine licencia reverendi patris magistri ordinis aut sui prioris provincialis vel eius vicarii generalis; quod si aliquis oppositum attemptare presumpserit, ipso facto voce et omnibus graciis ordinis ac eciam bonis sibi concessis per ordinem simpliciter sit privatus et nichilominus ad omnes et singulas promociones ordinis sit inhabilis et ineptus.

Item. Cum recepcio noviciorum et bona educacio eorumdem sit nostri ordinis murale et radicale fundamentum, ad ipsa necessaria sollicitudine intendentes, districtissime iniungimus fratribus universis et maxime presidentibus, ut ad recepcionem noviciorum diligentissimam curam adhibeant, iuxta graciam a domino sibi datam. Omnis autem prior recusans aliquem ad ordinem recipere, iudicio maioris partis trium examinatorum, quibus conventus examinacionem commiserit huiusmodi, ydoneum et sufficientem, ac se dolose subtrahens sive operans, ut talis non recipiatur, ipso facto ab officio prioratus sit suspensus, donec defectum suum huiusmodi purgaverit perfecte; qui prior, eciamsi vota conventus non habeat ad recepcionem oblati, auctoritate magistri ordinis reverendi, qui ad hoc vocem dedit et dat de omnium nostrum consilio et assensu, ut scilicet [idem] prior ad ordinem nostrum recipere valeat, et de facto recipiat huiusmodi oblatum, ad recipiendum iudicatum ydoneum, ut prefertur.

Declarantes, quod defectus etatis vel sufficiencie litterarum, dum tamen maior sit (in) septennio, recipiendum non impediat in isto casu. Et ne eciam propter defectum educacionis, instructionis et subvencionis temporalis tale iam positum ruat fundamentum, volumus et mandamus, quod in qualibet visitacione eligatur per provinciale capitulum unus conventus, quo duo novicii magis apti de quolibet conventu illius visitacionis, postquam in divino officio fuerint sufficienter instructi vel alii noviter professi mittantur; et de fratre ydoneo vel seculari providere habeant, qui dictos parvos in moribus et grammaticalibus et aliis instruat diligenter et informet. Conventus vero, unde tales mittentur, per quotam suam de salario moderato provideant ipsorum instructioni. Precipientes in virtute sancte obediencie et sub pena privacionis vocis, quam quicumque presidens, oppositum faciens, incurrat ipso facto, ut in quolibet conventu decima pars omnium obvencionum pecuniarum sequestretur, et duobus fidelibus fratribus quitetur in solos usus noviciorum et aliorum puerorum noviter professorum, ad minus per unum annum post professionem; qui, prout unicuique opus fuerit, pro libris et vestibus et aliis necessariis quoad viam ipsorum ad studia dictam pecuniam custodiant et expendant; mandantes sub pena absolucionis omnibus prioribus provincialibus, ut ipsi observent strictissime hanc ordinacionem et eam faciant a subditis observari; priores nichilominus, qui anno quolibet non recipient unum vel duos novicios a suis officiis absolvendo.

Item. Cum priores conventuales in sua parte sollicitudinis iuxta seriem nostrarum constitucionum habere debeant subpriores, volumus et in virtute sancte obediencie precipimus omnibus et singulis prioribus conventualibus, quatenus infra mensem, postquam presentes in suis conventibus [extiterit], cum discretorum consilio instituant, qui non habent subpriorem; sub eodem precepto omnibus prioribus et supprioribus iniungentes, quatenus cum personaliter erunt presentes in suis conventibus, alter ipsorum ad minus omni die cum aliis fratribus in refectorio comedat, nisi legitime fuerint impediti; si autem alterum ipsorum abesse contigerit a conventu, immediate qui tunc aderit, teneatur comedere continue in refectorio, ut premittitur, vel eius vicarius loco sui; eidem precepto astringentes fratres nostri ordinis universos, quatenus legitimo cessante impedimento, bis vel ter ad minus in qualibet hebdomada comedant in refectorio, exceptis magistris in theologia et bacalariis in studiis generalibus et inquisitoribus ac illis, qui fuerunt provinciales et diffinitores capituli generalis, vel lectoribus actu legentibus, qui ad minus semel in hebdomada sub eodem precepto ibidem comedere teneantur.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie universis et singulis prioribus provincialibus ac vicariis generalibus eorumdem, quatenus qui-

libet eorum pro expensis factis et faciendis mittant ad curiam Romanam procuratori ordinis vel eius locum tenenti infra instans festum nativitatis domini sex florenos bonos de Florencia pro anno presenti; et illi, qui tenentur eidem de tempore preterito, similiter satisfaciant integraliter et perfecte, alias contra inobedientes huiusmodi, prout est racionis, gravius procedetur.

Item. Precipit reverendus pater magister ordinis prioribus provincialibus et eorum loca tenentibus universis in virtute sancte obediencie, quatenus infra annum a data presencium, sequenciam sancti Thome doctoris nostri, et novem lectiones de translacione eiusdem in singulis conventibus suarum provinciarum scribi faciant, remota excusacione quacumque.

Iste sunt denunciaciones.

Denunciamus fratribus universis, quod quicumque frater per se vel per alium ordinacionem de se vel de alio factam, vel obedienciam sibi vel alteri fratri iniunctam per quamcumque personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam quocumque modo revocari vel in aliqua provincia seu conventu aut eciam officio seu studio generali seu in aliqua universitate ad legendum sentencias seu bibliam poni vel amoveri procuraverit, vel qui ibidem legere bibliam ac dictas sentencias presumpserit, nisi ibidem per magistrum ordinis vel generale capitulum fuerit assignatus, et tunc nonnisi in loco per aliquem predictorum sibi deputato; seu qui in opere alchymie operatus fuerit vel per alium vel alios operari fecerit; aut qui fratrem aliquem seu fratres scienter et ex proposito apud personam extra obedienciam nostri ordinis constitutam infamaverit; vel facta fratrum aut secreta ordinis, ex quibus ordo noster vel frater aliquis infamari possit, quibuscumque personis extra obedienciam nostri ordinis constitutis dixerit vel revelaverit; aut qui ad Romanam curiam sine licencia magistri ordinis speciali accesserit vel ibi manserit ultra terminum sibi assignatum, vel quicumque suo prelato dicere presumpserit, quod non sit suus prior, excommunicacionis sentenciam incurrit ipso facto, quam reverendus pater magister ordinis tulit iuridice in diffinitorio de omnium nostrum consilio pariter et assensu. Ab hac tamen ordinacione eximimus quoad accessum curie Romane fratres illius provincie, in qua pro tempore curia residebit, qui possint ire ad curiam de sui provincialis vel eius vicarii generalis licencia petita pariter et obtenta.

Concedimus prioribus provincialibus, quod quilibet eorum, dum necesse fuerit, mittere valeant ad dictam curiam pro negociis suarum provinciarum duos fratres.

Iste sunt assignaciones.

Assignamus ad legendum sentencias Parisius pro anno presenti fratrem Iohannem Balbini (1) de provincia Francie, cui substituimus fratrem Nicholaum Vitalis (2) de eadem provincia; et quantum nostra interest, pro anno primo intraneis debito, qui nunc legit post fratrem Iacobum, ipsum ibidem ad legendum sentencias assignamus. Pro primo anno extraneis debito post ipsum, qui nunc legit, assignamus ad legendum sentencias fratrem Goufrendum (!) Biscolim (3) de provincia Theutonie; pro secundo vero anno extraneis similiter debito, assignamus ad legendum sentencias, quantum nostra interest, fratrem Arnulfum de Lesteria (4) de provincia Tholosana. Ad legendum bibliam ibidem post ipsum, qui nunc legit actu, quantum nostra interest, fratrem Oliv[ari]um (5) et post dictum fratrem Oliv[ari]um, quantum nostra interest, fratrem Iohannem Ade (6).

In Oxonia assignamus pro regente fratrem Iohannem de Gesta, magistrum, sub quo ad incipiendum assignamus fratrem Thomam de Bascho. Ad legendum sentencias ibidem pro anno presenti fratrem Robertum Biton, et pro eodem anno fratrem Iohannem Valreijraij. Pro secundo anno fratrem Stephanum Almi, cui substituimus fratrem Nicholaum Chiofil in casu, quo contigerit fratrem Stephanum predictum legitime impediri; et quantum nostra interest, pro primo anno, extraneis debito, fratrem Dominicum Ianuarii de provincia Provincie.

In Cantabrigia assignamus fratrem Iohannem Paris, magistrum, sub quo ad incipiendum assignamus fratrem Iohannem de Acon. Ad legendum sentencias ibidem pro presenti anno fratrem Thomam Palmer (7); pro secundo anno fratrem Thomam Coimbul; et pro tercio anno fratrem Rogerium Cley. Pro primo anno extraneis debito fratrem Franciscum Acoyi de provincia Polonie; cui substituimus fratrem Petrum Nichoyi de Dacia. Et quantum nostra interest, pro secundo anno extraneis debito ibidem ad legendum sentencias assignamus fratrem Humbertum Seguoni de provincia Saxonie.

In Tholosa ad legendum sentencias pro anno presenti fratrem Antonium Berengarii de eadem provincia; pro anno sequenti ad legendum

---

2) Balbini] Baldonensem *cod.* III, 4. -- 7) Theutonie] Tholosana *cod.* III, 4.

---

(1) De fr. Iohanne Balbini cf. supra pag. 443 l. 13.
(2) De fr. Nicolao Vitalis cf. Denifle l. c. pag. 234.
(3) De fr. Gotfrido cf. supra pag. 413 l. 17.
(4) De fr. Arnulfo cf. ibid. l. 20.
(5) De fr. Olivario cf. Denifle l. c.
(6) De fr. Ioanne Ade cf. Denifle l. c.; SSOP. I, 694.
(7) De fr. Thoma Palmer cf. SSOP. I, 753.

sentencias ibidem fratrem Simonem de Saltarellis de provincia Romana. Pro magistro studencium ibidem pro anno presenti assignamus dictum fratrem Simonem de Saltarellis (1). Pro anno immediate sequenti, quantum nostra interest, fratrem Heliam de Columbario. Ad legendum bibliam ibidem pro anno sequenti dictum fratrem Heliam; pro duobus vero annis immediate sequentibus fratrem Willelmum de Urisa, quem pro anno presenti ibidem pro studente honoris assignamus cum privilegiis et graciis talibus consuetis.

In Bononia, vel ubi generale illius provincie studium transferetur, facimus lectorem principalem fratrem Petrum de Marchia (2), magistrum de provincia Tholosana. Ad legendum sentencias ibidem pro anno presenti fratrem Paulum de Submissianis eiusdem provincie; pro magistro vero studencium, quantum nostra interest, pro anno presenti et ad legendum sentencias ibidem pro anno sequenti immediate fratrem Iohannem de sancto Dominico de Bononia.

In conventu Coloniensi ponimus lectorem principalem fratrem Petrum de Lanipher provincie Theutonie. Ad legendum sentencias ibidem fratrem Rodigerium Rot; pro magistro studencium fratrem Nicholaum Boguereth.

In conventu Montispessulani facimus lectorem principalem fratrem Petrum Borroni, magistrum. Ad legendum sentencias ibidem fratrem Bernardum Pagesii; pro magistro studencium fratrem Antonium Repari. Ad legendum bibliam ibidem fratrem Iohannem Alberti (3).

In Avenione facimus lectorem principalem fratrem Hiacintum Vincencium, magistrum; et pro secundo lectore ibidem fratrem Iohannem Lombardi. Pro magistro studencium fratrem Carolum Burgarii.

In conventu Viceria (!) de presenti residente, vel ubi in posterum residebit, assignamus pro regente fratrum Petrum de Duroforti, magistrum de provincia Tholosana.

Ad legendum sentencias in conventu Burdegalensi fratrem Petrum de Albano.

In conventu Pragensi facimus lectorem principalem fratrem Wenceslaum Raticionissensem (4); ad legendum sentencias ibidem fratrem Mathiam Pinzessensem; pro magistro studencium fratrem Iohannem Liconeniensem (!).

---

(1) De fr. Simone et fr. Elia cf. supra (*supra* Hugone) pag. 434 l. 33 et 37.

(2) De fr. Petro de Marca seu Marchia cf. supra pag. 435 l. 4.

(3) De ffr. Petro Borroni, Bernardo Pagesii, Antonio Repari (*supra* Arnaldus Reparati), Ioanne Alberti cf. ibid. l. 20 sqq.

(4) Forsitan legendum « Ratisbonensem ».

In conventu Hufonensi provincie Bononie ponimus lectorem principalem fratrem Scalem et de provincie(!) (1).

In conventu Barcinonensi ponimus lectorem principalem fratrem Petium de Guillis (2); ad legendum sentencias ibidem fratrem Simonem Romey; pro magistro studencium fratrem Petrum Albi (3); ad legendum bibliam ibidem fratrem Romeum Rosselli (4).

In conventu Magdeburgensi (5) facimus lectorem principalem fr. Petrum de Volebere; ad legendum sentencias ibidem fratrem Hermannum de Cohingia (6); pro magistro studencium fratrem Hermannum Crispini.

In conventu Neapolitano facimus lectorem principalem fratrem Nicolaum de Troia (7), magistrum; ad legendum sentencias ibidem fr. Antonium de Uxore. Pro magistro studencium fratrem Iohannem de Neapoli (8). Ad legendum bibliam ibidem fr. Nicolaum Orfonellis de Pennis.

In conventu Mediolanensi lectorem principalem ponimus fr. Iohannem de Lampinnio. Ad legendum sentencias ibidem fratrem Iohannem de Claresto de Asch (!). Magistrum studencium facimus Petrum Masoter de Mediolano.

Studium generale in Romana provincia, quod consuevit esse in Florencia, quia ibidem propter guerras non potuit congregari, ponimus in conventu Pisano eiusdem provincie, quousque provideatur de loco tranquillo; et facimus lectorem principalem fratrem Iohannem Dominici Eugubinum (9); ad legendum sentencias ibidem fratrem Benedictum Franciscum; magistrum studencium fratrem Iohannem de Cachina; ad legendum ibidem bibliam fratrem Fridericum de Fulgino.

Ordinacionem autem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium committimus reverendo patri magistro ordinis, ut ipse de lectoribus, baccalariis, biblicis et magistris studencium provideat, prout honestati et honori ordinis sibi visum fuerit expedire.

Committimus insuper eidem magistro ordinis reverendo, quatenus provinciis Terre sancte et Grecie, quocienscumque et quocumque casu ipsas vel aliquam ipsarum contigerit suo provinciali carere, usque ad immediate sequens capitulum generale dictis provinciis et earum cuilibet de provinciali providere valeat, prout sibi videbitur expedire.

(1) Legendum esse arbitror: In conventu Erfordensi provincie Saxonie.
(2) De fr. Petro de Guillis cf. MOPH. VII, pag. 61.
(3) De fr. Petro Albi cf. ibid. pag. 57.
(4) De fr. Romeo Rosselli cf. ibid. ad a. 1407.
(5) Sic legendnm esse puto « Mageningesi » codicis quam plurimum corrupti.
(6) Forsan « Thuringia ».
(7) De fr. Nicolao de Troia cf. supra pag. 435 l. 15.
(8) Videtur esse idem, de quo SSOP. I, 752.
(9) De quo cf. SSOP. I, 704.

Item. Ne contingat iusticiam quomodolibet impediri, ad maiorem expressionem et roboris firmitatem concedimus et committimus magistro ordinis reverendo auctoritatem nostram plenariam in omnibus et per omnia, quantum possumus et quantum nostra interest, tam circa assignaciones quam circa disposiciones et dispensaciones aut dispensacionem, aut priorum provincialium per se vel per alium vel alios absoluciones et ordinaciones quascumque, necnon et circa omnia et similia, que paci, iusticie et honestati, tranquillitati et conservacioni ordinis et conventuum ac fratrum singulorum quorumcumque iudicaverit expedire, et que per nos ipsos facere possemus; mandantes eidem magistro, quatenus quocienscumque habuerit querelas de aliquo provinciali vel de alio quocumque fratre [simplici] vel ordinis presidente qualitercumque, quamcicius commode poterit, per se vel per alium seu alios studeat iusticiam, correctionem et reformacionem tam auctoritate sua quam nostra in capitibus et in membris per omnia plenarie ministrare.

Iste sunt penitencie (1).

Quia reverendus pater frater Elias, magister ordinis, ex officio suo provinciam Anglie dudum anno sexto preterito visitaverit, et ad reformacionem religionis et observanciarum regularium ac honestatem nostri ordinis salubriter conservandam deliberato consilio providerit quasdam ordinaciones et mandata iuxta sacras sanctiones et nostras salubres constituciones et ordinaciones, consuetudines approbatas, prius dictam visitacionem, prout opportunum et expediens ad regularem disciplinam iudicaverit, ad dictam provinciam miserit, destinaverit et promulgari fecerit legitime per certos suos executores in eadem, mandaveritque dictas ordinaciones recipi firmiter et observari, contradictores et rebelles recepcionum earumdem per canonicam censuram scilicet per latam et promulgatam excommunicacionis sentenciam compescendo pariter et arctando, prout premissa in nostro generali capitulo Carcassone celebrato diligenter examinavimus, probatum, notorium et manifestum invenimus et habemus, delatumque et conquerendo monstratum publice per multos fide dignos fratres promotos in theologia et alios probos antiquos et honestos fratres dicte provincie Anglie viva voce et literatorie per absentes, pro dolor, constiterit, quod nonnulli fratres dicte provincie Anglie in suarum animarum preiudicium et damnacionem nostreque religionis lamentabilem enervacionem, dictas ordinaciones, non receperint, quinimmo recipere contradixerint, et renuerint eisdem ordinacionibus animo indurato

(1) Quas poenitentias quam pessime transcripsit librarius; unde plura verba inintelligi vix possunt; sic v. g. loco « penitenciam » scribit « pecuniam », pro « vicarium » ponit « vitam »; loco « dictum » « divinum ». Attamen quid sibi velint poenitentiae, ex contextu erui potest.

iam fere per annum integrum contemptibiliter obedire et quedam peiora mala adducentes ac pessima peioribus concludentes, deum et honorem non verentes, vicarios dicti patris reverendi magistri ordinis impedierunt, male tractaverunt, comminatoriis verbis, contumeliosis angariis et multis aliis iniuriis affecerunt, et quod peius et gravius reputamus, per brachium seculare vicarium reverendi magistri ordinis, ecclesie immunitatem violantes, in loco excommunicato arrestaverunt seu arrestari fecerunt, et dictum obserarunt et demum incarceraverunt et detinuerunt, et fecerunt manu sacrilega diucius custodiri et multos alios fratres arrestare fecerunt, nec adhuc a dictis rebellionibus, contradictionibus et inobediencüs resipiscant, ut ex fama publica per ordinem difusa ad aures fratrum rebellium et inobediencium predictorum perveniat, quam et que multi peccaverint, et deum et ordinem offenderint, ut non sine saltem sua verecundosa infamia videant et cogitent tanti sceleris, suis exigentibus demeritis, se respersos, miserti sui ipsorum, spiritu gementes, intra se penitenciam agentes, ex sua immensitate delictorum ad ecclesie redeant unitatem et salutarem querant humilitatis spiritu, quam cicius poterunt, medicinam. Vero universis et singulis fratribus ordinis, ut predicitur, omnes et singulos premisse recepcionis [et] ordinacionis contradictores et rebelles denunciamus per presentes in predictam sentenciam excommunicacionis incidisse, et penam culpe graviori debitam secundum nostras constituciones incurrisse et per conventus iuxta seriem constitucionum earumdem carceri mancipandos. Denunciamus eciam excommunicatos omnes fratres illos, qui arrestando vel incarcerando seu arrestari faciendo seu sic arrestatos per vim detinendo edictas violencias vel aliquis eorumdem nostris fratribus intulerunt seu inferri procuraverunt. Denunciamus autem omnibus fratribus et sororibus nostri ordinis et maxime illis, quorum interest, quod dudum prefatus magister ordinis reverendus certis ex causis animum suum ad id moventibus fratrem Thomam Vichor, priorem provincialem olim provincie Anglie secundum morem nostri ordinis ab officio dicti prioratus de discretorum consilio removit pariter et absolvit. Ad maiorem autem firmitatem et removendum quodcumque dubium, si esset forsitan in aliquo, declaramus eundem fratrem Thomam per nos de novo nunc pro tunc de iure et de facto (1) . . . . in nostro capitulo generali Carcassone celebrato in nostro diffinitorio, prout moris est, a provincialatus officio provincie Anglie, quod dudum exercuit, similiter absolutum, instituentes et ordinantes et ponentes vicarium

(1) Post « facto » pergit codex sic : « restare opportuit absolucionem, vel omnem aut necesse est ».

generalem more dicti ordinis nostri in dicta provincia fratrem Iohannem Paris (1) magistrum, sive provincia illa priorem provincialem habeat sive non, et in casu quo ipsum contigerit impediri aut nolle exequi fratrem Iohannem magistrum, in eius locum substituimus fratrem Thomam Normanda, donec magister ordinis ipsum vel ipsos aut ipsorum vicariorum aliquem duxerit instituendum, cui super hoc vices nostras committimus, committentes cuilibet eorumdem, ut alium seu alios vicarios, quem vel quos decreverit, substituere valeat, si sibi expediens videatur, non obstante ordinacione quacumque in contrarium magistri ordinis reverendi, cum quo de eiusdem patris nostri beneplacito et assensu duximus dispensandum; in virtute autem sancte obediencie et sub pena absolucionis a quocumque officio nostri ordinis sive vicariatus generalis sive prioratus sive lectoratus, quam incurrat contraveniens ipso facto, precipimus fratribus universis dicte provincie Anglie, [quatenus] fratrem Iohannem Paris tamquam verum vicarium provincie memorate recipiant nullumque consilium alicui dent vel favorem ad impediendum ipsum a plena execucione dicti vicariatus exhibeant, sed omnes eidem secundum nostrarum seriem constitucionum pareant cum effectu; et consimiliter quoad vicarios constitutos, si ipsos iuxta formam premissam contigerit in vicariatus officio presidere, sub eisdem censuris et penis fratres singulos eiusdem provinciae obligamus. Quilibet vero frater nostri ordinis provincie Anglie memorate contraveniens isti precepto per nos dato sentenciam excommunicacionis se noverit incurrisse, latam in diffinitorio iuridice et in scriptis; omnem quoque vicarium generalem in dicta provincia in toto vel in parte institutum per dictum olim provincialem et quidquid extremum secutum est actum vel dispositum, remotum vel ordinatum a tempore facte et promulgate absolucionis ab officio provincialatus, irritamus et annullamus et inane et irritum similiter atque nullum tenore presencium denunciamus, utpote attemptatum a non habente potestatem.

Et quia fratres G. de Benchiniquis, Thomas Boquerelli sacre theologie professores et frater G. de Bencanor dicte provincie Anglie coram nobis in diffinitorio de multis contravencionibus sunt delati, que cum bona consciencia dissimulare non debemus, imponimus et in virtute sancte obediencie mandamus vicario generali dicte provincie per nos instituto, quatenus per se vel per alium vel per alios citet (et) peremptorie predictos fratres statim nominatos, quos et nos tenore presencium citamus, ut infra sex menses a tempore citacionis huius ipsis facte, in curia Romana coram fratribus procuratore ordinis vel eius vicario et lectore

(1) De fr. Ioanne Paris cf. supra pag. 447 l. 22.

conventus, ubi curia residebit, et priore eiusdem conventus, quibus vel duobus ex ipsis in hac causa et ei connexis committimus plenarie vices nostras, personaliter compareant responsuri, quod est iuris et racionis, de execucione dicte citacionis per patentes litteras certificet commissarios predictos, alias contra ipsos legitime procedatur, eorum absencia per contumaciam non obstante. Fratrem G. Bochincanor (1) provincie Anglie magistrum assignamus conventui Livardensi provincie Saxonie, et ordinacionem magistri ordinis factam de eodem quoad absolucionem, studium, conventum Lenne et quoad revocacionem camerarum, cellarum, librorum, et omnium aliorum sibi factorum per eundem conventum approbamus et presentibus innovamus, precipientes in virtute sancte obediencie et sub pena excommunicacionis, quam incurrat contraveniens ipso facto, quam sentenciam de unanimi consilio diffinitorum et assensu magister ordinis tulit in diffinitorio iuridice et in scriptis. Item omnia et singula, que habet a dicto conventu usque ad valorem quadraginte Anglicane monete restituat infra mensem a noticia presencium conventui memorato, et quod infra idem tempus se de dicto conventu expediat nec ex tunc villam Lennensem vel conventum absque licencia magistri ordinis intrare presumat. Et [quia] idem frater Guillielmus quoddam instrumentum falsum confecit in conventu Lenne prefato sub sigillo communitatis eiusdem super quandam libratam seu prebendam, quam pro quadam muliere volebat, absolvimus ipsum ab officio predicacionis in penam omnique voce activa et passiva tam in ordinacione studii quam in tractatibus et ordinacionibus quibuscumque, quousque per generale capitulum vel per magistrum ordinis fuerit restitutus, [privamus].

Assignamus insuper fratres provincie Anglie Guillermum de Bocanor (2) conventui Carleoli, Guillermum de Exonia (3), conventui Oxoniensi, Iohannem Colini conventui Gustan. (4); quibus et omnibus aliis fratribus Anglie, qui in isto capitulo ab aliquibus conventibus sunt amoti, districte imponimus sub pena gravioris culpe, quam ipso facto incurrant, quatenus infra quindenam a noticia presencium recedant ab illis conventibus, a quibus sunt amoti, nec ad eos redire presumant absque vicarii generalis per nos positi licencia speciali, fratribus per nos assignatis dumtaxat exceptis.

Item. Ex certis causis et racionabilibus nobis visis omnes habilitatos et ad magisterium dispositos in dicta provincia Anglie preter illos,

---

(1) Supra pag. 452 l. 31: de Benchiniquis.
(2) Ibid. l. 32: Bencanor.
(3) Loco « Exonia » (Exeter) *cod.* « Eziniensi ».
(4) Pro « Gustanensi » legendum esse puto « Cestrensi » (Chester).

qui actum opposicionis totaliter compleverunt et preter assignatos in isto capitulo ad legendum sentencias, similiter revocamus, adiicientes et in virtute sancte obediencie precipientes fratribus Iohanni de Bruscore, Guillermo Boconde, Guillermo Dambaso et Iohanni Cellers, quod nullus istorum in aliqua universitate vel extra actum scolasticum exerceant, priusquam de dictis articulis gravibus se legitime excusaverint reverendo patri magistro ordinis vel eius vicario ad hoc specialiter deputato, de quibus coram nobis in diffinitorio sunt delati; quod si aliquis istorum quatuor contrarium attemptaverit, sentenciam excommunicacionis se noverit incurrisse, quam [magister] ordinis tulit in diffinitorio de diffinitorum unanimi consilio et assensu; indicantes fratribus universis ordinis nostri, quod nos diffinitores et reverendus magister absolvimus certis ex causis duodecim priores conventuales provincie Anglie, nolentes, quod iidem per nos absoluti valeant ad sequens generale capitulum ad officium prioratus ullo modo assumi.

Item. Quia ordo noster per subscriptos fratres Maguntinenses, qui ibi . . . . (1) est prolapsus processus apostolicos non servando, idcirco fr. Gumanum de Mora esse absolutum a prioratu conventus Maguntini declaramus, ipsumque ac fratres Guillermum de Mogondinis, Iohannem Linquini, Nicholaum Retorn et Iacobum Urmine ob predicta excommunicatos denunciamus et eum et omnes alios fratres prenominatos carceri iudicialiter condempnamus et bonis omnibus eis concessis per ordinem privamus atque privatos fore decernimus per presentes; et nichilominus ipsos ad gradus et promociones quascumque ordinis inhabiles reddimus per presentes; nolentes, quod ad dicta aliquo modo restitui valeant nisi per magistrum ordinis reverendum vel vicarium generalem; quorum quidem bonorum unam medietatem pro capitulo ordinis pro expensis pro nostro ordine fiendis, aliam vero fratri Petro Lanifer (2) vicario magistri ordinis pro expensis per eum occasione predictorum factis et fiendis realiter applicamus, precipientes in virtute sancte obediencie presidenti provincie Teutonie, quatenus predicta omnia execucioni debite non differat demandari.

Item. Fratrem Petrum de Castello provincie regni Sicilie pro eo quod quemdam secularem gladio interfecit, sicut fuimus plenarie informati, iuxta constitucionem nostram per dominum nostrum summum pontificem confirmatam carceri sentencialiter condempnamus.

Item. Inclusionem factam per fratrem Anthonium Boro, tunc priorem Cesaraugustanum, de fratre Guillermo Conesa provincie Aragonie,

(1) Post « ibi » sequuntur in codice apographo tria verba obscura ad intelligendum nempe: « prohaverunt ingectram graviam ».

(2) De Petro Lanifer cf. supra pag. 448 l. 17.

certis racionabilibus ex causis positis coram nobis indebitam et iniustam fuisse denunciamus et declaramus de iusticia requisiti, fratribus Gombaldo de Vlugia (1), Anthonio Folqueti (2) et Ferrario de Curtibus committentes et mandantes districte, [quatenus] dicto fratri Anthonio penam imponant pro predictis secundum exigenciam iusticie, prout viderint expedire, cum de hoc fuerint requisiti.

Denunciamus fratribus universis ordinis nostri, quod reverendus magister ordinis una nobiscum et nos omnes et singuli·cum eo fecimus et constituimus per publicum instrumentum fratrem Petrum de Duroforti (3), magistrum et diffinitorem provincie Tholosane, Guillielmum de Sancto Blasio magistrum et diffinitorem provincie Provincie, vicarium [N.] de Troia (4) regni Sicilie, et Aldobrandinum (5), inquisitorem Ferrariensem et diffinitorem Lombardie inferioris, nostros et tocius ordinis nuncios et procuratores speciales et generales, et quemlibet eorum in solidum ad omnes et singulas causas delegavimus in forma et specialiter ad supplicandum in Romana curia domino nostro pape super pluribus honorem ordinis nostri et eius bonum statum concernentibus, necnon et ad tempesta(!) de querelantibus tam ibi quam alibi ubicumque: quare precipiendo mandamus presidentibus conventuum ordinis nostri universis, per quos contigerit eos transire quomodocumque, quatenus ipsos et quemlibet ipsorum honorabiliter recipiant et favorabiliter pertractent, et in hiis, de quibus fuerint per eos aut eorum quemlibet requisiti, eis opportunius iudicio ipsorum sicuti nobis pareant et totaliter intendant. Insuper declaramus ad removendum dubium apud aliquos, si quod esset, magistrum Guillielmum de sancto Blasio prefatum, qui hoc anno accessit causa visitacionis ad provinciam Lombardie superioris, fuisse verum vicarium magistri ordinis in dicta provincia cum plena potestate, hiis non obstantibus, que magister Thomas de Bosoloscho (5), olim prior provincialis in eadem, in oppositum proposuit coram nobis. Ea propter ordinata, iussa ac precepta necnon quecumque alia per eum acta in dicta provincia, exequendo officium vicariatus predicti, et specialiter priorum absoluciones, fratrum assignaciones et absoluciones ab excommunicacionis sentencia et aliis penis iuris, de certa sciencia approbamus et confirmamus realiter et ex toto, et omnia illa dicimus et volumus in suo robore permanere, quousque revocata fuerint per magistrum ordinis vel vicarium

(1) De fr. Gombaldo de Vlugia cf. supra pag. 417 l. 11.
(2) De fr. Antonio Folqueti cf. ibid. l. 31.
(3) De quo supra pag. 448 l. 28.
(4) De quo supra pag. 449 l. 11.
(5) De fr. Aldobrandino cf. SSOP. I, 861.
(6) Loco « Bosoloscho » legas « Clarasco »; cf. supra pag. 402 l. 21.

generalem; mandantes capitulo in dicta provincia, quatenus nonnulla ex illis, que in scriptis non potuit idem vicarius publicare propter brevitatem temporis, omnibus denunciet et faciat inviolabiliter observare. Et quia magister Egidius monasterii Iannuensis et frater Hughettus de Asclidico provincie Lombardie superioris fuerunt post notificacionem excommunicacionis incurrende ab omni fratre per dictum magistrum Guilliel-mum auctoritate eiusdem magistri reverendi in actis provincialis capituli Alexandrie ultimo celebrati gravati, et deinde sub certis titulis et causis atque capitulis expressatis in eisdem legitime condemnati: idcirco exigente iusticia, de qua sumus cum instantia requisiti, predicta omnia facta et attentata seu denunciata et publicata contra eos in dictis actis, necnon eciam post quomodocumque et per quemcumque seu quoscumque de dicta provincia nulla fuisse decernimus et ea omnia et singula irrita nunciamus, magistro Leonardo, vicario dicte provincie generali, precipiendo mandantes, quatenus super aliis querelis tam eos, quam alios fratres de dicta provincia audiat et notatis notandis de hiis, de quibus sibi legitime constiterit, ministrare non differat iusticie complementum; quare super hiis omnibus eidem magistro Leonardo committimus vices nostras.

Iste sunt declaraciones.

Declaramus hanc: In capitulo de domibus concedendis et construendis, ubi dicitur: nisi forte illo anno propter obitum fratrum dictus numerus fuerit diminutus, quod ille annus intelligatur propter pestilencias communes preteritas, quousque per fratrum ad ordinem receptorum sufficientem multitudinem tantus possit reparari defectus; ad quod priores provinciales dare volumus operam efficacem.

Item. Declaramus, quod reverendus pater magister ordinis ex sua ordinaria potestate et ex consuetudine per ordinem approbata, necnon eciam eius vicarii generales in provinciis et conventibus eis commissis possunt confirmare priores, lectores instituere, eciam in locis, ubi non viget studium generale, et ne aliqui priores absolvi valeant per aliquem eis inferiorem, ex causa racionabili inhibere, cum eis videbitur opportunum, et quod prior provincialis non potest contra illa, que sunt ordinata per ipsum magistrum ordinis vel vicarios suos, maxime si sibi per eos aut eorum aliquem potestas sublata fuerit; omnem autem cuiuscumque gradus aut condicionis existat, qui contravenerit scienter, tanquam irreverentem et rebellem ab officiis quibuscumque nunc pro tunc absolvimus et absolutum denunciamus similiter per presentes.

Iste sunt commissiones.

Committimus priori cuilibet provinciali, quod possit recipere quatuor conventus.

Facimus hos vicarios generales in provinciis subscriptis et conventibus, donec priores fuerint in eis confirmati ac presentes extiterint in eisdem.

In provincia Tholosana fratrem Guillielmum Garrici, priorem Prulianensem.

In provincia Lombardie inferioris fratrem Aldobrandinum, inquisitorem Ferrariensem (1).

In provincia regni Sicilie fratrem Nicholaum de Troia (2).

In provincia Hungarie fratrem Stephanum de Vadoch.

In provincia insule Sicilie fratrem Simonem de Puteo (3) magistrum.

In conventu Parisiensi fratrem Iohannem de Castro Theodorici, baccalaureum (4).

In conventu Ianuensi fratrem Damianum Ianuensem, magistrum, subpriorem eiusdem conventus absolventes.

Ista sunt suffragia pro vivis.

Pro sanctissimo in Christo patre et domino domino Urbano papa VI. quilibet sacerdos tres missas.

Pro reverendissimo in Christo patre et domino domino de Agrifolio (5), protectore ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro serenissimo principe et domino domino duce Andegavensi, domina ducissa consorte sua et egregia prole sua quil. sacerd. tres mis.

Pro reverendissimis dominis dominis cardinalibus Pampilonensi (6), Mimatensi (7), sancti Martialis (8), Gebennensi (9), Ambianensi (10) quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino imperatore et filio suo, rege Romanorum, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo domino rege Hispanie quilibet sacerdos unam mis.

Pro serenissimo principe Ludovico, rege Hungarie, necnon genitrice et consorte eiusdem cum liberis eorumdem, quilibet sacerdos unam mis.

---

(1) De quo supra pag. 455 l. 12.

(2) De quo ibid.

(3) De fr. Simone de Puteo cf. supra pag. 400 l. 24.

(4) De fr. Ioanne de Castro Theodorici cf. supra pag. 433 l. 12.

(5) De quo supra pag. 422 not. 7.

(6) Petro de Monteruco, prom. 23 Dec. 1356, tit. s. Anastasiae; † Avinione 30 Maii 1385, cf. Eubel l. c. pag. 19.

(7) Guilelmo de Chanaco, prom. 30 Maii 1371, tit. s. Vitalis, † Avinione 30 Dec. 1363; cf. Eubel l. c. pag. 21.

(8) De quo supra pag. 422 not. 6.

(9) De quo ibid. pag. 437 not. 4.

(10) De quo ibid. not. 7.

Pro domina Beatrice, infantissa Portugallie, et filia sua quilibet sacerdos unam missam.

Pro venerabili collegio dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo in Christo patre Ade (1) et domino domino episcopo Carcassone quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis episcopis Convenarum, Castrensi, sancti Pontii, Apamiensi, sancti Papuli, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustri et potenti domina domina comitissa de Alenconio, nobili eius prole et pro quibus intendit, quilibet sacerdos tres missas.

Pro illustrissimo principe domino rege Aragonie, consorte sua, domino duce Gerunde ac consorte sua, et infanti Martino, ac domino comite Empuriarum, ceterisque de domo regia, dominis episcopis Ilerdensi, Tarragonensi, Cesaraugustano quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendo patre fratre Guillielmo Garrici, priore Prulianensi (2), quilibet sacerdos unam missam.

Pro Guillielmo Rogerii et Stephano Burgensi charissimis, et pro quibus intendunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobilibus dominis de Malo Monte, Emblemmis, de sancto Marciali, ceterisque familiaribus et servitoribus domini episcopi Carcassonensis quilibet sacerdos unam missam.

Pro fratre Arnaldo de Curtibus conventus Carcassonensis quilibet sacerdos unam missam.

Pro domina Iohanna Costil de regno Anglie quilibet sacerdos unam missam.

Pro honesta [domina] Florentina Carcasson. burgen. quilibet sacerdos unam missam.

Pro P. Cadual et Iohanne Maiori et quibus intendunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro dominis abbatibus Triconiensi, sancti Hilarii, Soricii et venerabili collegio dominorum canonicorum civitatis Carcassonensis, et multis honorabilibus personis tam ecclesiasticis quam secularibus dicte civitatis, que benefecerunt capitulo, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domina uxore Guillielmi Laurencii, Guilliermo Azamarii, Iohanna, procuratrice regia, Petro Sicardii, Arnaldo Sicardii et multis aliis diversorum officiorum Carcasson., quilibet sacerdos nnam missam.

Pro domina vicecomitissa Fecninsenglli (!?), Marco Montanerii, communitatibus Limosi de Quillano, et pluribus devotis personis de Limo-

(1) De fr. I. Ade cf. supra pag. 447 l. 13.

(2) De fr. Guilelmo Garrici cf. supra pag. 457 l. 4.

so, Monte Regali, Quillano, de Monte Olivo, Orzensi(!), de Allaccio, quilibet sacerdos unam missam.

Pro priorissa domina nobili et devota Pruliani, et omnibus fratribus et sororibus monasterii predicti, bono statu et conservacione eiusdem, pro diversis personis, que caritative receperunt fratres venientes ad capitulum et recipient redeuntes, et pro illis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino Socolli, Iohanne Cufeti, et diversis communitatibus ac personis diversis, que benefecerunt capitulo et promiserunt facere, quilibet sacerdos unam missam.

Ista sunt suffragia pro defunctis.

Pro sanctissimo in Christo patre et domino domino Gregorio novissime defuncto (1) quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo in Christo patre fratre Guillielmo cardinali Ostiensi (2), quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo in Christo patre domino cardinali Aquensi (3) quilibet sacerdos unam missam.

Pro domino Eduardo, rege Anglie, novissime defuncto quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimis in Christo patribus dominis fratre Guillielmo (4), quondam cardinali Sabinensi, et Arnaldo Frederici, episcopo Cesaraugustano, quilibet sacerdos unam missam.

Pro illustrissimo principe domino Roberto de Alenconio, quondam comite de Perge, quilibet sacerdos unam missam de requiem; et vult magister ordinis, quod iste tres misse sint prime.

Pro domino nobili Gulielmo de Vitinis milite, domino de Confolento, quilibet sacerdos unam missam.

Pro nobilibus dominis de Canesuspenso, de Saxiato, de Viconbono, fratribus et sororibus nostri ordinis defunctis et pro hiis, qui habent litteras de beneficiis ordinis, quilibet sacerdos unam missam.

Fratres vero clerici non sacerdotes pro qualibet missa septem psalmos cum litania; laici vero centum pater noster dicant.

Sentencias iudicum approbamus, de quibus querela pervenit.

Letania et salve regina more solito dicantur.

---

(1) Obiit Gregorius papa XI Romae 27 Mart. 1378.

(2) De quo supra pag. 422 not. 1.

(3) Petro Iterii, prom. 17 Sep. 1361, tit. IV Coronat., postea ep. Albanen., † Avinione 20 Maii 1367; Eubel l. c. pag. 19.

(4) Guilelmo Petri Godin O. Praed.; † 4 Iunii 1336; de eo supra p. 67 not. 3.

Sequens capitulum generale assignamus anno immediate sequenti in conventu Cesaraugustano de provincia Aragonie in festo pentecostes. Et volumus et ordinamus, quod nullus frater sine licencia suum conventum exeat. Quod si aliquis attemptare presumpserit, voce simpliciter sit privatus. Diffinitores autem locum intrent capituli dominica infra octavas ascensionis domini. Nullus autem frater intret locum capituli ante feriam sextam festi pentecostes immediate precedentem.

Expliciunt acta capituli generalis Carcassone celebrati anno domini millesimo tercentesimo septuagesimo octavo.



IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum Historica.

Quorum monumentorum haec edita sunt:

Tomus primus: Fr. GERARDI DE FRACHETO, *Vitae Fratrum Ord. Praed.* ed. REICHERT 1896.

Tomus secundus fasc. I.: Fr. GALVAGNI DE LA FLAMMA, *Cronica Ordinis* ed. REICHERT 1897.

Tomus tertius: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1220 ad annum 1303 ed. REICHERT 1898.

Tomus quartus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1304 ad 1378 ed. REICHERT 1899.

Tomus sextus fasc. I. *Raymundiana seu Documenta quae pertinent ad S. Raymundi de Pennaforti Vitam et Scripta* edd. BALME-PABAN 1898.

Sequentur:

Tomus secundus fasc. II.: Fr. SEBASTIANI DE OLMEDA *Cronica Ordinis* ed. IUSTUS CUERVO (sub prelo).

Tomus quintus: Litterae Encyclicae magistrorum generalium Ord. Praed. sec. XIII. et XIV. (appendix ad tomos III et IV) (sub prelo).

Tomus septimus: Diversae Cronicae Ordinis (sub prelo).

Tomus octavus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed. ab anno 1380 ad 1500 (sub prelo).

Praeparantur praeterea:

THOMAS CANTIPRATANUS, *Liber qui dicitur Bonum universale de apibus* rec. REICHERT (tom. unicus).

GUILLELMUS DE TOCCO, *Vita S. Thomae Aquinatis* una cum *Actis canonisationis integris* rec. WEHOFER (tom. unicus).

B. IOHANNES DOMINICI *Lucula noctis* rec. MERKLE (t. un.).

Fontes ad historiam reformationis Ordinis in Germania pertinentes ed. REICHERT (tom. ca. tres).

Chartularium, kalendarium monasterii Zoffingensis Constantiae in Badenia edd. REICHERT-WEHOFER (tom. unicus).

Vitae primarum sororum Colmariensium de Subtilia.

Chronik der Schwestern von Engelthal (tom. unicus).

Bullarium Ordinis Praedicatorum (*supplementum* continens acta ad provincias Germaniae pertinentia).

Quae volumina emere poteris:

ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta «San Sebastiano», 10

STUTTGARDIAE
APUD JOS. ROTH BIBLIOPOLAM
33, via dicta «Kanzleistrasse», 33

Bibliotheca Ascetica Ordinis Praedicatorum Antiqua.

Rm̃i P. fr. Andreae **Frühwirth** Mag. Gen. iussu edita.

Veneunt volumina in domo generalitia, 10 via S. Sebastiano, Romae.

Vol. I. (fasc. 1, 2) **Brockhausen** fr. Conradi, *Idea Novitii Religiosi,* Pars I, II. rec. fr. Thomas M. Wehofer, Romae 1898.

Vol. II. **Brockhausen,** *Idea,* P. III, IV. (sub prelo).

Vol. III. **Preissig** fr. Henrici, *Recollectio Spiritus,* rec. fr. Thomas M. Wehofer, Romae 1897.

Vol. IV. **Brockhausen,** *Cursus Mensilis (meditationum)* (sub prelo).

Balme-Lelaider, *Cartulaire ou Histoire Diplomatique de Saint Dominique. Avec illustrations documentaires,* Vol. I. 1893, Vol. II, 1897, venit Bureau de l'Année Dominicaine, 94 Rue du Bac, Paris.

Chapotin, *Études Historiques sur la Province Dominicaine de France.* Paris 1890 apud Victor Lecoffre.

Douais, *Acta Capitulorum Provincialium Ordinis Fratrum Praedicatorum. Première Province de Provence, Province Romaine, Province d'Espagne (1239-1302).* Toulouse 1894. Apud Édouard Privat, 45 Rue des Tourneurs.

Fages, *Histoire de Saint Vincent Ferrier, Apôtre de l'Europe.* Tom. I, II. 1893, venit Bureau de l'Année Dominicaine.

Humberti de Romanis, *Opera de Vita Regulari,* edita curante fr. I. I. Berthier. Vol. I. 1888, II. 1889. Romae in domo generalitia, 10 via S. Sebastiano.

